7
VII
22

7
4 L
55

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACA

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE

DOMVS AVSTRIÆ

VITA ET REBVS GESTIS COMITVM
Vindoniſſenſium ſiue Altenburgienſium in primis

HABSBVRGIORVM

Libri Septem.

AD RVDOLFVM II. HABSBVRGI-AVSTRIACVM
IMPERATOREM SEMPER AVGVSTVM.

Bibliothecæ Coll. Rom. Soc. Jesu



BIBLIOTECA NAZ. ROMA ... EMANUELE

CVM S. CÆSAREÆ MAIESTATIS PRIVILEGIO.

MEDIOLANI, Ex officina Regia Pandulphi, & M.Tullij Malateſtæ. 1605.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

IMPERATORI CÆSARI
RVDOLFO II.
HABSBVRGI-AVSTRIACO,

Pio, felici, victori, ac triumphatori, ſemper Auguſto.

PRINCIPVM virorum ortum, ſucceſſumq́, IMPERATOR INVICTISSIME, iam ab antiquo magnis eruditione viris quærere, tradereq́ inſtitutum, & ſtudium fuit, ſæpius ob euentorum claritudinem, & dignitatem; mox eorumdem qui ad Imperia regnaq́ exſcenderant impulſu, & fauore. Sed DOMVS TVA eo plures ſui primordij inueſtigatores habuit, quanto omnes omnium ætatum familias imperijs, & maieſtate ſupergreſſa eſt, Principibusq́ eo pluribus inclaruit, quibus id intentum interim delectationi, ſubinde in cupidinem euaſit. Ceterùm diuerſam pleriq; omnes viam hucusq; ſcriptores inceßere, maiorem, credo, gratiam aucupati, quo inter ſeſe magis diſcordarent, aut alteri ab alteris ad noua originum, & incomperta ingenioſius enitерentur. Eorum ego ſententias, & argumenta paucis libellis iuxta prodidi, diſcußique: Contra quæcumque ORIGINIS VERAE, & ANTIQVAE erant, pleraque antea vel penitus incognita; & à nemine animaduerſa, aut non ſatis ex fide enarrata, perueſtigaui, & reperi, omnibus penè Heluetiæ,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

& non paucis ſuperioris Germaniæ, Monaſterijs, templis, tumulis, angulis, literis, monimentis, fundationibus, ſchedijs inſpectis, & euolutatis per me ipſum, per amicos, per mercenarios: Et poſtremò digeſsi, maiori, neſcio, labore, & fide; an feliciori æmulatione. Sed præterea mihi COMITES HABSBURGIENSES *maiores tui memorati ſunt, clari profectò, & inter Germaniæ proceres ſemper facilè* PRIMI, *non eo tantum vt ab tenebris, quæ tot annos depreſſerant, obruerantq́; eruerem, & in lucem manifeſtiorem proferrem, obliuione indignos, & Æternitati, ſummoq́ rerum culmini debitos, & deſtinatos; quàm vti ab nonnullorum fabulis, et iniurijs vindicarem. Quorum alij dum noua eos, & nuperæ nobilitatis arguunt: alij antiquiſsimâ, et penè ſolis poetarum figmentis cognitâ ſtirpe prædicant, ignorauiſſe videntur inter ſe, an diſsimulâſſe quantum in vtroq; extremo incertitudinis, & vituperij, & in medio rurſum fidei, & laudis ineſſet. Hos modo libellos* MAIESTATI TVAE *offero, dedicoq́. Vtrumque ex merito ſiue argumentum intuor, ſiue teipſum. Illud* DE ORIGINE, *vt vides,* DOMVS AVSTRIAE *eſt; at* TV *verè* DOMVS AVSTRIAE CAPVT, & COLVMEN *vti & orbis vniuerſi. Siue eo quoque iure tibi vindicas, quatenus tuo me nuper beneficio ſingulariter tuum eſſe voluiſti. Merito igitur illi ad te rectâ graſſantur viâ, & per te ad poſteritatem. An quia delectare etiam poſſunt, & adiuuare, noticiâ rei peruetuſtæ, & te digna, tamquam tua, & paratis*

ex

Digitized by Google

ex tuis omnium penè virtutum exemplis? Quid enim HABSBVRGIENSIBVS VERNERIS *relligioſius, aut magnificentius?* ADELBERTIS *conſtantius, aut bellacius?* RVDOLFIS *generoſius, aut fortunatius? Verbo dicam. Profectò nulla in Germaniâ viguit familia eorum omnium generum clarior exemplis, vt per hos veluti gradus ad ſupremum in terris faſtigium merito perueniſſe credatur. Sed ea præcellentium virorum decora, & monimenta, dubito, amplius laudem, veluti rara, et inſolita; an in te potius ſuſpiciam, & venerer tamquam inſita, & exercita. Omitto Numinis, et relligionis cultum, & ſtudium; clementiam, & æquitatem; modeſtiam, & magnanimitatem; facilitatem, et benificentiam, propria, et perpetua* DOMVS AVSTRIAE *bona, & inſignia. Quis incredibilem, ac propè diuinam in adminiſtratione ciuilis rei, & militaris prudentiam tuam, & auctoritatem non admiretur, atq; obſtupiſcat? Quis in qualibet fortunâ, & euentu eamdem conſtantiam, & animi tranquillitatem? Quis in omnibus felicitatem? Triceſimus annus eſt cum Imperij gubernaculis, Principum omnium ſuffragio, & totius Chriſtianitatis voto, manum admouiſti. Eius totum id temporis pacem, & dignitatem publicè, priuatimq; ita curauiſti, conſeruaſtiq;, vt anteceſſores tuos glorioſiſſimæ memoriæ non adæquaſſe, ſed multis partibus ſuperauiſſe omnium iudicio videare. Neque tamen defuerunt interea tumultus, neq; contentiones, neq; diſsidia, non adeò bella, maximè in Germaniâ, vt*

gente maximâ, & in armis ſemper deditâ, & nouandi quandoque ſtudioſâ. Sed eadem omnia penè verbo citiùs compreſſiſti, aboleuiſtiq; quam Imperatores alij legionibus magnis & prœlijs. Laceſſiuit ſub hac, fide ad lubidinem poſthabitâ, & inducijs, Turcarum magnus ille Princeps, Chriſtiani nominis, & tui iuratus hoſtis, & æmulus ante tertium & decimum annum. Sed quas in eo ſpatio clades accepit? quantas ſuorum ſtrages pertulit? quotiens caſus, pulſus, fuſus, fugatus? quotiens penè ad extrema redactus? ſi tam facilè perſequi victoriam, quàm reportare fortuna pateretur. Numquam totiens aduerſus hos barbaros, & eorum ſocios decertatum, numquam tot, & tam clara relata victoria, numquam tot expugnata, aut recepta caſtra, opida, vrbes, regiones, prouinciæ,

Te copias, & conſilium, & tuos Præbente diuos.

Poſtremò illud certè manifeſtum R*VDOLFVM tuæ gentis, & nominis* I*MPERATOREM* P*RIMVM imperium per tot diſſidia, & interregna, lacerum, & conuulſum, ac penè deſertum egregiâ fortitudine, & laude antiquo ſplendori, & nomini reſtituiſſe; te haut inferiori virtute, at maiori felicitate conſeruauiſſe, & poſt longa tempora adauxiſſe. An iſtud quoq; iam dictum, & decretum, quæ ſub eo Turcica tyrannis ſumſit exordium, te Imperante finem quandoq; et debitum exſcidium accepturam? O faue, et annue* D*EVS* P*OTENS*, D*EVS* E*XERCITVVM; quamq;* R*VDOLFO* P*RIMO reſtituti Occidentis famam, & gratiam conceſſiſti;* R*V-*

DOLFO

DOLFO SECVNDO Orientis ſubacti gloriam, & immortalem memoriam impartire, vt te VNVM DEVM, ita VNVM IMPERATOREM colat Ortus, colat Occaſus. Exſurge o dies illa, dies optata, dies ſalutifera, non modo adflictæ Hungariæ, ſed etiam anxiæ Germaniæ, neque magis huic, aut illi quam vniuerſæ Chriſtianitati. Sed de te, RVDOLFE IMP. MAXIME, in præſens hæc pauca, vti & de toto opere, Nam DVCES deinceps AVSTRIAE, & ARCHIDVCES HABSBVRGIAE GENTIS, mox CAESARES, & IMPERATORES, & TE cum primis IPSVM, poſtremo, ne quid deſideretur, quod ad omnes pertineat, AVSTRIACAM DOMVM in tempore repræſentabimus; Eo citiùs, certè ſtudioſiùs, ſi hæc interim tibi grata, & accepta; ſi tuo fauore, & gratiâ, validiſſimis, ad pulcherrima quæq;, & difficillima inuitamentis, proſequi me, atque tueri continuâris, vel antiquiſſimo nobilis militiæ ſacramento

NVMINI MAIESTATIQVE TVAE

Deuotiſſimum

INDEX

LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIB. I.

CAPVT I. De HABSBVRGIENSIVM COMITVM origine variæ opiniones, & eorum prima, qui ROMA oriundos adſerunt.

CAP. II. Refutatur, eius auctores paullo amplius diſcutiuntur.

CAP. III. Altera opinio quæ ex FRANCIÆ regibus, aut Principibus natos adfirmat.

CAP. IV. Ea quoq; confutatur.

LIB. II.

CAPVT I. VINDONISSENSES COMITES fuiſſe, qui ijdem ALTENBVRGIENSES, et poſtremo nouâ ab arce HABSBVRGIENSES. De VINDONISSÆ clariſſimæ quondam Ciuitatis antiquitatibus.

CAP. II. De VINDONISSÆ exſcidio poſtremo, CASTRO VINDONISSENSI, ſiue ALTENBVRGO, & in eo ROMANA LEGIONE, COMITVMQVE origine, & quomodo HABSBVRGIENSES ROMANÆ STIRPIS videri poſſint.

CAP. III. De VINDONISSÆ antiquis COMITIBVS, à quibus HABSBVRGIENSES.

CAP. IV. De VINDONISSÆ Comitatus finibus, eiuſdemq; nobilitate.

CAP. V. De ELSATIÆ SVPERIORIS Comitatu Prouinciali, & SEQVANIS.

CAP. VI.

CAP. VI. DE antiquis ELSATIÆ & SEQVANORVM locis, & opidis.

CAP. VII. De BRISIACA ſiue Comitatu Prouinciali BRISIACORVM.

CAP. VIII. De HABSBVRGIENSIVM COMITVM & AVSTRIÆ PRINCIPVM inſignibus.

LIB. III.

CAPVT I. OTTOBERTVS Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius.

CAP. II. AMPERTVS Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, et Briſiacæ Landgrauius. ROTHARDVS.

CAP. III. HETTOBERTVS Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius.

CAP. IV. RAMPERTVS Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius. GEBO. HETTO Epiſcopus Argentinenſis.

CAP. V. GVOTRAMVS I. Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius.

CAP. VI. LVITFRIDVS I. Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius. LVITHARDVS. LANCELINVS Archiepiſcopus, incertum, an Treuirenſis.

CAP. VII. LVITFRIDVS II. Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius. HVGO I.

CAP. VIII. HVNFRIDVS I. Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius LVITFRIDIVS. III. HVGO. II.

LIB. IV.

CAPVT I. GVOTRAMVS II. Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius, cognomento DIVES.

CAP. II.

CAP. II. LANDOLVS qui & LANCELINVS, & VECELINVS Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius. GEBHARDVS. BIRCHTILO.

CAP. III. RATHBOT Comes ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauius. RVDOLFVS. VERNERVS Epiſcopus Argentinenſis. LANCELINVS qui etiam VECELINVS à quo Comites, & DVCES ZERINGIENSES.

LIB. V.

CAPVT. I. VERNERVS I. Comes HABSBVRGI, & Elſatiæ Landgrauius, cognomento PIVS. ADELBERTVS I. OTHO I. BERCHTOLDVS I. Comes ZERINGIÆ, & Dux CARINTHIÆ.

CAP. II. OTHO II. Comes HABSBVRGI, & Elſatiæ Landgrauius. ADELBERTVS II.

CAP. III. VERNERVS II. Comes HABSBVRGI, & Elſatiæ Landgrauius. BERCHTOLDVS II. Dux ZERINGIÆ. GEBHARDVS Epiſcopus Conſtantiæ.

HERMANNVS Marchio, à quo MARCHIONES BADENSES, & HACHBERGENSES.

BERCTOLDVS III. Dux ZERINGIÆ.

CVNRADVS I. Dux ZERINGIÆ.

CAP. IV. VERNERVS III. Comes HABSBVRGI, & Elſatiæ Landgrauius. BERCTHOLDVS IV. Dux ZERINGIÆ. HVGO. RVDOLFVS Epiſcop. Leodicenſis. ADELBERTVS à quo Duces TECCENSES.

LIB. VI.

Digitized by Google

LIB. VI.

CAPVT I. ADELBERTVS III. Comes HABSBVRGI, & Elſatiæ Landgrauius cognomine DIVES. BERCTOLDVS V. & vltimus Dux ZERINGIÆ.

CAP. II. RVDOLFVS I. Comes HABSBVRGI, Elſatiæ Landgrauius, & Dominus Lauffenbergæ.

CAP. III. ADELBERTVS IV. Comes HABSBVRGI, & Elſatiæ Landgrauius cognomento PRVDENS. RVDOLFVS II. Dominus Lauffenbergæ.

CAP. IV. RVDOLFVS III. Comes HABSBVRGI, & KIBVRGI. Elſatiæ Landgrauius, cognomento MAGNVS. PRIMVS ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS. DOMVS AVSTRIÆ AVCTOR & CONDITOR.

LIB. VII.

CAPVT I. RVDOLFVS II. Comes HABSBVRGI, Dominus Lauffenbergæ, cognomento TACITVRNVS.

CAP. II. GOTFRIDVS I. Comes HABSBVRGI, Dominus Lauffenbergæ. EBERHARDVS. VERNERVS. OTHO. HARTMANNVS. RVDOLFVS Epiſcopus Conſtantienſis.

CAP. III. RVDOLFVS III. Comes HABSBVRGI. Dominus Lauffenbergæ. GOTFRIDVS.

CAP. IV. IOANNES I. Comes HABSBVRGI. Dominus Lauffenbergæ et Raperſuillæ. RVDOLFVS.

CAP. V. IOANNES II. Comes HABSBVRGI. Dominus Lauffenbergæ, & Raperſuillæ. RVDOLFVS. GOTFRIDVS.

CAP. VI.

Digitized by Google

CAP. VI. IOANNES III. *Comes* HABSBVRGI, *Dominus Lauffenbergæ*.

CAP. VII. EBERHARDVS I. *Comes* HABSBVRGI, *dictus &* KIBVRGI, *Lauffenbergæ Dominus*.

CAP. VIII. EBERHARDVS II. *Comes* KIBVRGI, *et Burgundiæ (in Burgende) Landgrauius*. HARTMANNVS I.

CAP. IX. RVDOLFVS *Comes* KIBVRGI, *& Burgundiæ Landgrauius*. HARTMANNVS II. BERCHTOLDVS I. EBERHARDVS. IOANNES.

CAP. X. EGO *Comes* KIBVRGI. *et Burgundiæ Landgrauius*. HEINRICVS. BERCHTOLDVS II.

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACVM,

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

Liber Primus.

PROOEMIVM.

POPVLORVM nationumq; origines, at geſta, decoraq; multi memorauere diuerſo ſtudio, & famâ inter obnoxios, aut ambitioſos. Sed vt ingenio laudem parare haut difficile eſt, ita mihi in primis præſtabilis eorum opera videtur, qui virorum illuſtrium genus, memoriamq; ſcriptis prodidere. Nam & inde turpia, fædaq; manifeſtiora, quæ vites: fortia, pulcraq; quæ ſequaris, & ea memorabilior virtus, quæ magis in aperto eſt. Ceterum vti alia rerum ſic hominum vitam, maximè viciſſitudines agitant, vexantq;. Hinc ea quæ in medio, aut clariori loco poſita eſſe conueniebat dehiſcunt obliuione; aut premuntur æmulatu: Incognita, incerta, & obſcura rurſus inualeſcunt ad famam, ſplendo-

remq́;,magis ex vanitate, quam meritis,aut vero. HABSBVRGIENSIVM profecto COMITVM ante RVDOLFVM, qui PRIMVS terræ imperium in eam familiam tranſtulit egregia præ alijs, & celebris fama plurimos per annos fuit. Nam poſtea ea præſtiterunt, quæ à nemine quidem pro amplitudine, & dignitate tradita ſunt, totum vero deniq; terrarum orbem claritudine, & gloria peruaſere. Vnde mihi conſilium vt quodq́; eorum eximium, & illuſtre, memoratuq́; dignum ſtrictim, & in pauca referre, abſq; aſſentatione, & ambitu quorum cauſſas procul habeo. Etenim vt ab adoleſcentiâ literas nauare vacuum fuit, cum plura, vt fit, ſcriptorum monumenta in manus venirent, hanc partem, qui ſeriò, vereq́; tradidiſſet deſiderari opidò indignabar, & moleſtè ferebam; non inuidiâ laudis alienæ; ſed huius incuriâ. Simul veterum Germaniæ Principum virorum inſtituta, & mores mecum reputabam quibus recta facere,quam facta ſpargere;ſua probare,quam ſcriptis attollere promtius fuit;adeoq; virtutem ſuaptè pollentem externâ ope non indigere, ſibi ipſi præmium ſatis magnum eſſe, omniaq́; in ſe habere. Opes, facultates, potentiam eo referre, nec quidquam deeſſe, penes quem virtutis poſſeſſio eſſet. Sed illa, vt ad conſcientiam valida, & certa; poſteritatem haut petinde confirmant, quæ, vt ad deteriora procliuior, præſentibus exemplis continetur. Interea dubitauere multi pluſne ducum, & principum ære, aut marmore fictæ imagines ſpectantibus profuerint; an ſtilo perarataæ legentibus rerum memoriæ. Pleriq;, vt in humano corpore animam, has immortales, & æternas crediderunt; illas perinde, atq; eorum vnde exempla ſumta ſunt, collabi, & interire. Vtcumq; erit, & hac me ipſum quoq; parte PRINCIPIS FAMILIAE decori, & nomini conſuluiſſe iuuat. Vndequaq; inclareſcere licet. Et qui præ-

clara

clara fecere laudem merentur; & qui geſta perſcripſere. Diſſimili quamuis mercede, quando ſcripta vtcumq; nomen ſequatur; res, niſi ſcriptæ, obſoleant.

DE HABSBVRGIENSIVM COMItum origine varia opiniones, & eorum prima, qui Roma Oriundos adſerunt. Caput I.

HORTARI res videtur, quoniam varia, & anceps fama, pauca ſupra petere, & de HABSBVRGIENSIVM COMITVM origine, & incrementis paullo curatius inquirere. Atq; vtinam tam pronom eſſet, certiora, aut clariora reperire, quam aliena, & quæ huc vſq; credita refutare. Sed inter plures, duę maximè ſententiæ celebres, pluribuſq; ſcriptoribus nituntur. Fuere namq; qui Romanis ortos celebrauere: Alij à Francorum Regibus, aut Principibus. Nam qui [a] ab Arcâ Noæ ad Priamum Troianum, & Sugambros deinceps Duces, Habsburgienſium progeniem deriuant, irriſui ſeſe, & ludibrio præbuere. De Romanis Albertus Argentinenſis, credo, in primis fuit, qui oriundos adfirmaret. RVDOLFVS, [b] inquit, *Comes de Habsburg ex antiquis progenitoribus ab Vrbe ROMA traxit originem. Olim namq; duobus fratribus per potentis POP. R. occiſionem eliminatis ab Vrbe, propter eorum nobilitatem, Romanus dans cuilibet eorum immenſam pecuniam ipſos iuſſit abire in partes remotas, qui ſe in ſuperiori Germaniâ receperunt. Antiquior autem ad emtionem prædiorum, & munitionum; iunior autem in vaſallorum multitudinem contendebant. Patre autem eorum poſt aliquot annos filios viſitante, cum vidiſſet ſenioris prædia ab eo emta, eius prudentiam commendauit. Requirens autem de iuniore quid egerit, il-*

Duæ præcipuæ de Habsburgienſium origine opiniones.

a *Gebuillerus, & alij plures, ex Hunibaldo Monacho, Vuaſtaldina hiſtoria continuatore, quem tamen dignum duxit Abbas Trithemius quem in Epitomen redigeret.*

Prima opinio, quæ Româ educit & eius auctores.

b *In chronico ſuo, aut eius potius quod ſupereſt fragmento.*

lum ſe in fortiſſimam quamdam munitionem collocaſſe vidit. Et, iuſſis omnibus vaſallis ſuis, cum eorum liberis maſculis armatis venire ad montem, vbi Caſtrum Habsburg eſt collocatum, illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem oſtendit, quos, & omnes eorum poſteros maſculini ſexus ſuæ poſteritati fideles fore ſperaret. In illius ergo animoſâ nobilitate gauiſus magnum theſaurum deſtinauit eidem. Ex his itaq; duobus fratribus omnes de Habsburg poſtea proceſſerunt. Ità Albertus. Secutus Raphael Volaterranus, ſed iam repertâ, nominataq; Romanâ gente. Eius de Maximiliano I. verba adpoſui. *Apparet,* [c] inquit, MAXIMILIANVM *Romanos habuiſſe progenitores olim Perleones, Comites Montis Auentini, cuius familiæ nonnullæ ſunt Romæ relliquiæ prope Sabellorum ædes, quæ prius Perleonum fuere, quibus cognomen dedit Petrus Leonis filius, Stephani nepos, Maximi pronepos, quorum memoria ſepulcri pro foribus Templi Sancti Alexij adhuc cernitnr. Is anno MCLXX. magnâ in vrbe potentiâ, auctoritateq; ſub Paſcale II. fuerat. Cuius duo nepotes per ſeditionem ex Vrbe profugi, ad Alpes venerunt, vbi circa Lucernæ lacum prædia, & terras mercati ſunt, Caſtrumq; de eo loco Auenburgum deinde excitârunt, quaſi Auẽdi opidum; licet nonnulli Abesburgum dicant, quod linguâ Germanicâ abec accipitrem ſignificet, qui olim ab ijs dimiſſus cum prædâ captâ in eo Monte conſtitit, vbi ex auſpicio ipſi poſtea opidum condidere.* Hæc Volaterranus. Ad eamdem opinionem mox plures tranſiere. In primis Paullus Iouius. *Ferunt,* [d] ait, AVSTRIACAE DOMVS *nobilitatem Romani ſanguinis ſtirpem reſpicere, producto ſtemmate è Perleonum familiâ, ex quâ feruntur celeberrimi olim Comites ex tribu Montis Auentini. Hos enim ad Augsburgum conſediſſe conſtat, inter Rhetos, Noricos, & Vindelicos, non longe ab Heluetijs, coaleſcenteq; ſenſim potentiâ Auſtriaci Principatus, vti ipſe Cæſar ſuæ originis religioſus indagator adſeuerabat, iura, & titulos condidiſſe,*

[c] *Lib. xxiij. Anthropologia.*

[d] *Lib. v. Elogiorũ in Maximiliano Imp. I.*

Digitized by Google

didiſſe, eiusq; dominatus claritudinem bellicâ quæſitam virtute, & longâ vetuſtate conſtitutam propagâſſe. Hinc euenit, vt facile credamus, Auguſtam hanc Romani Imperij dignitatem ad Auſtriacos Principes, quod Romani ſint ſanguinis, fatali quodam iure perueniſſe. Hieronymus Rubeus. [e] *Perleonia familia inter Romanas nobiliſſima illa eſt, è quâ clariſſimi Comites Montis Auentini, &* AVSTRIAE DOMVS PRINCIPES *prodiere. Reperitur enim ex Perleonijs quoſdam Iſpruchum, Oenipontem appellant, ad habitandum profectos, inter Auſtriæ, & Baioariæ populos ab Heluetijs haut procul. Paullatim vero dignitate eorum indies creſcente Principatus Auſtriæ iura, titulumq; fundarunt, vti Maximilianus Cæſar, Caroli V. auus adfirmare conſueuerat.* Richardus Rantchinus. [f] AVSTRIAE DVCES *initium habuerunt à Perleonibus Romani Imperij patricijs.* Auctor hiſtoriæ Bauariæ, & Sueuiæ. [g] AVSTRIAE *nunc moderni DVCES originem habuerunt à Petris Leonibus Romanis Comitibus Montis Auentini, cuius familiæ Domus ſunt in Auentino, prope Sabellorum ædes, quæ prius Perleonum fuere.* Eodem Ioannes Nauclerus, incertus licet animi, quoq; inclinauit. Originem, inquit [h] COMITIBVS DE HABISBVRG *à Perleonibus Comitibus Romanis ciuibus deducunt ex Auentino Monte, Splendidâ nobilitate, freti, opinor, non omnino malis auctoribus, apud quos eius rei fides eſto.* Acceſſerunt nuper Thomas Bozius. [i] *Eodem modo* AVSTRIACI *numquam non leguntur* NOBILES *fuiſſe, atq; à nobilibus ortum ducunt.* COMITES *enim prius* HABSBVRGIENSES *cum forent, genus ſuum referunt ad patricios Romanos à familiâ Petri Leonis.* Philippus Gothus eques Meſſinenſis Siculus, [k] cuius hæc verba ex Italicis latina feci, ad PHILIPPVM Hiſpaniarum Principem, nunc Regem III. *Quod firmiter ſperare debemus, quandoquidem non citius immiſiſti te adminiſtrationi Regnorum inuictiſſimi patris, cum DEVS,*

e *Lib. v. hiſtoria Rauennatis.*

f *Libro ij.*

g *Libro iv. Anonymus eſt.*

h *Volum. ij Chro. generat. XLIII.*

i *Lib. viij. de ruinis regnorũ & gentium. & Lib. xxi. de ſignis Eccleſiæ.*

k *In præf tractatus Italici de inuẽtione SS. Placidi Abbatis, & Sociorum & de triumpho & feſtiuitate Meſſinæ in illâ celebratis.*

DEVS, ut daret ſingulares in cælo protectores, qui tuas in terrâ actiones felicißime dirigant, hos tibi ſeptem, & triginta martyres reuelauit, mille, & quadraginta ſeptem annis, quam mortem obierunt. Inter quos Placidus, Eutichius, Victorinus fratres, & eorum ſoror Flauia ſunt ex eodem antiquißimo ſanguine Anicio, unde originem ducit Sereniſſima DOMVS AVSTRIAE. *Quandoquidem certum eſt anteceſſores tuæ Celſitudinis, qui ob receptam Auſtriam cognomentum ſibi pepererunt* AVSTRIORVM *(uti Scipiones, domitâ Africâ, Africanorum) deſcendere, legitimâ ſucceſſione, ex Frangepanibus, & hos ab Anicijs, maioribus paternis Sancti Placidi.* Sed ante omnes Arnoldus Vion eadem pluribus adſeuerauit, & Philippo II. Hiſpaniarum Regi perſuadere voluit. *Petrus,* [1] inquit, *Leo, Petri Leonis filius, Montis Auentini Comes, vir nobilißimus, & inter Vrbis primates præcipuus, in Senatorio ordine præſtantißimus ſemper habitus, ob vrbanas ſeditiones in Germania vna cum fratre Rudolfo ſecedens, è clarißimis maioribus ſuis degenerare noluit. Nam iuxta Lucernæ lacum in Ergouiâ, prædia, ac terras mercatus Caſtrum in eo loco munitißimum excitauit, quod ſiue ob memoriam accipitris in eo loco inuenti, vt vult Volateranus, abec enim linguâ Germanicâ accipitrem ſignificat, vel alterius Caſtri, prioribus temporibus, vt ferunt, in eodem loco à Rapatone Auendi Caſtri Romarici Montis Comite, ædificati, aut certè, quod ego magis adprobo, ab Auentino dominatu, cuius hic Petrus Comes erat, Auenburgum, quaſi Auentini burgum nominauit. A quo Caſtro poſt modum omnes eius poſteros, tam qui hodie nunc viuunt, quam ſuperioribus ſeculis fuiſſe memorantur, denominationem habuiſſe conſtat. Inter denominationes enim, quæ in Vrbe olim ex diuerſis euentibus fieri ſolebant, non inuſitata fuit conſuetudo illa, quâ à Ciuitatibus, & populis ſæpißimè nominum mutationes fiebant, vt videre eſt in Northmannis, qui à Ciuitate Placentiâ, Placentini denominati ſunt, & in illis, qui vocantur*

1 In præfatione Arboris vitæ. & tractatione de antiquißimâ, & nobilißimâ familiâ Romanâ Aniciâ, Probâ, Olybriâ, Perleoniâ, Frangipaniâ, Habsburgiâ, Auſtria. paragraph. xiij.

Maſſa,

Maſſæ, qui nunc in Vrbe Româ ab opido Galleſio Galleſij dicuntur. Item & in Illuſtriſſimis Marchionibus Eſtenſibus, qui cum prius Actij vocarentur, ab Eſtenſis munitionis dominio Eſtẽſes vocati ſunt. Ita quoq; à ſimili euentu, qui olim Petri Leones à Caſtro Auenburg, ſiue Habsburgo HABSBVRGII, & poſtremo, ab Auſtriæ dominatu, AVSTRIACI, ſiue Auſtrij dicti ſunt. &c. Eoſdem porro Româ Perleones per Fridericum I. Ahenobarbum pulſos, quod contra Octauianum Antipapam pro Adriano IV. & Alexandro III. facerent, arbitratur. Addit enim. *Cum illo tempore Adriano IV. & Alexandro III. Pontificibus, non adeo morem gereret Fridericus primus Imper. qui ſibi iura Pontificia, contra ius, faſq; arrogabat, & nonnullis eidem Imperatori, & ſuo idolo Octauiano Antipapæ adhærentibus; alijs vero, quibus mens ſanior erat, inter quos erant Frangepanij, & Perleones, nobiliſſimi Ciues Romani verum Pontificem ſequentibus, omnino veriſimile videtur, vt propter eiuſmodi piam ſeditionem, pro defenſione Chriſti in terrâ Vicarij, contra Imperatorem, Antipapam, & eorum ſequaces, à Frangepanijs, & Perleonibus motam, ab Imperatore ipſo Friderico, qui eorum potentiam verebatur, in Germaniam hi duo fratres, qui plus alijs poſſe videbantur, relegati fuerint, vbi poſt modum in eam, quam nunc videmus, creuerunt potentiam.* Sunt eius alia, quæ in aliam rem, veluti Rudolfum fratrem eiuſdem fauore Petri, non ita Canonicè Epiſcopum LVI. Argentinenſem creatum, anno Domini 1161. cum in eo honore annos 18. conſumpſiſſet ab Alexandro Papa III. eo quod non legitimè creatus videretur, anno 1179. depoſitum, & in ordine redactum, vitæ reliquum apud fratrem egiſſe. Vlricus à Clingenberg [m] de fratribus duobus, vtriuſq; exſilio, ſtudioq;, eadem fere, quæ Albertus, imo ex ipſo, & Volaterranus, niſi quod de accipitre, & aucupio, prope Bruck opidum, ſiue Pontem Arulæ, ſupra quod

m *Chronico ſui temporis Germanico.*

ſitum

ſitum proximo in colle Habsburgum, non apud Lucernenſem lacum eueniſſe memorauit. At vero Albertus Baro à Bonſtette [n] Heremi Deiparæ matris, vulgo Ainſidle, Decanus, multę harum rerum aliàs diligentiæ, & curæ, Româ quidem HABSBVRGIOS deducit, ſed gente Scipiones. Felix [o] Hemmerlinus Cæſarei Romæ palatij Comites fuiſſe HABSBVRGIENSES ſcripſit, & eo modo Romani eos generis indicare, iudicariq; voluit. Poſtremo Vlricus Krieg nobilis Tigurinus Rudolfi I. Regis æqualis, & ſocius belli, quæ famâ tum ferebantur dixiſſe contentus, RVDOLFVM Regem, [p] ait, ante electionem Habsburgi prope Bruck habitauiſſe, egiſſeq; maiores eius Romanæ ſtirpis, & originis eſſe.

n De maioribus Maximiliani I. Imper.

o Libello ſuo de nobilitate. ms.

p Chronico ſui temp. Germanico. ms.

REFVTATVR. EIVS AVCTORES paullo amplius diſcutiuntur. Cap. II.

HÆC omnino primâ de ſententiâ, quæ mihi quidem viſa, aut intellecta. Specioſa, ſi perinde probata. Nam hi quidem ſcriptores omnes, qui ſcilicet vſq; Româ HABSBVRGIENSE genus ferunt, haut aliud mihi videntur conſecuti, quam HABSBVRGI-AVSTRIACORVM Principum geſtis, & virtutibus, altiorem, aut digniorem originem, quam ab Vrbe, magno illo quondam virtutum omnium domicilio, quæ eadem Prouincijs Reges, orbi Imperatores dedit, fingere nequiuiſſe. De Perleonibus ſcio præclarum nomen, magnam potentiam. Eos Auentinum tenuiſſe, forte, & per tumultum Vrbe exactos eſſe non diſputauerim. Et de ijs multa eximia, & proba ſupra memoratus [q] Vio: quæ vt refutare animus non eſt; ita HABSBVRGIOS inde ortos non eſſe, vanamq;, & futilem, quâ maxime nituntur, Volaterrani opinio-

q Eod. tractatu.

nio-

nionem, omnes intelligent, qui multo prius quam eſſe cœperit Petrus ille Leo, aut ab Vrbe eum Fridericus Ahenobarbus expulerit, VERNERVM III. VERNERVM II. VERNERVM I. omnes Habsburgi Comites, præcipueq; VERNERVM Epiſcopum Argentinenſem, Caſtri HABSBVRGI, vnde genti poſtea fama, & nomen nouum Auctorem, & Conditorem, RAPHBOTVMq; eius fratrem, & LANDOLVM, & ADELBERTOS, alioſq; HABSBVRGIOS, magnâ apud Imperatores Conradum II. Henricos III. IV. & V. Lotharium II. Conradum III. auctoritate, & honore fuiſſe; HABSBVRGVM vero Argouianum (vt eodem quoq; vtar cum Vione [r] vocabulo) ducentis propè ante Fridericum I. Ahenobarbum iam ſtetiſſe annis, perſpicere, & cognoſcere ſequentibus [ſ] libris, publicis ex inſtrumentis, monumentiſq;, dignum iudicabunt, adeoq; nullum omnino in familiâ HABSBVRGIENSIVM, AVSTRIACORVMq; Petrum, aut Perleonium, vt ne digna quoq; confutatione ſententia hæc videatur. Sed tamẽ illis de ſcriptoribus nonnullis, queſo pauca diſpiciamus. Vionis quidem, vt ſunt vt ſint cetera, de Argentinenſi Alberto verba falſiloqua, vbi ſcribit; [t] *A Perleonibus Habsburgios proceſſiſſe confirmat Albertus Argentinenſis*; Repete eius ſuprà, & quæcumq; alia. Nuſquam, ne per ſomnium Perleonia in eo memoria. Et tamen ſcilicet Volfgangum Lazium aſperrimè inſectatus eſt, [u] quaſi quæ contra ſe eſſent callidè diſſimulauerit, neq; Alberti, aut Perleonum meminerit; in vnum Volaterranum inſurrexerit, controuerteritq;. O virum ſimplicem! qui, quæ, vt diximus, nuſquam eſſent, fingere, ſicuti Vion, neſcierit: prudentem, ſi noluerit, & potius Albertum præterire maluerit, quatinus aliud certi non adfirmat, quam Româ in Germaniam Perleonios, ſibi, vt Habsburgiæ gen-

Habsburgiſſes Comites Perleonibus multo antiquiores.

[r] *Paragraph. iv.*

[ſ] *Præcipue lib. iv. & v.*

Scriptorũ eorumdem ſententia, & argumenta examinata.

Vionis.

[t] *Gradu II. Anicio xxxvi.*

[u] *Paragraph. vi.*

P. Iouij.

ti, ignotos, & ignoratos adducere. Iouius ſibi fermè ſimilis, qui, dum ſcriberet, rerum, falſi, veriq́; haut in magno prope diſcrimine quidquam poſuit, vt non immerito iactitârit Gorræus Pariſienſis, quas de Amadiſi adfingebat fabulas, non minus, quam Iouij ſcripta, cordatæ poſteritati veras, & probabiles futuras. Nam Augsburgum, ſiue Auguſtam Vindelicorum (eam ſe intelligere ex vicinijs quos ponit populis Vindelicis, Noricis, Rhetis, oſtendit.) Habsburgienſes habuiſſe ſedem, quis omnino delirauit?

Hier. Rubei.

Similis Rubei error. Exiſtimo, quia aliquando apud Pontem Aeni Auſtriacos principes habitare intellexerat, ea primo Perleones profugos loca cæpiſſe arbitratus eſt, & inde porro Habsburgios.

Volaterrani.

Volaterrani vnde, vnde de Habsburgo apud lacum Lucernenſem aliquo ex fonte opinatio eſt. Nam ſanè Habsburgi arcis, non opidi, x quod numquam fuit, quattuor ſuprà Lucernam circiter paſſuum millibus, dextrâ ripâ laci, adhuc ruinæ, & rudera. Sed ab eo Comites HABSBVRGIENSES, qui AVSTRIACI poſtea Duces, & rerum Domini, oriundos, nemo hactenus bonæ mentis exiſtimauit, aut tradidit. Et, vt ſint, non propterea eius Perleones auctores, & architecti. Neq; enim Volaterrano ea fides, & auctoritas quæ perſuadeat. Alia, & diuerſa armorum inſignia, accipiter, aut quidquid eſt volucris, inter caſtri turres duas, & nihil omnino Perleonicis, aut Habsburgienſibus ſimile. Coluerunt tamen, & habuerunt Habsburgienſes, ſiue Vindoniſſenſes ſed præpoſituræ Lucernẽſis, cuius proprietas erat, beneficio. Bello quod Albertus II. dux Auſtriæ Tigurinis intulit A. D. N. CIↃ.CCC.LII. Lucernenſes, Vranienſes, Suitenſes, & Siluanij eorum confederati exſciderunt vjij. Kal. Iunij. Dominium eius Lucernenſes tenent, Neq; de eo alia memoria eſt.

x Vt Vien. & pleriq; ſcribunt incõſideratè.

Habsburgum prope Lucernã. & de eo.

Habsburgi etymũ.

HABSBVRGI etymum ab accipitre, Germani vulgò Habbich, Maxi-

Maximiliano I. Imp. optimo, & harum rerum curioſiſſimo, placuiſſe ſcio, legatorumq; Heluetiorum quondam [y] Conſtantiæ opinionem, qui ita inter colloquium infle- *y A. D. N. CIↃ. IↃ. IX.* ctere, denominareq; viderentur, probauiſſe. Sed hęc de nomine parua diſputationis, & controuerſiæ pars. Ceteri ſcriptores ſedem fermè prætereunt, gentem nominant, de quibus omnibus ſupradictus Vio. [z] *His igitur auctoritatibus* *z Paragraph. vi.* *tantorum virorum, eorumq; rationibus, necnon & traditione peruetere, iam quaſi ab omnibus recepià motus, verum eſſe exiſtimo, quod ſuprà explicandum propoſui, gentem ſcilicet AVSTRIAM, HABSBVRGIAM, eamdem cum antiquâ Perleoniâ, Frangipaniâ, Olibriâ, Probâ, Aniciâ fuiſſe.* Sed apud me, rebus ſanè literarijs, nulla vnquam auctoritas ante rationem fuit; rationem abſq; argumentis, & teſtibus inanem fermè exiſtimaui: neq; præ públicis monumentis traditionem vmquam poſui. Eadem enim quæ tradebat, quam incerta Volaterranus arbitraretur, ipſo ſuæ relationis verbo primo, ſatis demonſtrauit, nec compertiora, aut certiora quiſquam edidit; quæ Volaterranus ſcripſerat, pro cognitis, & certis, temerè, & inſcitè vſurpauere. Et poſtremo illa ipſa, quæ idem Arnoldus [a] contra Latzium; *a Paragraph. ij.* in ipſum iure retorqueam. *Non enim hoc loco verbis agimus, ſed demonſtrationibus, & probationibus; neque teſtibus hic quidquam tribus, aut quatuor proficitur, cum in contrarium longe plures ſuppetant; neq; etiam teſtibus res agenda ſit, vbi veritatem acta, & monumenta*, inſtrumentaq; publica *declarant, vt in ſequentibus videbitur.*

ALTERA OPINIO, QVÆ EX Franciæ Regibus, aut Principibus natos adfirmat. Cap. III.

FRANCORVM regum, aut principum progeniem qui HABSBVRGIENSES prodidere, multi quoque, & diuerſi argumentis, eaq; ſententia prope eualuit. Neq; tamen quis repererit primus facile adfirmauerim. Auctores enim eius, veluti plures; ita pene omnes æquales, & ante Maximilianum I. Imp. quem ſciam, nemo. Præcipui ſunt Ioannes Trithemius, Iacobus Menlius, Ioannes Stabius, Ladiſlaus Sundheimius, Ioannes Auentinus, Hieronymus Gebuillenis, poſtremo Volfgangus Latzius. Sed eorum videamus opiniones, & quo quiſq; modo, ex Franciæ priſcis regibus, quos Merouingos pleriq; vocant, ortum trahere HABSBVRGIENSES velint, & memorârint. Trithemius diuerſimodè eodem libro, & pene ſpatio originem facit. Sigebertum enim Habsburgiacæ gentis, vt vult, genitorem, modo natum tradit Guntramo Aureliæ, & Burgundiæ rege; modo ex Theodeberto Auſtraſię rege, Childeberti filio, & eiuſdem Guntrami ex Sigeberto fratre, nepote. Eius de Guntramo verba adpoſui. *Tandem*, inquit, *Lotharius obijt anno 564. ind. 12. filios relinquens quattuor; Heribertus qui maior natu apud Pariſios regnauit, poſt obitum patris.&c. obijt ſine liberis. Secundus genitus Lotharij fuit Guntramus, qui Aurelianis, & in Burgundiâ regnauit, annis. XXXIII. & obijt anno 597. duos relinquens filios Theodebertũ, & Theodoricum. Vxor eius fuit nomine Auſtrigildis mulier iniquiſſima.* &c. *Theodebertus maior natu genuit Sigibertum, Sigebertus autem genuit Odobertum, Odobertus autem genuit Odobertum, Guntramum, & Adelbertum fratres. Odobertus autẽ iunior genuit Luitfridum, & Vldaricum Comites, quorũ*

Scriptores qui ex Francica origine Habsburgiẽſes ducunt, & quibus rationibus.

Ioannes Trithemius.

Compendis de origine gentis Francorũ ex Hunibaldo.

in

in Habsburg alter, in Hohenburg reſidebat alter, iam regno in quattuor Comitatus Heluetiorum, Alſatiorum, & Allemannorum cis Rhenum diuiſo. De iſto Luitfrido genealogia comitum de Habsburg, vſq; ad Rudolfum regem Germanorum, & vlterius in Maximilianum continuatur, à Guntramo Francorum rege per annos. 917. vſq; ad. 28. annum regni Maximiliani. At verò paullo infra cum Theodeberti Auſtraſiæ regis cædem iuſſu, & ſcelere Theodorici fratris Coloniæ Vbiorum factam retuliſſet, de eo hæc plurimum diuerſa memorat. *Habebat autem Theodebertus tres filios Sigebertum, Guntramum, & Lotharium, filiam vnam ſpecioſiſſimam. Sigebertus màior natu fugâ lapſus vſq; ad mortem Theodorici ſecretiſſimè latuit apud auunculum ſuum Genebaldum ducem Francorum Orientalium, qui poſt mortem Theodorici, procerum interuentu, regnum accepit Heluetiorum, vt dicetur poſt hæc inferius. De hoc Sigeberto natus eſt Odobertus per quem Comites in Habsburg, vt paullo diximus ante, cum multis alijs in ſuperiori Allemanniâ prouenerunt.* Eadem paullo fuſius Annalium ſuorum primo breuiario eadem narratâ nece. *Theodebertus autem miſerabili ſorte peremptus, tres filios, & vnam, vt legitur, ſpecioſiſſimam filiam reliquit, Sigebertum videlicet, Guntramum, et Lothariũ. Nomen filiæ nuſquam reperi. Rex vero Theodoricus Coloniam ingreſſus præſcriptos duos iuniores fratris filios Guntramum, Lothariumq́;, & ſororem eorumdem ad ciuitatẽ Metenſem captiuos miſit. Quibus crudelis auia Brunichildis occurrens, nimioq́; ſuccenſa furore, in odiũ genitoris occiſi, ſuper eos irruit, & nepotes adhuc paruulos, manu propriâ interfecit. Sigibertus autẽ natu maior Theodeberti filius, quorumdam auxilio ciuium, ſubmiſſus per murum, ſecretiſſimè Rheno tranſmiſſo, in habitu ſcholari aufugit, veniensq́; in Franciam Orientalem apud cognatos ſuos Gottfridum, & eius filium Genebaldum tertium duces Francorum circa Moenum in Virciburg principantium aliquot annis latuit*

tuit incognitus. Qui tandem poſt obitum regis Theodorici principum interuentu ducatum in Allemanniâ ſuperiore, quæ nunc dicitur Heluetia, donatione regis Lotharij accepit. Sed neq; nomen regium, neq; diadema portare, more parentum ſuorum, permiſſus eſt, & manſit ſub ditione regum Francorum. Filium genuit nomine patris ſui Theodebertum. Hæc Trithemij opinamenta, contraria admodum inter ſe, & diſcordantia. Neq; tamen magis ſibi conſtat, aut compertiora adfert Menlius. Libello enim de monumentis, & fundationibus maiorum Maximiliani I. Imp. in ſententiam quidem Trithemij poſteriorem pedibus it, Sigebertumq; Ottoberti Habsburgi Comitis patrem, Theodeberto Auſtraſio, Childeberti filio, & Sigeberti nepote vult procreatum: Verum epitome chronici, vt indigitat, principalis de origine eiuſdem Imp. Maximiliani, longe ab eâ recedit, Ottobertumq; comitem Habsburgi primũ tradit Theodeberto Burgundię rege generatum, Chilperici, & Audouiræ filio, Lotharij primi, nepote Clodouei inter reges primi Chriſtiani pronepote. Tertiam illi quoq; attribuit Latzius, & Clothario rege primo natum fuiſſe Ottobertum prouinciæ regem, qui ab Guntramo fratre interfectus, Ottobertum filium reliquit Habsburgi comitem, Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauium. Verba eius quæ adfert, [b] neſcio vnde ſumta, ita ſe habent. *Oddobertus filius Lotharij primi regis Franciæ, fuit rex prouinciæ, videlicet anno Domini. 585. Et fuit per Guntramum regem Burgundiæ fratrem ſuum cupidine dominandi occiſus; qui poſt fratris obitum etiam rex prouinciæ factus fuit. Otbertus filius Oddoberti regis prouinciæ, viguit anno Domini 605. comes de Habsburg, Landgrauius Briſgauiæ, & Alſatiæ. Viguit tempore Phocæ Imp. qui propter Dei amorem, ſuæq; animæ ſalutem, cuidam ſancto viro, videlicet Trutberto, filio regis Hiberniæ, vallem, quæ tunc temporis Numaga circa Nigram Siluam dicebatur,*

Iacobus Menlius.

Germanicâ ms.

b *Comment. Geneal. Auſtriaca lib. 1. cap. v.*

batur,

Digitized by Google

batur, donauit, & ibidem ædificauit Eccleſiam, quam certis reditibus, & gultis dotauit, fecitq; ibidem ædificare caſtrum Streichburg nomine dictus Otobertus, & tres filios habuit ſcilicet Amprinctum, Ethobertum, & Rutherum. Ita de tertiâ Menlij opinione Latzius, qui & pluribus, non ſine cauſsâ, [c] refutat. Sundheimio aliam pariter paternam Habsburgienſibus quærere ſtirpem placuit. Vult enim Chilperico Clotharij primi filio, Clodouei nepoti, ex Audouirâ filium fuiſſe Theodoricum Burgundiæ regem, Childericum Clotharij III. patrem, & Ottobertum prouinciæ regem, & huic poſtremo Ottobertum II. iurę montis in Heluetijs principem, Habsburgienſium primum conditorem. Sed Ioannes Stabius vniuerſos hac materiâ ſuo ex iudicio ſupergreſſus, Ottoberti ortum, viâ quoq; remotâ à reliquis, & poſteriore è regiâ Francorum propagine flexit. Adfirmat enim Childerici ab Auſtraſijs interfecti filium, Clodouei ſecundi nepotem, Dagoberti Magni pronepotem. Ipſum populi minas, & inſidias, poſt patris cædem, declinantem tranſiſſe Rhenum, paucisq; contentum comitatibus, eâ vixiſſe in regione, quæ modo Briſgouiâ eſt. Quæ de hac re Latzius, [d] ijſdem verbis poſui. *Ioannes vero*, inquit, *Stabius, anteceſſor meus, Maximiliani quondam Cæſaris hiſtoriographus Ottobertum & ipſe quidem ſecundum in hac gente commemorat, ſed alto parente ortum, nempe Childerico Auſtraſiæ rege, Clodouei hoc nomine regis ſecundi in prouinciâ Pariſienſi principantis, quem ab Bodilone comite occiſum refert. Verba eius ſubſcribam. Iſtius Childerici concludo filium fuiſſe Ottobertum, qui in tantis rerum turbinibus, & confuſionibus, quibus regnum Francorum tunc laborabat, regna paterna ſuſcipere non potuit. Poteſtas enim omnis non apud reges, ſed apud maiores domus tunc erat, qui non quæ regum, ſed quæ ſua fuere, quæſiuerunt. Hinc Ebroinus.* &c. *Ottobertus autem, de quo diximus, interea dum pater ſuus rex Hilde-*

c *Eodem capite, & libro.*

Ladiſlaus Sundheimius.

Ioannes Stabius.

d *Eodem commen. lib. i. cap. vi.*

Hildericus a Bodilone in venatione interfectus eſt, in Auſtriâ ſuperiori, videns mirabilem regni Francorum mutationem, vt patrem totius monarchiæ Francorum regem impie trucidatum; patruum Theodoricum, maiore domus Ebroino, prius attonſum, in monaſterium truſum, iterum extractum, & regno ſub Leudeſio præpoſitum, Ebroini apoſtatæ monachi furorem, ac inſidias pertuliſſe; quid faceret Ottobertus princeps naturâ mitiſſimus, niſi ad ſupremi numinis auxilium confugiens, ad eius ſe cultum præpararet? In Allemanniam itaq; trans Rhenum abiens, poſt patris miſerabilem caſum, ſe continuit in Landgrauiatu Briſgouiæ, vbi ſancto Dei viro Trutperto monaſterium ædificauit, vbi certis comitatibus contentus, pacificè, & quietè vixit, curam regni abijciens, ne, vt pater, a factionibus maiorum domus trucidaretur. Acceſſit etiam Ottoberto alia infelicitas, odium ſcilicet contra patrem Hildericum a Francis conceptum, timenti, ne ſi vmquam in regnum veniret, cædem paternam vlciſceretur. Hactenus, inquit, Latzius, *Stabius* quæ pariter aliquatenus refellit. Non deeſt, qui Hugoberti tranſi vrani ducis, de quo Rhegino, [e] poſterıtatem Habsburgios credit. Non deſunt qui ab Attico Leudeſij palatij ſub Theodorico præfecti filio, Erchembaldi nepote ſcaturiginem Habsburgienſium deriuant. [f] Atticum etiam palatij præfectum ab Hilperico, aut eius fratre Theodorico Allemanniæ accepiſſe ducatum, cum Elſatiâ. Inde porro Elſatiæ Landgrauios, quo titulo, & regione Habsburgij potiantur. Attico enim natos, præter D. Otiliam, Hugonem, Hettonem, Bataconē, & Adelbertum. Adelberto Maſonem, Eberhardum, Luitfridum. Luitfrido nuptum datam Hiltrudem vnicam filiam Ottoberti Habsburgiēſis in Romarico monte, ex quâ cum prolem non tuliſſet, adoptauerit patrueles Ottobertum, a quo Habsburgienſium deinceps ſucceſſio, Hugobertum, Theodibaldum, & Eberhardum. Iacobus Spiegelius alibi

in

[e] *ibi ad annum IↃCCC. LIX. & ſeq.*

[f] *De ea opinione Latzius comm. lib. i. cap. i. Et lib. viij. de Migrationibus gentium, & popul.*

Iacobus Spiegelius

in Volaterranum, & eius ſectatores acriter inuehitur, gentem non determinat, ex Francorum ſanguine natos Habsburgienſes adſeuerat. *Nec nos*, inquit, [g] *mouere debet quorumdam ſtultitia ſuam originem ad Romanos referentium, qui ſi ſcirent, nullam in Italiâ nobilitatem, quam non Germani eo aduexerint, non haurirent aquam ex riuulis, ipſo fonte contemto. Ridiculum ſane quod Volaterranus D. Maximiliani progenitores ait fuiſſe quoſdam neſcio Perleones Romanos, cum pura, puta ſit è Francorum ſanguine principibus AVSTRIÆ, Burgundiæ, Brabantiæ, Hollandiæ origo.* Alibi Sundheimij inuenta probat, & perſequitur. Quæ de Attici origine, & ſucceſſione ſunt pleriq; tribuunt Hieronymo Gebuillero, Epitome tamen regij ortus Ferdinandi. I. Imp. poſteriorem Trithemij ſententiam amplectitur, Sigebertiq; Theodeberto a fratre necato geniti Ottobertum recenſet, proferq; filium. [h] Sed eamdem maxime Volfgangus Latzius celebrauit, & cum eadem, quæ ſuprà, ex Trithemio enarrâſſet, his præcipue argumentis firmam, & inconcuſſam voluit. [i] *Porro hæc vera eſſe, & non ex vano hauſta multa ſunt quæ coarguant. Primo cruenta iſta pugna fratrum; deinde quod Sigebertum Turonenſis quoq; refert filium occiſi Theodeberti Auſtraſiæ regis profugum, renouatis viribus, pugnam in Campaniâ cum Theodorico patruo alteram iniuiſſe, fugatumq; Coloniam abiuiſſe. Poſtremo etiam quod ſororem eius ſimiliter, vt Trithemius, captam à Theodorico patruo victore ob pulcritudinem matrimonio iunctam fuiſſe Turonenſis commemorat. Gregorij*, inquit, *verba ſubſcribam. Anno autem quarto poſtquam Childebertus regnum Guntrami acceperat, defunctus eſt, regnumq; eius filij ſui Theodebertus Auſtriam ſortitus eſt, ſedem habens Metenſem; Theodoricus accepit regnum in Burgundiâ, ſedem habens Aurelianis. Eo tempore Childebertus rex Auſtriæ habebat duos filios, ſeniorem ex concubinâ nomine Theodebertum; iunio-*

[g] *Scholijs in lib. I. Ligurionū & Scholijs ad. xij. lib Auſtriados Richardi Bartolini.*

Hieronymus Gebuilerus.

[h] *Lib ij Epit. cap. x. & xi. Volfgangus Latzius.*

[i] *Commen. lib. i. cap. v.*

iuniorem vero ex reginâ nomine Theodoricum, ipſumq́; cum auiâ ſuâ Brunechilde in Burgundiam in regnum Guntrami magni regis direxit. Brunechildis vero quotidie peiora conſilia ipſi Theodorico miniſtrabat, dicens, Quare negligis, & non requiris theſaurum patris tui, ac regnum eius de manu Theodeberti vindicas cum ſcias eum non eſſe tuum fratrem, quia in adulterio de concubinâ patris natus eſt. Hæc audiens Theodoricus, fero vterat corde, magnum exercitum contrahit, contra Theodebertum germanum dirigens ad Tolbiacum caſtrum. Vbi fortiter pugnantibus Theodebertus læſum cernens exercitum ſuum in fugam conuerſus Coloniam ciuitatem ingreditur. Et ſubdit, confuſis quæ prius narrauerat. *Theodoricus cum perueniſſet Tolbiacum cum exercitu, Arduennam tranſiens, Theodebertus frater eius cum Saxonibus, Thoringis, ac ceteris gentibus quas poterat vndiq; vltra Rhenum adunare, contra Theodoricum Tolbiacum perrexit, ibiq; denuo commiſſum eſt proelium.* &c. *Captus eſt Theodebertus in ipſo proelio, & vinctus Cabillonem deſtinatur. Filius eius Meroueus paruulus iuſſu Theodorici apprehenſus ad quamdam petram percutitur; qui, cerebro contuſo, & capite fracto, emiſit ſpiritum. Sigebertus vero filiorum maximus, quorumdam conſilijs, reparatis viribus, in territorio Campaniæ Catalaunenſis agri ſuper fluuium Coxona veniens cum Theodorico ſimul, & Chilperico certans ſuperatus aufugit.* Et iſta quoq; ipſius Latziq́;. Ipſum [k] Michael Eintzingerus, [l] Pontus Heuterus, [m] Ioãnes Raſſius, [n] Gerardus de Rhoo, [o] Valentinus Rotmarus, [p] Ioannes Engerdus, [q] Iacobus Keraſtlitus, alij pene recentiores omnes ſequuntur.

k Latzij ſectatores. Theatro principũ.
l Libello de Habsburg. origine.
m Geneſi Auſtriaca lib.
n Annaliũ Auſtr. lib. i.
o Carolidum lib. i. & alibi.
p Synchariſtico.
q Chronico apographo D. Trutberti.

EA QVOQVE CONFVTATVR. Cap. IV.

SED hæc Latzij, & illa Trithemij, reliquorumq́; eiuſdem ſectæ, quam incerta, ignara, incognita, falſa ſint,

omnes

omnes vident. Quid enim rei eſt, aut cauſſæ Sigebertum auctorem, & patrem gentis Habsburgienſis eſſe, quod Theodebertus pater bello cruento cum Theodorico fratre decertârit? quod Sigebertus ipſe, reparato exercitu, ex acie victus Coloniam effugerit, aut etiam ad cognatos in Franconiam euaſerit? quod poſtremo eximiæ pulcritudinis ſororem habuerit? Quamuis quod de hac quoq; Sigeberti exercitus reparatione, pugnâ, & fugâ refert Latzius ipſe, Heuterus, alij, falſum eſt, neq; ex bono vllo ſcriptore probabitur. Non enim ille Sigebertus qui prope [r] Coxoniam flumen cum Clothario II. conflixit, & poſtea a ſuis proditus, cum fratre Corbo interfectus eſt, Theodeberti, ſed Theodorici fratris filius nothus [ſ] fuit. Et quæ ex Gregorio verba in teſtimonium fert, ſuo ex ingenio adfert, lectorem ludit, publico fraudem facit, Gregorio iniuriam, ſe fabulam. Satis enim ex chronico Sigeberti, & alijs ſcriptoribus conſtat, Turonenſem Gregorium hiſtoriam Francorum non niſi ad A. D. N. IↃ. XCIII. [t] protuliſſe, quo quidem tempore regnabat Childebertus, viuebat Theodebertus eo genitus: Sigeberti vero nepotis, Habsburgienſium, vt volunt, auctoris, nulla adhuc memoria, aut forte vſura lucis, nec de eo proinde, vt belli nouo inſtauratore, & duce, Gregorium ſcribere potuiſſe. Sed vt hæc omnia quoq; ſint; at enimuero nuſquam Sigebertum in Franciam Oriẽtalem fugiſſe, & apud cognatos latuiſſe: nuſquã a Lothario ducatum Allemanniæ ſuperioris, ſiue Heluetiam accepiſſe; nuſquam diadema, & cetera regni vſurpare prohibitum eſſe, Gregorius, vel Aimo, quem Annonium vocant, aut veterum alius memorauit. Vt nullum dubium ſit, quem Sigebertum Tranſiuranũ ducem Trithemius, Menlius, Latzius, alij faciunt, & vnde Habsburgienſes ducunt, in rerum naturâ extitiſſe numquam, aut cum fratribus ce-

[r] *Alij Axonam vocant, & Ararim interpretantur, alias Sangonam, nunc Soſne. Ego Soiſſionenſis agri amnem credo.*

Clarum ex Appendice ad Gregorium [ſ] *Turonenſ. cap. xij.*

[t] *Chron. Sigeb. ad eumdem annum IↃ XCIII. Auctor chronici Burgundionum.*

C 2. teris.

Sigebertus Habsburgiẽſium auctor ſecundum Latziũ, & alios, fabuloſus, aut, antequam gigneret, interfectus, & in hac opinione pleriq; ſcriptores.

teris abſq; ſubole eſſe trucidatum. Et in hac reliqui bonorum ſcriptorum recentium, veterumq; ſunt fermè omnes opinione. Conueniunt in illâ barbarâ omnium Theodeberti filiorum internicione. Ita Rhegino, Sigebertus. Ado, Gaguinus, Nauclerus, chronici Burgundici ſcriptor, quiq; annales Franciæ linguâ vulgari compoſuere Nicolaus Gillius, Bernardus Girardus Haillanus, Gulielmus Paradinus, alij. Nec aliter Paullus Aemilius cui priuata, publicaq; regni in manibus fuere, qui eadem etiam quæ de Brunechilde, fratrumq; odio, & exitio, haut perinde vera omnia, quam tragicis fabulis decora arbitratur. Placeat ad hæc Franciſci Belforeſtij Franciæ Annalium ſcriptoris facile principis candor, & ingenium, qui ea, quæcumq; Latzius, & ceteri ſuper hac re architectantur, incerta, & ſine fundamentis, recta iudicio, & animo, quoq; confirmauit: hanc nobiliſſimæ, & potentiſſimæ HABSBVRGIORVM familiæ famam, & gloriam, ſuper inſitam Gallicę gentis ambitionem, & vanitatem, non neglecturus, ſi quâ ratione Francis vindicare potuiſſet. Eius ex magnis Annalibus Gallica traduxi verba. [u] *Talis finis fuit*, inquit ille poſtquam Theodeberti necem, & filiorum narrâſſet, *Theodeberti regis Auſtraſiæ miſerabilis, & eius liberorum. Et quandoquidem Sigebertum euaſiſſe dixi, filios quattuor habuiſſe oportet, nempe Sigebertum, Guntramum, Clotharium, & Meroueum, quorum tres cum Brunechildis trucidauerit, ſciendum porro, quid quarto factum ſit, ſecundum opinionem eorum qui familiam regiorum AVSTRIÆ principum moliuntur, Supra quæ vobis Volfgangum Latzium citabo, qui lib. i. Comm. Auſtriæ de eâ re ita loquitur, mentionem faciens ducum Auſtraſiæ ſub rege Clothario ſecundo. Hic eſt Clotharius qui filio ſuo Dagoberto ex Bertrude prognato adoleſcenti etiamnum tractum Arduennæ ſub Ducatus nomine; deinde vero cum is Saxones viciſſet, iam ſenio*

[u] *Lib. i. cap. xxix.*

nio

nio confectus, Auſtraſiæ etiam regnum commiſit; vocatoq; ab exilio Sigeberto Theodeberti quondam Auſtraſiæ regis apud Coloniã Vbiorum inſidijs Theodorici regis Burgundiæ germani fratris occiſi, qui in Oſtfranciâ aliquamdiu apud Virceburgum latuerat, ſub tutelâ Gundoaldi, & Gotofridi propinquorum ſuorum, Herpone tranſiurano duce, occiſo, ducatum eidem tranſiuranum beneficio conceſſerat vnde Habsburgi principes, ac Auſtriæ Archiduces deriuamus. Intelligitis quæ de hoc principe Latzij opinio fuerit, vti & de ceteris eius, familiæ. Quamuis veteres omnes, communi adſenſu confirment, omnes Theodeberti liberos à Theodorico interfectos, qui neminem eius mortis vltorem vellet. Quæ quidem multis cogitandi anſam præbebunt, Latzium, reliquoſq; auctores recentiores, ea perſuadere voluiſſe, abſq; aliquo antiquitatis fundamento, quo opinionem ſuam firmarent, quandoquidem apud priſcos de hoc Sigeberto nihil legitur, vti neq; de eius in Frãconiam fugâ. Attamen ne quis arbitretur me omnino ea quæ ſcribunt repudiare, quaq; ratione ex Merouingis antiquitatem Auſtriæ ſtirpis ſtabiliunt, genealogiæ ſeriem, qualem depingunt, vobis repræſentabo. Admonitos nihilominus volens hancce vobis narrationem, non vt pro re certâ habeatis, a me proponi, quandoquidem illi ipſi, qui eius ſunt auctores, non audent dicere, quis iſte fuerit dux Sigebertus, ſuntq; qui dicant Meroueum illum, quem diximus, à Brunechilde necatum, fuiſſe qui euaſerit, & familiæ Auſtriacæ originem fecerit. Alij a [x] *Carolingorum temporibus ſumunt, traduntq; Griphonem Pipini Breuis filium fuiſſe Ducem Burgundiæ, duodecim comitatus poſſediſſe, ijs in partibus, vbi nunc ſunt Heluetij, dediſſeq; originem Marchionum Habsburgienſium Domui. Quæ tanta ſententiarum diuerſitudo hiſtoriam plane ſuſpectam, & dubiam faciunt.* Hæc Belforeſtius ſincerè & cordatè, vt talem decebat. Quod ſi adeo is Sigebertus Ducatum Vltraiuranum, ſiue Helvetiæ partem, regiâ liberalitate tenuit, mirum iure oriatur, cur Ducis nomine

poſito,

x Ipſemet Latzius lib. I. cap. v comm. quem ſatis clare refutat auctor Burgund. chr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

poſito, Comitis, & Habsburgienſis tam cita induerit ipſe, aut poſteri: cur Habsburgienſium nemo Franciæ regibus ſacramentum dixerit, patronos bello, pace agnouerit. Imo cum ea omnia ita ſe habeant; vnde tamen conſtet inde Habsburgi comites, & ab eo Sigeberto oriundos. Quaſi vero, quia tranſiuranus ipſe fortè Dux Habsburgios ideo genuerit, aut non plures eodem Ducatu fuerint comites opibus ſane dicere auſim valentiores, vt non ſucceſſione, & ſucceſſu, qui pari ratiocinatione eamdem ſibi vindicare originem potuerint, aut iuſtius debuerint? Id profectò ex Aimone monacho compertum [y] poſteaquam Lotharius, Theodeberto interfecto, & Theodorico exſtincto, omniũ potitus eſt, Ducatui Tranſiurano præfeciſſe Herponem; cui poſtea Arnobertus ſucceſſit; dein Flaucatus. In Burgundiâ, & eodem Ducatu maximis opibus valuiſſe Alctheum, Vilibaldum, ſiue Theod.baldum, & Adelbertum, eius fratrem, de Sigeberto nulla cum ſit mentio, quem præterire, vtpote regiâ ſtirpe oriundum, &, vt volunt, totius regionis Ducem, nõ potuit Aimo, certè non debuit. Quod etiam aduerſùs Sundheimium, & Menlium, Stabius [z] animaduertit, & vtrunq; ideo, in certum, acerbius, an iuſtius increpuit. Eadem Pontum Heuterum animi diuerſum habuere, [a] vt cum Latzium adhæreret, Sueuis, aut Heluetijs ortos Habsburgienſes potius credere videatur. Nam Michael Eintzingerus [b] ad antiquas Vaſthaldi, Humbaldiq;, & Trithemij, & Gebuilleri, anileſq; fabulas reuolutus, veri, falſiq; ſecurior, cum ab Iul. Cæſaris imperio, & Anthario neſcio quo Sugambrorum regis filio, per multas generationes ad hæc tempora propagmen Habsburgienſe inflectitur plus ex vanitate quam veræ laudis adeptus eſt. Sed & ſæpius memoratus Latzius cum ſuo Trithemio, Menlio, & Gebuillero, ſententiæ diſcors, dum modo ab eodem Theode-

y Lib. iv. cap. v. hiſt. Franc. & ſeqq.

z Teſte Latzio. Comm. lib. i. cap. i.

a Libell. de orig. Habsb. cap iij.

b Theatro principum.

Scriptorum huius ſententia inter ſe diſſenſio.

Theodeberto rege Auſtraſiæ, & eius filio Sigeberto profugâ, & exſule; aut ab Attico Sueuiæ, & Elſatiæ duce: Imo & ab Griphone Pipini Breuis filio, vel deniq; ab Hugoberto Vltraiurano preſide, Habsburgienſes probabili ratione duci arbitratur, alij aliunde cogunt, & fingunt, omnia dubitando, ſingulorum fidem ademit. Par in eo inani loquentia quod ex gentilitijs Francorum regum nominibus Thietbrechto, Sigebrechto, Ramprechto, Childebrechto, Rathbrechto, Adelbrechto, ceteris originem inde Habsburgienſium Latzius firmare conatur, [c] quod in hac gente reperiantur, qui eadem nomina vſurpârint, qua ſi verò non adeo omnibus Germanis communia, & vulgaria fuerint, vtpote Germanica. Nam de inſignibus Habsburgienſium eiuſdem quoq; generis quod ait, [d] haut ita eſt. Si enim de Auſtraſijs regibus, & eorum ſcutis loquitur, ſatis conſtat, arma eos lilijs ſparſiſſe, vti alios eius ſtirpis Franciæ reges. Quamuis neq; hoc dum ſatis manifeſtum, & quæ primæ, & antiquæ fuerint Frãciæ regum armorum notæ docti adhuc requirunt, & curioſi, & requirent. Si de Burgundis: quod magis velle videtur, primi quidem, & a Francis exſtincti [e] felem in clipeo, aut Sciurum, libertatis monimenta, geſſere; itemq́; ſerpentem inuolutum: poſtremi qui regnum Romanis Imperatoribus, & Germaniæ regibus reliquerunt clipeum palis, vt vocant, purpureis, aureum tulere, veluti ex eorum Saloduri, Paterniaci, Agauni fundationibus certum eſt, Quæ omnia procul ab Habsburgienſium inſignibus. Cetera eiuſdem Latzij nugamenta refutare, quibus [f] omnes prope Germaniæ, Burgundiæ, Flandriæ, Lotharingiæ, Heluetiæ antiquas, & nobiliores familias Gebuilleri, an Menlij præpoſteram diligentiam, an adulationem æmulatus, Habsburgienſibus inſerit, & ijs oriundas adſerit, actum agere eſſet, aut numquam non agere. Per

Vana ex priſcis Auſtraſiæ regũ nominibus argumentatio.

c *Comment. lib. i. cap. v. & in præfat.*

Itemq́; ab clipei inſignibus.

d *Ibidem.*

Burgundiæ regum inſignia.

e *Hieronymus Bara de inſignibus parte vltimâ. Ludouicus Gallutius Memoriarum Burg. lib. ij. cap. xxxvij alib. vterq́; Gallicè.*

f *Toto pene Commentario primo.*

re. Per adfinitates, & cognationes pleriſq; connexos, imo hæreditate, conubijs, virtute deniq; maximam partem complexos non negauerim. Quod de Guntremo rege refert Trithemius, & eius liberis, contra omnium hiſtoricorum fidem eſt, & notitiam, qui nullos illi ſuperſtites faciunt, Clothario, & Clodomiro, tenerâ ætate, exſtinctis. Childebertum ideo adoptauiſſe ex Sigeberto fratre nepotem, qui vtrumq; hoc pacto Auſtraſiæ, & Burgundiæ regnum coniunxit, Theodebertumq; & Theodoricum, qui rurſus diuiſerunt, & ſeſe cõfecerunt, vt vidimus ſupra, propagauit. Eadem quoq; in re, & opinione, vt parum certâ, perincertum ſe oſtendit. Etenim quos Othoberto, primâ ex opinione, Sigeberti filio, & Guntrami nepoti tribuit filios, eoſdem Sigeberto in ſecundâ exſulę, & Theodeberti filio genitos memorat. Et de Habsburgienſium auctore primo perinde hæſitat, & vacillat. Luitfridum namq; facit primâ Ottoberti II. filium, primi nepotem Sigeberti Guntramo rege geniti pronepotem. In ſecundâ ipſum Ottobertum Sigeberto exſule, & reſtituto natum tradidit. Fictum quoq; eſt quod Menlius in Epitome chronici principalis memorat, Ottobertum Habsburgi comitem, Theodeberto Burgundiæ rege, Chilperici filio generatum, cum nullos ei Aimo filios attribuat, qui pluribus eiuſdem Theodeberti aliàs vitam, impiaq;, & ſacrilega facinora, & poſtremo necem notauit. g Sed vt Ottobertum eius falsò filium extitiſſe ſcribit Menlius, ita quoq; malè ipſum vocat Burgundiæ regem, & Theodoricum alterum filium, qui in eodem ſucceſſerit regno, reliquiſſe, h quam, eâ tempeſtate, Guntramus, non Theodebertus Chilperici tenuit. Tertiam eiuſdem Menlij opinionem, vti & Stabianam, idem qui retulit, vt ſuperius diximus, confutauit pluribus Volfgangus Latzius. Sundheimij, & Spiegelij manifeſta vanitas.

Paucula alia ſuper Trithemij opinione.

Item q; Iacobi Menlij.

g Lib. iij. cap. xij. & alib.

h Confutat quoq; Latzius lib. i. cap. v. & vi.

Et Sundheimij.

vanitas, & hiſtoriæ, genealogiæq; Franciæ inſcita inſcitia eſt. Neq; enim Chilpericus vllum vmquam Ottobertum prouinciæ regem procreauit omnium hiſtoricorum conſenſu; multo minus iſte Ottobertum Iuræ montis principem. Sed nec potuit; cum Prouincia ad regnum Burgundiæ pertineret, & per patricios regeretur, cui regno tum, vt prædiximus, Guntramus præerat, non frater Chilpericus, multo etiam minus filius Chilperici Ottobertus, aut, vt alij, Theodoricus. Seri Prouinciæ reges, & non niſi ſub Carolinis. Eadem ratio eorum qui Hugoberti, aut Attici ſtirpem Habsburgienſes volunt. Præter enim meras coniecturas, an fabulas, nihil adferunt, eas neq; firmant, nullis argumentis, nullis auctoritatibus fulciunt. Quaſi vero quia dux Tranſiuranus Hugobertus, ab eo Habsburgienſis comes Ottobertus: aut quia Elſatiæ Atticus Landgrauius, quod tamen etiam dubium, neque vlli ſatis hactenus probatum, Attici Habsburgienſes poſteri, quia Elſatiæ Landgrauij. Poſtremo id enimuero clarum, & abundè probatum, neq; Sigebertum Theodeberti Auſtraſiæ regis, fratris Theodorici crudelitate contrucidati, quem volunt, filium HABSBVRGIENSIS ſtirpis fuiſſe propagatorem, & tantæ Domus columen, & fundamẽtum, neq; Chilperici Theodebertum, aut Ottobertum Theodorici. Incertos pariter, & nullâ hanc partem auctoritate, & fide, qui ab Hugoberto, aut Attico ducibus deducunt, multo magis qui ab regibus Guntramo, aut Hilderico, & non diſpari ratione, at fronte meliori, poſſe ſperni omnes, & reijci quâ ipſi inſcitiâ, impudentiaq;, & peruicaciâ quidlibet negare, adſerere, confirmare, fingere non ſunt reueriti, Cæſaris optimi Maximiliani gratiâ, & benignitate abuſi fædius, dubito, an arrogantius. At mihi de te, RVDOLFE Imperatorum prudentiſſime, certa ſpes, gratiora tibi futura ea, quæ ſolido fun-

D damento,

damento, & indubitatis veterum ſcriptorum teſtimonijs attinentur, & demonſtrantur, quamuis fortaſſe haut ita in vulgum ſplendida, & magnifica, inanium manifeſtum, & integritatis, canæq́; virtutis, & nominis incurioſum; quam ficta, & fabuloſa, ex incerto, & vano petita, pompoſa licet, & plauſibilia. Igitur ad inſtitutum veniamus.

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACVM.

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

Liber Secundus.

VINDONISSENSES COMITES FVISSE, Qui ijdem Altenburgienſes, & poſtremo nouâ ab arce Habsburgienſes. de Vindoniſſa clariſſima quondam Ciuitatis antiquitatibus.

Caput Primum.

NON longius abeo. VINDONISSA ego oriundos, VINDONISSENSES COMITES dictos, & ALTENBVRGIENSES, poſtremoq́;, conditâ nouâ arce, HABSBVRGIENSES adſero, & probo. Sed de VINDONISSA primo pauca ex Antiquis.[a] Clara eius, & celebris priſcis, & Romanis ſcrip-

[a] Lib. i Antiq. Helu. cap. iv. & xi.

niſ ſcriptoribus memoria, vrbium Heluetiarum, ſicuti Aventicum, caput, & Epiſcopalis, vt illa, ſedes. Latere ſiniſtro Vrſam; dextro Arulam attinebat. Vtriuſque confluentis angulum complebat. Ponte Arulæ, cuius adhuc monumentũ, & reliquiæ ex commoditate opidum Bruck remanſit, hinc in Rauracos, & Auguſtam Rauracorum, Sequanos, Mediomatrices, & Germaniæ inferiora: alio ad Vrſam in Germaniam ſuperiorem, Rhetiam ſcilicet, Noricum, & Pannoniam, verſus Aquas, Vitodurum, Fineſq; & Arborem Felicem, itinere recto, dimittebat, pro quo nunc nauigij ad traijciendum vſus, locum TRAIECTVM VINDONISSENSEM nominant, clarum per hæc tempora quoque frequentiâ, & portorijs. Paullo infra etiam Lindemagus ex lacu Tigurino Arulam inlabitur. Ita trium totius Heluetiæ maximorum fluminum ad illam, & in eâ confluxus, Arulæ, Vrſæ, Lindemagi. Et inde ex omni regione concurſus, mercimonia, frequentia, opulentia. Nec Rhenus ipſe procul, in quem iunctim eadem tria flumina infunduntur.[b] Vix paſſuum millia ſeptem. Adeo vt nulla Heluetiarum, neſcio an & Germaniæ totius, vrbs, commoditate loci; ſed & vbertate ſoli, vini, graniq; feracis ad illam certare potuerit, vt non immerito admiratio ſæpius ſubierit, cum reliquarum vrbium, & opidorum quæ perdidere barbari, aliqua reparatio pene omnium exſtiterit, huius ne rudera quidem, niſi ſolo tenus, & præter nomen, paucaſq; caſas omnino nihil ſupereſſe. Numi omnis generis totis campis frequentiſſimè eruuntur, eorũ ferè Imperatorum quorũ temporibus maximè Vindoniſſa Romanis habita, & culta, aut rurſus reparata cum hoſtes euertiſſent, Neronis, Galbæ, Veſpaſiani, Traiani, Hadriani, Antoninorum, Maximiani, Conſtantij, Conſtantini, Gratiani, Valentis, aliorum. Vrnæ vero ſepulcrales nonnullæ adhuc

De Vindoniſſa ſitu.

Commoditatibus.

Traiectus Vindoniſſenſis.

Fluminum ad eam concurſus.

b *Apud Vicũ Confluentiam è regione Valdſhuetti opidi.*

Numi Vindoniſſæ reperti.

apud Campum Regis oſtẽduntur vico Vindoniſsâ ad confluentes ipſos Arulæ,& Vrſæ repertæ. Viſitur quoq; in angulo templi D. Martini,eodem vico,licet ægra,& fatiſcens, è ſaxo Mercurij effigies dextrâ marſupium ſiniſtrâ ſceptrũ tenens. Ad pedes adcubat hircus roſeâ coronâ redimitus, cuius interpretamentum, alijs clarâ eruditione viris, quæſitũ, & traditum. Eſt & ab altero ædis eiuſdem latere,niſi fallor, Gratiarum nexus. Apparent denique campo in patenti,intra tamen ciuitatis, vt credibile, moenia, amphiteatri veſtigia, ſiue potius, meo quidem iudicio, magnæ alicuius ædis. Neque enim fundamentorum quæ videntur amplitudo, vrbis magnitudini ad amphiteatrum reſpondere videtur, ſpatio contractiore, & ad capiundam tantam multitudinem parum capaci. Hæcq; ſunt vniuerſa quæ de Vindoniſsâ reperi monimenta, aut inaudiui. Cetera cuncta vis hoſtilis, tempus, incuria ſubuertit, hauſit, corrupit, an contemſit, pauca in monaſterij Campi regis fabricam vſus conuertit. [c] Prima tamen illi ex Romanis clades. Alienus Cæcina attulit, Vitelij Imp. dux belli. Pro Galbâ contra Vitellium ſtabant Heluetij. Ipſi Aquarum caſtellum, vulgò Badam opidum, ſuo milite, & ſtipendio tuebantur. Id ſtipendium rapuerat vna & viceſima legio. Ea iniuria perpulit Heluetios, vt literas, quas Pannonijs ad partes ſollicitandis, Germanici ſcribebant exercitus interciperent, qui ferebat centurionem, & alios militum in vincula raperent. Quod facinus non minus Cæcinam irritauit. Igitur legiones Germanicas omnium fortiſſimas, & formidatiſſimas intulit, inopinatò caſtellum inuaſit, diripuit, vaſtauit. Heluetij, eâ trepidatione, & caſu, Claudium Seuerum ducem fecere, gentem apud Vindoniſſam coegere, propugnamenta curauere. Sed ſiue longâ pace, & armorum deſuetudine, aut quia hoſtem ſe potiorem intelligebant, vel Galbæ

morte

Viro clariſs. & ampliſs. D. Marco Velſero in ſuis accuratiſs. & doctiſs. Vindelicis.

c Teſtatur fundationis libellus. Vindoniſſæ primam cladem intulere Romani.

morte iam ſero cognitâ, poſtremo, vbi Romanus ductor cum copijs adfuit, animis defecere, cæſi, fuſi, fugati ſunt. Luculentè, vt cetera omnia, Cornelius Tacitus de Cæcinâ, & hac ſtrage. *Irritauerant*, [d] inquit, *turbidum ingenium Heluetij Gallica gens, olim armis, viriſq; , mox memoriâ nominis clarâ, de cæde Galbæ ignari, & Vitelij imperium abnuentes. Initium bello fuit auaritia, & feſtinatio vna, & vicesimæ legionis. Rapuerant pecuniam miſſam in ſtipendium Caſtelli, quod olim Heluetij ſuis militibus, & ſtipendio tuebantur. Ægrè id paſſi Heluetij, interceptis epiſtolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem, & quoſdam militum in cuſtodiâ retinebant. Cæcina belli auidus proximam quamq; culpam, antequam pœniteret, vltum ibat. Mota propere caſtra, vaſtati agri, direptus, longâ pace, in modum municipij extructus locus, amoeno ſalubrium aquarum vſu frequens. Miſſi ad Rhetica auxilia nuncij, vt verſos in legionem Heluetios, atergo aggrederentur. Illi ante diſcrimen feroces, in periculo pauidi, quamquam, primo tumultu, Claudium Seuerum ducem legerant, non arma noſcere, non ordines ſequi, non in vnum conſulere. Exitioſum aduerſus veteranos proelium, intuta obſidio, dilapſis vetuſtate moenibus: Hinc Cæcina cum valido exercitu; inde Rheticæ alæ, cohorteſq;, & ipſorum Rhetorum iuuentus ſueta armis, & more militiæ exercita. Vndiq; populatio, & cædes. Ipſi in medio vagi, abiectis armis, magna pars ſaucij, ac palantes in montem Vocetij perfugere*. &c. Quâ in narratione licet Vindoniſſæ non meminerit Tacitus, ſed *intutam* ſolum fuiſſe *obſidionem*, *dilapſis vetuſtate mœnibus*, dubium tamen non eſt quin ea fuerint Vindoniſſæ moenia. Nam Caſtellum Aquarum non fuiſſe, inde patet, quod iam vaſtatum eſſet, cum de huius ruinoſis moenibus memorat, vt poſt Caſtelli populationem Heluetij multitudinem ſuam videantur feciſſe, idq; apud Vindoniſſam, Vrbem, illâ parte, ca-

d *Lib. i hiſtoriar.* *A. D. N. LXX.*

Campus latiſs. Birenfeld.

te, capitalem, campo, qui verſus meridiem latiſſimè patet, Birenfeld nunc vocant, belliq; in eâ conſilia, licet ob ſententiarum diſparitatem inutilia, inijſſe, & an muros intra hoſtem exſpectarent, conſultauiſſe; quod ſecurum haut perinde viſum, quando munimentorum ætas, & ruinæ obſidionem non tolerarent. Quæ omnia ad Aquas attingere non poſſunt, quæ, vt diximus, iam direptæ, & populatæ. Addo Vocetij mentionem, Voetzberg nominant,

Mons Vocetius Der Voetz, aut Voetzberg.

qui Iuraſſi pars, & principium, eq; ipſius Vindoniſſæ conſpectu, adeoq; proximus, ſolo omnino Arulâ interlabente, & montis radices, ſiniſtro curſu, perſtringente. Exiguum ſane inter vtrumq; locum Aquarum, inquam, Caſtellum, & Vindoniſſam interuallum, cuius illud veluti propugnaculum, neq; extra paſſuum millia ſex, viâ pene planâ, & campeſtri. Hæc clades, poſt Iulianam victoriam centum viginti annis, longe Heluetijs, & Vindoniſſæ acerbiſſima accidit, quâ non ſolum magnam libertatis partem illi perdiderunt, ſed etiam præſidia Romana accipere hæc coacta.

Præſidium Romanum Vindoniſſæ.

Confeſtim enim Vindoniſſæ præſidium impoſitum, non iam modo continendæ genti; ſed vſui quoq; in Germanos.

A. D. M. LXXI.

Auctor idem Tacitus, qui ſequenti ab hac vaſtitate anno, cum Ciuilis Batavi, & Germaniæ rebellionem, & bella narrâſſet, omnia vndiq; Romanorum hiberna incenſa, & exciſa memorat, præterquam Maguntiaci, & Vindoniſſæ. *Cohortium, ait,* [e] *alarum, legionum hiberna ſubuerſa, cremataq; ijs tantum relictis, quæ Maguntiaci, & Vindoniſſæ ſita ſunt.*

e Lib.iv hiſtoriar.

Vna & viceſima Legio.

Legionem vero eamdem vnam & viceſimam ibidem poſtea agitâſſe idem numquam tacendus Tacitus, alio loco, innuit, expeditionem vbi Domitiani in eoſdem rebelles refert. *Atq; interim,* [f] inquit, *vna & viceſima legio Vindoniſſâ: Sextilius Felix cum auxiliarijs cohortibus per Rhetiam irrupere.* Hinc eius amplitudo, & fama: Sed præcipuã dignitatem

f Eodem lib.

tatem attulit, inualeſcente per orbem Romanum Chriſtianiſmo Epiſcopalis in eâ collocata ſedes. Primus enim Vindoniſſæ Heluetiorum Epiſcopatus: primùm ibi B**EATVS** ſacerdos Anglus ab Apoſtolorum principe P**ETRO** cum ex Britanniâ Romam rediret, conſtitutus Epiſcopus. Antiquo in Conciliorum libro Epiſcoporum Vindoniſſenſium adhuc nonnullorum memoria. Sigiſmundus rex Burgundiæ concilium Epaoni [g] agitauit, in quo B**VBVLCVS EPISCOPVS CIVITATIS, ET CASTRI VINDONISSENSIS** interfuit. A.D.N. IↃ.IX. Childebertus quoq; Francorum rex, Clodouei M. filius, & Huldrada regina Aurelianum V. celebrauerunt xxviij. Octobris A.D.N. IↃ.LII. cui G**RAMMATIVS EPICOPVS VINDONISSENSIS** ſubſcripſit. Reperiuntur etiam ante vtrumq; P**ATERNVS**, & L**AVDO** Epiſcopi Vindoniſſæ ſub primis Burgundiæ regibus. Reliquorum ab Beato nomina, & ſucceſſionem fœdæ, & cruentæ Chriſtiani nominis perſecutiones aboleuerunt, igne exſtinctis, Imperio Diocletiani, & Maximiani denique omnibus pene Chriſtianæ pietatis monimentis. Childebertus. II. Auſtraſiæ, & Allemanniæ rex, cum morte Gutrami patrui, & eius adoptione regnum quoque Burgundiæ ſuſcepiſſet, multiq; per Allemanniam, Tigurino pago, circaq; Brigantinum lacum, & Vindelicos, Vlmam vſq; Chriſto nomen darent, neque Epiſcopum haberent, Cathedralem ſedem Vindoniſsâ Conſtantiam tranſtulit, locum totius illius tractus pene medium, A. D. N. IↃ.XCVII. regni ſui Auſtraſij XIII. Burgundiæ I. Neq; tamen Vindoniſſæ ſic quoq; auctoritas penitus antiquauit. Nam, eâ etiam tranſlatione, receptum nihilominus Vindonibus, ne iura, & iudicia Conſtantiæ peterent, ſed Epiſcopus potius Conſtantiâ Vindoniſſam veniret, aut Vicarium eò cum poteſtate

Vindoniſſæ ſedes Epiſcopalis.

Epiſcopi Vindoniſſenſes.

g *Beſine comitatus Burg. opid.*

Eius ſedis Conſtantiam tranſlatio. Vindoniſſentium priuilegia.

ſtate mitteret, qui iudicium daret. Acta Murenſis Monaſterij. *Cum abbas Murenſis benedicitur notam faciat Epiſcopo conſtitutionem huius loci. Populus enim iſte vadit ad condictum Epiſcopi, quo & ceteri eius pagi conuicanei vadunt, ſcilicet, ad Vindoniſſam, ibiq; ius Eccleſiaſticum audiet, & iudicium ſuſtinebit, ſicuti conſtitutum eſt omni ſanctæ Eccleſiæ.* Durauit is mos etiam A. D. N. CIↃ. C.XXXVI. ex eodem libello. Vindoniſſæ vero erat adhuc Decanus ſub Friderico Ahenobarbo Norgerus. Controuerſiam enim ortam inter Schoeniſij Rhetiæ Antiſtitiam, & parochum Volenſem Vindoniſſenſium ob decumas quaſdam cum Hermanus Epiſcopus Conſtantienſis compoſuiſſet numerantur inter eius rei *teſtes Conradus de Tegerfelde canonicus Conſtantienſis, Anſelmus abbas de Mure, Norgerus decanus de Vindoniſſâ.* &c. *Facta ſunt anno Dn.* 1181. *Ind.* 3. *præſidente ſedi Apoſtolicæ papa Lucio.* 3. *Aduocato clauſtri* Schoeniſij *Friderico Imp. Auguſto.* Atq; hactenus quidem de Vindoniſſæ antiquitatibus, & claritudine vetuſtâ.

DE VINDONISSÆ EXSCIDIO poſtremo, Caſtro Vindoniſſenſi, ſiue Altenburgo, & in eo Romanâ legione, Comitumque primâ origine, & quomodo Habsburgienſes Romanæ ſtirpis videri poſſint.

Caput Secundum.

MVLTA ſub Romano Imperio, & interea perpeſſam ab Germanis, & Allemanis præcipue VINDONISSAM, poſtremo ſub Diocletiano, & Maximiano Impp. funditus peruerterunt, & præſidio exſciſo, aut profligato, vaſtatis omnibus, Allemanni ad Lingones vſq;, & Aeduos populabundi euaſerunt. Illis ad ea

Vindoniſſa exſcidium.

loca

loca obuius [h] Conſtantius Cæſar miſſu Imp. Maximiani primo improſperè; mox feliciter proelio defunctus, ad Vindoniſſam rurſus repulit, collectosq́; ibidem, campo ſupra memorato, magnâ ſtrage adfecit, totaq́; Galliâ Rhenum vltra profligauit. Vnde Panegyriſtes. *Quid memorem Lingonicam victoriam, & Imperatoris vulnere glorioſam? Quid Vindoniſſæ campos hoſtium ſtrage completos, & adhuc oſſibus opertos?* Vindoniſſam reſtituiſſe idem Conſtantius Cæſar creditur, ſed in CASTRVM. Vnde libello prouinciarum, paullo poſt, vt pleriq; credunt, confecto, & edito, inter prouinciæ Maximæ Sequanorum ciuitates ponitur CASTRVM VINDONISSENSE. Et hinc quoq; poſteris nomen ALTENBVRG Caſtrum vetus, cum vniuerſa gens Vindones, & Vindoniſſenſes, & Epiſcopi Vindonum, Vindoniſſenſiumq́;, vt vidimus, ab antiquâ Ciuitate, licet excisâ, dicerentur. ALTENBVRGI ſiue CASTRI VINDONISSENSIS adhuc reliquię paullo ſupra Pontem Arulæ, dextrâ fluminis ripâ, quo perſtringitur. Eius ambitus, quantū rudera oſtendunt, capax quondam, & amplis moeniorumq́; moles incredibilis, latitudo muri quibuſdam locis, pręſertim ſecundum amnem, ad pedes ſedecim, ouali facie, vti ferme omnia Romanorum caſtra, quorum in Helueriâ ſuperant veſtigia, & fundamenta, Vitoduri, Finium, Gaunoduri, Saloduri, Auentici. Aliquot ruſticorum ædes, eodem ambitu, & villæ modo includuntur; cetera pratis fructiferarum arborum fæcundis coluntur. Ibidem paſſim numi antiqui, lapidesq́; Romanis literis inſignes, aliaq́; vetuſtatis, & priſci cultus monumenta reperiuntur, & quotidie pene eruuntur, quorum partim copiam ſequentibus faciemus, alios alibi vulgauimus. Sed, vt eo redeamus, non ſolum Caſtrum Vindoniſſenſe condididit, ex antiquæ Ciuitatis ruinis Cæſar Conſtantius, ſed

E etiam

[h] A. D N. CC XCIV. Eutropius breuiario ix.

Conſtantij Cæſ. apud Vindoniſſam victoria.

Caſtrum Vindoniſſenſe. & Altenburgienſe.

Altenburgi ſitus, reliquia, amplitudo, Romana monumenta.

Vitodurum ab Cõſtantio quoq; reſtitutum.

etiam Vitodurum, XXIII. P. M. ab eo, & quam de ſe nominauit Conſtantiam, adeoq; toto Rheno, & Danubio, Romana caſtra, hibernaq; reparauit, aut noua inſtituit, Galliæq;, & Germaniæ limites veteres firmauit. Caſtro Vindoniſſenſi, ſicuti ante Ciuitati, legio vna relicta, ad extrema prope ruentis Imperij tempora. Argumentum ex Itinerario, cuius auctorem poſt Conſtantinum M. Conſtantio, de quo diximus, genitum, egiſſe, ſcripſiſſeq; coniectantur, quod Byzantium, Conſtantinopolin interpretatur, quamuis non deſint, qui id gloſſema [i] putant. In illo libro Vindoniſſæ ſemper vna legio. Imò itinere illo quod ab Sirmio Treueros eſt, non Caſtrum, aut Ciuitatem, ſed à Finibus [k] VINDONISSAM LEGIONEM nominat, tranſlato in ipſam Ciuitatis vocabulo, aitq; diſtare XXXV. P. M. rectâ, & exactâ computatione. Legionis nomen, aut vocabulum, vel numerum non addidit, aut ſcriba omiſit. Superius Vnam & viceſimam legionem Vindoniſſæ egiſſe poſuimus, ſicuti Iuſtus Lipſius omnis antiquæ virtutis, & eruditionis lumen, & columen Notis in Tacitum emendâſſe ex hiſtoriâ videbatur. Vulgata editio Vndeuiceſimam ferebat. Vtriq; repugnant inſcriptiones militares quæ plures Vindoniſſæ repertæ, & reperiuntur. Illæ ferme LEG. XI. G. P. F. meminere. Caſtro Vindoniſſenſi iſta iam ante annos plures eruta, & notata.

Legio vna R. Caſtro Vindoniſſenſi.

i Hieronymus Surita in ſuo erudito comment.

k Pfin viculus nunc ad ripã Tauri dextram.

De eiuſdem legionis numero quæſitum.

L. VEGNATIO.
PO. MAXIMO. DO.
FOR. COR. MIL. LEG.
XI. G.P.F. GVSORIVS.
ANN. XLVIII. STIP. XX.
H. S. E.
G. ROSCIVS. OMPHA
LVS. HER. FAC. CVR.

Hanc

Digitized by Google

Hanc vero nuper apud Campum Regis ex eodem Caſtro, ſiue Altenburgo, haut multo ante allatam, cum ruſticus, qui ibi habet, hortum moliturus eruiſſet, exſcripſimus.

C. VALERI
VS. C. F. VOL.
CAMPANVS
VIENNA. MIL.
LEG. XI. G.P.F.
—OLNI— ANNO. XI.
STIP. XI. T. FE
C. COMINIVS.
NEMAVSVS F.
F. C.

In eâ qui characteres innouare conati ſunt, iam quædam corruperant, adeo plus præpoſterum quorumdam Sciolorum ſtudium, an temeritas antiquæ lapidis memoriæ nocuit, quam longi temporis ætas, & ſuperiorum barbaries hominum. Iſtam quoq; ad ſacram ædem Geberſdorffi vico prope Vindoniſſam, alterâ, ſiue Vrſæ ripâ dextrâ eodem tempore notauimus.

M. MAGIVS. M.F. PO. MA
CRIVS. VERONA. MIL. LEG. XI. G.P.F.
MARCI. MODESTI. ANNO. XXXIII.
EX. TESTAMENTO. H.F.C.
LENNIVS. SECVNDVS.
Q. ROMANVS VERECVNDVS.
H. S. E.

Ex quibus facile induco animum Vindoniſſæ fuiſſe LEG. XI. G.P.F. & librariorum oſcitantiâ in Vndeuiceſimam tranſiſſe, ex eaq; per numerorum facilem lapſum Vnam & viceſimam deniq; procreatam.

Ceterum Legioni præſidebant legati, tribuni, poſtremo *Legionis præſides.*

De Comitum origine, munere dignitate.

De off. præf. l. 46. de off aſſ. l 4. de exc tut. lib. 5. de pœn. l. 5. ad leg. Iul. rep. l 1. de extr. cogn. Suet. Iul. Tib. alib Plin. li 9. cap. 3. Caſſiod. lib. 6. & 7. alij.

Comites. Et Comites quidem ab antiquo, qui prætores, proconſules, præſides in prouincias comitabantur, negotiorum publicorum adiutores, & miniſtri, extremo etiam adſeſſores, & iuris arbitri, quorum proinde in Pandectis, & auctoribus priſcis multa mentio. Conſtantinus M. cum pluria Imperij muráſſet, orbem vero vniuerſum Chriſtianâ charitate, & beniuolentiâ complexus eſſet, Comites poſtea pro ſocijs in adminiſtratione reipub. habuit, quos ideo non ſolum priuatis in negotijs, & cõſilijs adhibuit, quales erant comites Sacri palatij, Sacrarum largitionum, Domeſticorum, Scutariorum, alij, ſed copijs, exercitibus, vrbibus, prouincijs præſidere voluit, quibus plures vt honeſtaret, *Comitum alios in primo ordine collocauit, alios in ſecundo, alios item in tertio.* Euſebio teſte. [l] Inde & comitiuâ primi, ſecundi, tertij ordinis inter primas, & eximias dignitates, & officia fuit. Imo qui primâ præditus, in legione præfectus, & prolegato erat. Vegetius. [m] *Proprius autem iudex erat præfectus legionis habens comitiuam primi ordinis dignitatem, qui, abſente legato, tamquam vicarius ipſius poteſtatem maximam retinebat: tribuni, centuriones, ceteriq; milites eius præcepta ſeruabant.* Quamobrem non niſi ſpectatâ virtute, & rebus per prouincias præclariter adminiſtratis, in laudem, præmiumq; dabatur. Iuſtinianus Imp. [n] *Qui contemplatione meritorum, ducto intra prouincias marinas ſtrenuiſſimo milite, primi ordinis comitatiuam fuerint conſecuti.* Prouincijs enim, & vrbibus, vt diximus, defendendis plerumq; præficiebantur. Idem [o] Imperator. *Eos qui ſub comitiuâ primi ordinis dignitate, peculiariter ad quamlibet prouinciam, aut prouincias defendendas, milite credito noſtri numinis, deſtinantur.* Qui proinde proconſulum ornamentis donabantur. Tali nomine ferme militiæ duces apud Ammianum, Capitolinum, reliquos Scriptores eorum temporum, quibus

l Lib. iv. de vitâ Conſt. cap. i.

Alciatus de magiſt

Libellus de dignit. vtr. uſq; Imp

m Lib. ij. cap. ix.

n Codd. lib. xij. cap. i.

o Eodem li. cap. ij.

Imo Comites non ſunt aliud quam regij Capitanei, vt vocamus, ſiue exercitus ductores generales. & Campi Magiſtri.

etiam

etiam id honoris Imperatores ferebant, vt non ſolum Illuſtres, & Spectabiles nominarent, ſed etiam Fratres. quod ex pluribus Nouellis quilibet videre poteſt. LEGIONI Vindoniſſæ, vt alijs, Comites, arbitror, præfuere, dum Romani Imperij Maieſtas fuit. At vero cum deniq; Burgundi Sequanos, Aeduos, & eam Heluetiæ partem in quâ etiam Vindoniſſenſe Caſtrum, quamq; ſuo nomine ad ceterorum comparationem Burgundiam Minorem dixere, armis occupauiſſent, non illi, vt aliæ, eodem tempore barbaræ, & feræ, alijs in regionibus gentes, & nationes, Romanos milites, aut duces, & Comites expulerunt, aut ex radicibus exſciderunt, ſed potius in regni, & reipub. Societatem, & communionem, quamtumuis victos, aut deditos, adſumſere, omniaq; adeo munera, & officia promiſcua, & paria vtrimq; inter ſe eſſe voluerunt, nec alterutram, abſq; alterâ, gentem præeſſe, aut iudicare. Rarâ, & memorabili gentis victricis modeſtiæ famâ, & laude. Adfirmant Gundebaldi regis leges, quas ex procerum Burgundorum, Romanorumq; ſententiâ edidit, regni ſui Anno II. iij. Kal. Aprilis. Vbi inter cetera ſancit. *Sciant optimates, Comites, conſiliarij domeſtici, & maiores Domus noſtræ, & conſiliarij tam Burgundiones, quam Romani Ciuitatum, & pagorum comites.* Romanos vocabant Burgundi, ſicut etiam poſtea Franci, qui eas, antequam ipſi inuaderent, obtinerentq;, rexerant, & habuerant terras, vt ex iiſdem legibus, & Salicis liquet pluribus locis. Mox inter cetera edicit. *Nullam cauſſa[m a]bſente altero iudice, vel Romanus Comes, vel Burgundio iudicare præſumat.* Vbi etiam Comes pro iudice, ſicuti ſuprà, pro vrbium, & pagorum, ſiue regionum gubernatore, & præfecto, aut qui iuriſdictionem habet, & imperat. Vſurpârunt ſic quoq; Franci antiqui, p quos gētilitio nomine grauuen dicebant, ex canitie, & ætate, quod non

Nouell. 121. de patr vel dem Nou. 3 de Palat ad Flo. de amb & loc liuie de princip ag. i reb. alib Caſſiod. lib. 6. variar.

Burgundi Caſtrū Vind in ſuam poteſtatem redegerunt. A D. N. CD VI. Caſſiod chr. Preſp. chr.

Nationes, ſiue populos quos ſubegerunt in conſortium reipub. adſumſerunt.
Officia, & leges, & iudicia communia ſtatuerunt.

LL. Salicarum. Burg. Allem libellus.

Romani qui fuerint in ij legib.

Comes pro iudice, qui iuriſdictionem habet.

p Greg Tur. lib. vij cap ij.

Grauuen Comites dicti.
Francis, & vnde, grauiones
q *Capite LV.*
r *Lib. v. hiſt. Lang. cap. xxxvi.*
ſ *Cap. XLI. & LXXIII.*
t *Præcipue de pace tenendâ*
Landgrauij.
Marckgrauij.
Pfaltzgrauij.

non niſi multæ experientiæ, & prudentiæ ad id muneris ſumerentur. Ripuariæ leges. q *Si quis iudicem fiſcalem, quem comitem vocant, interfecerit*. &c. Paullus hinc Diaconus, r & Continuator Gregorij ſ Turonenſis Grauiones Latinâ inflexione pronunciârunt. Nec poſterioribus temporibus Fridericus Ahenobarbus ſuis in Conſtitutionibus t aliter fere Comites quam pro iudicibus dixit. Eâdem origine Landgrauij, prouinciæ alicuius comites, iudices, præſidesq́; : Marckgrauij, limitis comites, & defenſores, Pfaltzgrauij Palatij comites, qui & Maiores domus, & Præfecti, Rectoresq́;, & Gubernatores, principesq́; palatij antiquis Scriptoribus Aimoni, Eginhardo, Fornandi. Poſtremo

Quilibet præfectus Comes.

quilibet præfectus Comes adpellari coepit; Comes ſtabuli, comes domeſticorum, comes Scutariorum, qui equili regio, qui familiæ, qui cuſtodiæ principis præſidebant, etiá

Comites celeuſtæ.

Nauarchi vt ad illud Homeri. Εἷς δέ τις ἀρχὸς ἀνὴρ βυληφόρος ἔστω pluribus Euſthatius. Nunc quoq; triremis præfectum, qui ſcilicet totius remigij curam gerit Comitem vocant. Sed Burgundionum, vt ſupra etiam diximus, illæ leges regum, facilè me inducunt vt credam, qui prius apud Romanos, & ijs imperantibus Comites vrbium, & prouinciarum, regionumue fuerant, eadem ferme omnes in dignitate, & adminiſtratione apud eos rerum, & prouinciarum, quas retulimus poſitos, & victores permanſiſſe, & VINDONISSAE, ſiue CASTRI VINDONISSENSIS COMITEM qui prius LEGIONI, & præſidio præfuerat Vindonum eumdem parti aut omnibus imperitâſſe. Quæ magis vt credam inclinat animus quod vicina præſidij Vindoniſſenſis milites loca eodem tempore occupâſſe, inſediſſeq́; perſpectum habeo, liberèq; eadem pluribus retro ſeculis poſſediſſe poſtea ſin Oſtenſurus, u donec in eorumdem deniq; comitum Vindoniſſenſium dominiú, vnde ſe ſubduxe-

Romani Comites in eadē apud Burgundos victores dignitate, & adminiſtratione.

u *Libro. IV.*

duxerant, reciderunt, aut potius quibus ante paruerant, ijſdem ſeſe dedidere. Non erant, fateor, à principio perpetuæ illæ adminiſtrationes Comitum, & in ſtirpem, ſiue hereditariæ, poterant tamen eſſe, vtpote quæ arbitrio principum darentur, adimerentur, veluti gubernamenta. Vnde argutè magis, quam verè etymum Comitum notâſſe videtur Aimo, [x] *quod ijs vrbes, & regiones committerentur.* Singulis enim fere ciuitatibus, & vrbibus, imo caſtellis, ſui comites, tamquam rectores. Ad quæ Paullus Aemilius eloquentiæ, & fidei præclarus. *Duces,* inquit, [y] *initio, comitesq; ab regibus præficiebantur gentibus, ciuitatibusq; ac, cum videbatur, dimittebantur. Deinde inueterauit conſuetudo, vt, niſi ſceleris conuicti, abire imperio non cogerentur, idq; poſtremo, vt quiſq; eo munere donabatur, iureiurando regum cauebatur.* Primus, poſt Burgundos, Franciæ regum qui ſe hoc iuramento obligauerit, fuiſſe videtur Clotharius II. cum Theodeberto Auſtraſiæ rege interfectos, & Theodorico Burgundię ſublato, rerum ſummã conſecutus eſſet, Verneti quidem, & Radonis, quorumdamq; aliorum Burgundiæ, & Auſtraſię procerũ operâ, & opibus, quos ideo in meritum, conditionemq; ijſdem prouincijs præfecit, Aimone teſte. [z] *Clotharius,* inquit, *monarchiã regni adeptus Varnarium, cuius inſtantiâ regnum fuerat adeptus, maiorem domus in ipſa conſtituit regno; dato ei iuramento, ne cuncto quo viueret tempore ſucceſſorem acciperet.* QVOD ſi eatenus deniq; HABSBVRGIESES, ſiue VINDONISSENSES Comites Româ oriundos adfirmant quatenus Vindoniſſæ, & Caſtri Vindoniſſenſis Comites, & Præfecti Romani fuere, ſiue à principio Romanorum Imperatorum, eo in loco, gubernatores, & miniſtri, non longe fortaſſe a vero receſſerint. Et animi fallor, aut ea Vlici Krieg, & Alberti Argentinenſis, & nonnullorum veterum, cum ita ſcriberent, neq; Romanæ

Prouinciarũ, ducatuum, Comitatuũ olim adminiſtrationes temporariæ, nõ hæreditariæ.

[x] *Comitis etymũ. Lib iv. cap. c xvi. & lib v cap i.*

Singulis olim vrbibus & caſtellis fere Comites.

Petrus Dinant Antiq Belg.

[y] *In Chilperico.*

Dati poſtea Comitatus & ducatus in vitam.

[z] *Lib iv. cap vi.*

Quo pacto Habsburgienſes Roma orti videri poſſint, ſiue ex Romanis.

Vulgus omnia Romana admiratur.

manæ hiſtoriæ cognitionem aliam haberent, mens, & opinio fuit, ſuper inſita vulgo, cui nihil admirabile, aut egregium, niſi ex conditoribus Romanis, aut auctoribus. Quamuis parum interſit, & per ea tempora ambigo plures Romani, an, vti ipſi primo vocabant, barbari, ſiue Galli, aut Germani, exteriue, rebus Imperatorum voluntate, & permiſſu, præfuerint, exercitus ductârint, prouincias adminiſtrauerint, vrbes, & caſtella inſederint, quod ex Cornelio Tacito, Dione, Ammiano, ſequentibus minorum gentium, vt ita dicam, ſcriptoribus facile quiuis intelliget. Imo non alij fermè legionibus Romanis, prouincijsq; Gallicis, alijsq; legati, præfectiq;, & Comites quam Galli, & indigenæ, florente adhuc, & firmo Imperio Romano. Oratio Cerialis apud Tacitum, ſub Veſpeſiano fidem facit, ad Lingonas, Treuerosq; Gallos rebelles habita. *Ipſi*, inquit, [a] *plerumq; legionibus noſtris præſidetis, ipſi has, aliasq; prouincias regitis, nihil ſeparatum, clauſumue.* Poſtremo id obtinuit, vt vbi Romanorum præſidia, hiberna, caſtra, maiorq; frequentia, Comites, pariter eſſent, ſupereſſentq;, multâ apud poſteros celebritate, & potentiâ. In Heluetiâ certe. Sic Vitoduri, (vbi quoq; præſidium, & vna contra Allemannos, & Ientienſes, Vindelicosq; legio, notante Itinerario,) COMITES VITODVRANI, aut VITODVRENSES, qui nouâ ab arce haut procul opidum, KIBVRGIENSES ſeſe poſtea denominârunt. Ab Aquis, ſiue Caſtello Aquarum AQVENSES: Arbore Felici ARBORENSES qui poſtremo ordinem exuerunt, & ad barones tranſierunt. Auentico AVENTICENSES; Rotundo Monte ROTVNDOMONTANI. Vindoniſſâ VINDONISSENSES. In Elſatiâ quoq; Comites ARGENTVARIENSES; Comites TRIBONENSES qui nunc Horburgienſes, & Kirchheimenſes. Milites enim Romani, & præſi-

Galli Romanis ferme legionibus, & prouincijs præfecti.

[a] *Lib. iv. hiſt.*

Comites ijs locis frequentes qua coluerunt Romani.

præſidiarij non ſua ſolum ſtipendia accipiebant, ſed limitares agros, aut ex hoſtibus captos colere, & in vſum vertere poterant, Valentiniani, & Theodoſij reſcripto, [b] ſicuti, & Duces, & Comites. Primus, credo, Imperatorum Alexander fuit qui permiſit, ſi Lampridio fides. Ita enim ipſe de eo. [c] *Sola quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus, & militibus donauit, ita vt hæredum eſſent, ſi hæredes militarent, nec vmquam ad priuatos pertinerent. Addidit ſane his animalia, & ſeruos, vt poſſent colere quod acceperant.* [d] Seruos nempe, & iumenta pariter ex hoſtibus. Vnde illa Probi Imp. [e] qui Galliam barbarorum tyrannide liberârat, & vltra Rhenum Imperij limites ad Nicrum, & Albam produxerat ad S. P. Q. R. *Omnes iam barbari vobis arant, vobis iam ſerunt.* &c. Paullo poſt. *Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & iuga Germanica captiua noſtris præbent colla cultoribus.* Caſtella, etiam, & territoria adiuncta Comitibus, & tribunis, & nonnunquam honoratioris militiæ ordinibus dabant Imperatores, aut ex eorum liberalitate, & conniuentiâ poſſidebant, vti ex Honorij, & Theodoſij edicto [f] liquere cuilibet poteſt.

Milites præſidiarios limitares agros, & ex hoſtibus captos coluiſſe, & poſſediſſe.
[b] *Codd lib. xi. cap. lix l. iij.*
[c] *In eius vitâ.*
[d] *Imò ea obtinebant, vt qui optimo iure.*
[e] *Vopiſcus Probo.*
[f] *Cod. eod. lib. & cap.*

DE VINDONISSÆ ANTIQVIS Comitibus A quibus Habsburgienſes. Cap. III.

DE Comitum ortu officio, dignitateq;, & VINDONISSA dictum ſatis. Non quod ego inde profecto, & ab primâ origine, & iure, quo Caſtrum tenuerunt Vindoniſſæ, HABSBVRGIENSES COMITES per gradus, & ſtirpes ad RVDOLFVM I. Romanorum regem, nunquam interruptâ ſerie, deducere, & contexere coner, aut ſperem, vanè, & perperam alij

aliunde tentauere. Mihi ſatis Vindoniſsâ progenitos, aut Caſtro Vindoniſſenſi Altenburgoue oſtendiſſe. Liber fundationis Murenſis, monaſterij, quem ego, præter inſtrumenta, vetuſtiſſimum, & certiſſimum auctorem ſuper hac re habeo, ſequorq; apertè LANDOLVM, aut LANCELINVM vocat Comitem ALTENBVRGI, ſub Othonibus, vbi de eius regionis incolis ante conditum Monaſterium adſerit. *Habuerunt*, inquit, *hîc quidam diuites, liberiq; homines curtim, quorum & ipſa Eccleſia fuit*, *qui rogauerunt* LANCELINVM COMITEM DE ALTENBVRG *filium* GVOTRAMI DIVITIS *vt eſſet defenſor ſuarum rerum*. RATHBOT Lancelino genitus, teſte eodem libello, & omnium conſenſu, in antiquiſſimo apud Heremum Deiparæ Matris, Vitarum codice pergameno, nominatur expreſſius COMES DE VINDONISSA, eo in loco, quo ITÆ Lotharingæ eius coniugis exceſſus notatur, his verbis. X. KALENDAS AVGVSTI OBIIT ITA COMITISSA VXOR COMITIS RADEBOTONIS DE VINDONISSA. Ab hoc autem RATHBOTONE ortos reliquos HABSBVRGIENSES ad vſq; RVDOLFVM regem, & deinceps AVSTRIÆ DVCES, & ARCHIDVCES, omnes qui hactenus in hac materia commentati ſunt, conſenſere. Sed Eckgerardus continuator Raperti monachus S. Galli qui ſub Lothario II. Imp. ante annos ſupra quingentos vixit, & ſcripſit, multò antè, Carolo Craſſo ſcilicet imperante, LANDOLVM comitem celebrat, (alia exemplaria Landalohum, alia Landolinum, poſtremo etiam Lancelinum nominant). *Cuius*, inquit, VINDONISSA *Cum multis alijs hæreditas erat.* Is apud S. Gallum eductus, & inſigniter doctus, mox Treuirenſis Archiepiſcopus, (alia exemplaria Taruienſem archiepi-

Habsburgiēſes Comites Vindoniſſa, & Caſtro Vindoniſſenſi originem ducere.

Lancelinus comes Altenburgi, ſiue Caſtri Vindoniſſenſis.

Rathbot comes Vindoniſſa.

Lib. de caſibus Monaſt. S. Galli ms.

Digitized by Google

chiepiſcopum vocant & nonnumquam Epiſcopum) per virtutem, & eruditionem factus, cum ſæpius Vindoniſsâ, & Altenburgo Romam, ſuperatis Peninis alpibus, proficiſceretur, inde rediens per ſeptimum montem, Iuliarum Alpium partem tranſire ſemper, & apud Comitem Hartmuotum S. Galli abbatem propinquum ſuum, & amicum deuertere ſolebat, eodem auctore teſte. Poſtremo ita vitam inſtituit, vt beatorum numerum auxiſſe credatur. Fuiſſe autem eiuſdem familiæ, præter quæ Eckgerardus, argumento quoq; ſit, quod plures in eâ Landoli. Sed iam, Dagoberto M. Franciæ rege, THEODIBALDVM comitem Vindoniſſæ reperio. Eius, vti Vrſini, qui Maximo, alij Maxentium vocant, primo Conſtantiæ, & vltimo Vindoniſſę. epiſcopo, poſt Rudolfum tertius ſucceſſit, ſubq; eodem Dagoberto Epiſcopatui præfuit, barbaram hanc Vindoniſſæ ex cocto latere, Templo S. Martini, quod communibus opibus fabricârant, memoriam deſcripſi, quamuis propter literarum ex antiquitate, & materiâ fugam, incertum Theodibaldus, an Velibaldus legi poſſit, an debeat. inſcriptio talis eſt.

Et Theodibaldus, ſiue Velibaldus.

✠ IN ONORE SCI
MARTINI E[PI
VRSINOS EB
ES[VBET(O IↃE
TIBALDVS ✠ LIN
ΓVLFVS FECIT.

Et prope animum induco, vt eum Theodibaldum, ſiue Velibaldum eſſe credam, quem Aimo g Vltraiuranum patricium ſub Ludouico I. Dagoberti filio generis nobilitate, & diuitijs ſeſe extollentem facit, cui frater erat, Amelbertus, ſiue Adelbertus, trito genti Habsburgiæ vocabulo. Imo qui Ottoberti Elſatiæ, & Briſiacæ Landgrauij, quem

g Lib. iv. cap. xxxix & xl. & Cont. Greg. Tur. cap. lxxix. & xc.

F 2 tot

tot auctores, tot ſententijs, & contentionibus requirunt, potius genitorem credat, non aberret à tempore, loco, antiquâ Altenburgienſium potentiâ;& mecum ſentiat. Atq; hæc fere de origine, & antiquitate HABSBVRGIENSIVM, ex VINDONISSAE Comitibus,(nã quis HABSBVRGVM eorum condiderit, quiq; PRIMI eo nomine vſi ſint, in loco [h] reddemus) haut quaquam, vti diximus, primâ; & perpetuâ ſucceſſione, quæ alijs, ſiue à Francis, & Troianis, ſiue ex Romanis, aut quibuſcumq; alijs, nimium facilis fuit. Me ſatius aliqua ignorâſſe, quam incerta pro adfirmatis vſurpauiſſe. *Nec ſcire fas eſt omnia*. Quod tamen ſi poſtremò auctores illi tanto opere gentis gloriam adfectant, non video cur potius HABSBVRGIENSES à Francis regibus ducere debeant, quibus eo, quo Sigebertum illum ſuum Ottoberti patrem, aut ceteros, ortum volunt tempore, nihil fœdius, maculoſius, crudelius terra tulit; vt miraculo ſit, aliquem in tantam ſpem, & gloriam ijs concipi, & naſci potuiſſe; quam ab ante dictis Sueuis, aut potius Heluetijs Gallis, *gente olim armis, viriſq;*, inquit, Tacitus, [i] *mox memoriâ nominis clarâ*, quiq;, teſte Iulio Cæſare, [k] *reliquos Gallos virtute præcederent*, quorum amicitiam, fœderaq; nunc quoq; AVSTRIACI PRINCIPES cum orbis imperium teneant, amplectuntur, coluntq;: Aut etiam Romanis, non, inquam, Perleonijs illis eiectis, & profugis, ſed Vindoniſſenſis præſidij præfectis, & Legionis Vindoniſſæ Comitibus. Exſtant certè adhuc verſus tempore Rudolfi regis facti, in eius, & ſecundæ coniugis Annæ honorem, & laudem, qui genus vtriuſq; referre malunt ab Allemannis, inter quos tunc, & multo ante, vti nunc quoq; magna Heluetiorum pars. Verſus ſunt infra poſiti.

Rex RVDOLFVS *& in luſtris regina dat* ANNA,

h *Lib. iv & v.*

i *Lib i. hiſtoriarũ.*

k *Cõment. i. Belli Gall.*

Natio

Natio quod floret iam præ reliquis Alemanna.
Nam RVDOLFVS *&* ANNA *quibus precor omnibus annis*
Vt ſit honos, virtusq́; trahunt genus ex ALEMANNIS.

MIHI operæ pretium erit a GVOTRAMO ſupradicto Comite ALTENBVRGI, ſiue VINDONISSAE (in eodem enim vtrumq;, vt ſæpius meminimus, ſitu, & loco, & ipſum ex huius ruinis) qui ante Othonem M. Imp. & ſub eo tantâ iam potentiâ, & famâ erat vt DIVITIS cognomentum ab opulentiâ obtineret, ad hæc vſq; tempora, per annos prope ſeptingentos HABSBVRGIENSEM ſtirpem, memoriamq́; certo, & manifeſto ordine explicâſſe. Et neſcio an aliam terrarum orbis tulerit, quæ longiori, & clariori ſtemmate maiores ciere queat. Nullâm profectò dedit, quæ tot humano generi Principes, Reges, Imperatores procreârit: quæ longius, latius geſtis, potentiâ, famâ, gloriâ peruaſerit; quæ tot nationibus, prouincijs, regnis imperitârit, vt prius terra quæ illos capiat deficere videatur quam HABSBVRGIENSIVM quîs eamdem moderentur virtutes.

Habsburgicæ gentis antiquitas, & claritudo.

DE VINDONISSÆ COMITATVS finibus eiuſdem nobilitate. Cap. IV.

NIHIL extra propoſitum facturum arbitror, ſi prius de Vindoniſſenſi Comitatu, & eius finibus, Elſatiâ quoq;, & Briſiacâ, inſignibusq́; Habsburgienſium, & Auſtriacorum quam breuiſſimè potero diſceram. Vindoniſſæ Ciuitatis vt lata, & ampla pomæria ab initio; ita poſtremo anguſti eiuſdem comitatus fines. Quidquid inter Arulam, & Vrſam amnes, Arouiam opidum, & montes illos, qui fertili, & clementi iugo comitatum ab illo Lentzburgienſem diſparant, Mellingam vſq;. Sed præterea

Vindoniſſæ comitatus limites.

rea quidquid vltra Arulam ad Vocetium, vtroq; montis latere, ſitum eſt, nunc Biberſteinenſis prope iuriſdictio, & Schenckenbergenſis. Quam regionem cum poſtea Libera officia, comitatus Lentzburgiēſem, & Aquenſem, & quidquid illam circumiacet, pactis, amicitiâ, aut hæreditatibus accepiſſent, ad omnium diſcrimen, quaſi auitum, & proprium patrimonium Habsburgienſes Comites, & Auſtriæ duces, [l] in Aigen, ſolito, & trito vocabulo nominauere. Ab Oriente confinem habuit comitatū Aquenſem, ab Occidente Froburgienſem, verſus meridiem Lentzburgienſem, ab Septemtrione deniq; Rhinfeldenſem, & Hombergenſem, omnes, eâdem ratione, coniunctos, & veluti cognatos. Opida in eo Arouia, Biberſtein, Pons Arulæ, Mellinga. [m] Arouiæ nomen recens, antiqui Rore dixerunt; In eo loco, poſtquam Vindoniſſa occidit, publicum Comitatus, imo totius regionis concilium, rerumq́;, & negotiorū tractamenta. Colligo ex Vlrici Comitis Lentzburgienſis literis, quibus poſt obitum filiorum Arnoldi, Vlrici, & Rudolfi, cum præter Heinricum, quem Beronæ parentibus ſuis, & a ſe fundatæ, vt oſtendit, præpoſuerat, neminem ex ſe natum haberet Aduocatum eidem Canonicæ, vt appellat, poſt Heinrici mortem Amoldum inſtituit, ex Arnoldo nepotem, ſimul reditus, ac poſſeſſiones, quæq; aduocati, quæq; Canonicorum eſſent, ſapienter diſpartiuit, Rore, Finis enim, & concluſio inſtrumenti *Acta ſunt hæc in publico mallo Rore, ſub Comite Vlrico, teſtibus, Segibotto, Ecco, Imo &c. Anno Dominicæ incarnationis* 1036. *Ind. v. Idus. Februarij Luna viij. Anno autem Dñ. Conradi regni XII. Imperij IX. feriâ II.* Malli nomen ab priſcis Francorum inſtitutis. Mos enim genti in litibus, vt actor ſumtus, conuiuiaq́;, & comiſſationes quas facerent arbitri, aut iudices, donec pronunciarent, exſequeretur, quæ in reum, & con-

l Ex diuerſis inſt. & chr. ms protocolo quoq; Alberti I. regis iuſſu edito 1303. an.

Opida.

m Quamquam de hoc dubito. Arouia olim Rore. Ibidem totius vici uia conuentus.

Mallū quid ſignificauerit antiquitus

& condamnatum poſt ſententiam, redundarent. Vnde vulgatæ illis formula, [n] manurire ad mallum, corruptis in latinum Germaniæ vocabulis, quod erat ad cauſſæ dictionem, & in ius vocare. Germanis remanet nunc quoq; trita vox Mallſtat, iudicij publici ſedes. Ab eâ frequentiâ, & celebritate, poſtea quoq; Vindoniſſenſis legio, & illi adnexa Libera officia, Comitatus Rore nominata. Ita adpellauit Monaſterij Murenſis, vt ipſe ſe indigetat conditor Vernerus ex Comitibus Altenburgi epiſcopus Argentinēſis. Ita qui conditum confirmauit, in ſuam protectionem recepit centum pene poſt annis Heinricus IV. Imp. Eumdem locum Habsburgienſes Comites, & Auſtriaci poſtremo Duces ſemper coluerunt maximè, & adamârunt. In arce etiam Rore aſylum, ſiue impunitatem inſtituerunt, quæ non niſi eâ in curiam opidi, foſſis expletis, ab ciuibus conuerſâ, aboleuit, & in templi cæmiterium tranſlata eſt. Comitatus nobilitas multa. Præcipui nominis à Vildenſtein, comitum dapiferi, Abuildechk eorumdem pincernæ, ſiue pocillatores, à Biberſtein barones, a Kenigſtein, a Schenckenberg barones, Lorræch, a Liechtenau, Gauuenſtein, Ruchenſtein, Vlinge, Beſſerſtein, a Vole, Caſtello, Valdbersberg, Bruneck Ringinge, qui etiam pincernæ, Veſſenberg, Vrgis, Elſinga, Veldheim, Thaldeim, Chittingâ, Remmingâ, Mandaco, Effingâ, Kilchbergâ, alij plures, vtroq;, vt diximus, Vocetij latere.

[n] LL. Salic. cap. manuire.

Comitatus Rore.

Aſylum in arce Rore.

Nobilitas Comitatus Vindoniſſenſis.

DE ELSATIÆ SVPERIORIS COmitatu prouinciali. & Sequanis. Cap. V.

OBTINVERVNT præterea Habsburgienſes Elſatiæ ſuperioris, & Briſiacæ comitatus prouinciales, Landtgrauiatus nominant. Sed quis eius familiæ præ-

præfuerit primus, quaq; ratione, aut imperio cuius, vel beneficio, non adfirmauerim. Latzius, Eitzingerus, Heuterus, de Rhoo, quiq; chronica Heluetiæ, & Elſatiæ ſcriptitârunt, & Coſmographus Sebaſtianus ° Albertum fuiſſe memorant, Rudolfi regis patrem, Elſatiæ primum Landtgrauionem. Non deſunt [p] qui regem ipſum Rudolfum primum ferunt, antiquo titulo Allemanniæ, & Elſatiæ ducatus. Mihi compertū eſt Rudolfum Rudolfi regis auum, ante patrem titulo Landgrauij Elſatiæ vſum ex inſtrumento quod ſuo loco [q] reponam, cum Zeringenſes eâdem ſtirpe oriundi Briſiacæ comitatum poſſiderent. Imo ex eorum in eâ factis fundationibus [r] Elſatiæ ſuperioris principatum ſemper tenuiſſe videntur, An ab Burgundis primis regibus; aut Lothario Magno, & Francis poſterioribus illi regioni præfecti tamquam Landtgrauuen, hoc eſt rectores, & iudices prouinciales? quam dignitatem, & officium cum temporaria eſſet, neq; ad hæredes tranſiret, familiæ ob egregiam adminiſtrationem, & virtutem perpetuam, & propriam fecerint? De Elſatiâ ita prodidere. Sequanos primo coluiſſe, eoſdem in contentionem ex inuidiæ æmulatu cum Aeduis veniſſe, prœlio victos, auxilia, qui proxime Rhenum tenebant, Germanos poſtulauiſſe. Domitis hinc, & ſuperatis Aeduis, Sequanos quoq; auitis ſedibus pulſos, per eoſdem quos implorauerant Germanos. In hunc modum Cæſar Iulius, ſed pluribus, quem cur non audiamus magnum ſcriptorem, vti & Imperatorem? *Galliæ*, inquit, [ſ] *omnes ciuitates in duas partes diuiſæ ſunt, Cū Cæſar in Galliam venit alterius factionis principes erant Aedui; alterius Sequani: ij cum per ſe minus valerent, quod ſumma auctoritas antiquitus erat in Aeduis, magnæq; eorum erant clientelæ; Germanos, atq; Ariouiſtum ſibi adiunxerunt, eoſq; ad ſe magnis pollicitationibus, & iacturis perduxerunt. Prœlijs vero cum pluri-*

Locis ſupra citatis.

o *Lib. iij. Coſmograph.*

p *Chronog. Elſ inſ. lib ij. cap. xxiij.*

q *Lib. vi.*

r *De ijs lib. iij. & iv.*

Elſatiā Sequanos tenuiſſe, & de illis.

ſ *Commētario ſexto.*

pluribus factis ſecundis, atq; omni nobilitate Aeduorum interfe-ctâ, tantum potentiâ anteceſſerunt, vt magnam partem clientium ab Aeduis ad ſe tranſducerent, obſideſq; ab ijs principum filios acciperent, & publice iurare cogerent, nihil ſe contra Sequanos conſilij inituros, & partem finitimi agri per vim occupatam poſſiderent, Galliæq; totius principatum obtinerent. *Sed peius*, alio loco adfirmat, [t] *victoribus Sequanis, quam Aeduis victis accidiſſe, propterea quod Ariouiſtus rex Germanorum in eorum finibus conſediſſet, tertiamq; partem agri Sequani, qui eſſet optimus totius Galliæ, occupauiſſet.* Tenuere hac ratione Germani, rege Erneſto, aut potius Ehrenueſto (ita Germanicum ab Cæſare corruptum ſonat vocabulum, quaſi gloriæ compote) Sequanorum eos agros qui inter Voſagum, & Rhenum, nunc quoq;, & hoc ſolum in tractu, priſcum aliquam partem, retinet vocabulum Sundegeuu, Sequanorum ager. Inferiora ad Fines vſq;, ſiue opidum Marckhelſe, (quod is vtriuſq; epiſcopatus Baſilienſis, & Argentoratenſis, limes, & ſuperior Elſatia, & Sungeuu nominatur.) Harudes eodem tempore ex alterâ quoq; Rheni ripâ, inſedere. Adnotauit præter Cæſarem, [u] Strabonemq;, [x] Vrſbergenſis abbas. *Eſt in confinio*, inquit, [y] *Alſatiæ caſtellum vocabulo Briſſach, de quo omnis pagus Briſſacgouue adpellatur, quod fertur, eorum fuiſſe, qui Harelungi dicebantur. Ita per tempus mutata nomina, vt qui olim Briſiaci in Sequanis dicebantur, nunc ad Germanos tranſierint: & qui in Germaniâ Harudes nunc in Sequanis Harter teneant nomen.* Quod, ait, fuiſſe Briſiacos olim in Sequanis, & ad Germanos poſtea tranſiſſe, etſi nobis nouū, nec vulgo cognitum, verum tamen. Mons enim Briſiacus, & Briſiacum opidum antiquitus Galliæ, & Rheni ſiniſtrâ ripâ in Sequanis. Euitbrandus plane in Elſatiâ poſuit. *Eſt* ait, [z] *in Alſatiæ partibus Caſtellum Briſſacgauue patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus in modum inſulæ cingens, &*

t Commen. primo.

Occupata ab Erneſto in Sequanis.

Marckelſe etymũ. Itemq; ab Harudibus.

u E·d. comm x.
x Lib iv. geograph
y Chron ad an. 940.

Briaſici quondam in Sequanis, nunc vltra Rhenum, & in Germaniâ.

z Lib. iv. cap xiv.

naturalis ipſa loci aſperitas munit. Itemq; Sigebertus, *Rex Otto*, inquit, [a] *obſedit Briſagam opidum Elſatiæ*. Sed Antoninus, qui non niſi Galliæ opida, locaq; memorat, [b] Briſiaci ſæpius meminit; vt indubitabile ſit Sequanorum inferiorum caput Briſiacum fuiſſe. Arte, & manu, an fluminis violentiâ, & diluuie ſitum mutauerit, parum exploratum. Veſtigia prioris curſus, & deſtri marginis manifeſtè videntur. Pars ea Germaniæ in quâ ipſum, vt ex Vrbergenſi antiſtite vidimus, Briſiaci inde nominati. Poſtremo inter palatina officia, & auxilia Briſigaui ſeniores, & Briſigaui iuniores, ſiue Sequani Briſiaci, non Germani, qui tum Harelungi. A Finibus, Rhenoq;, & reliquo Voſagi latere, Veiſſenburgum vſq; opidum, quod Sebuſium quidam, aut Sebûſiacum antiquo vocabulo dicunt, primo Mediomatrices, poſt, illis profligatis, & in interiora repulſis, Triboci, aut Tribones, vt alia exemplaria habent, & ipſi Germani, coluere, eodem Cæſare, Strabone, & Ptolemæo [c] teſtibus. Nunc Elſatia inferior, & Landtgrauiatus (eo enim vti vocabulo liceat) Elſatiæ inferioris Epiſcopo Argentinenſi ſubditus, quondam tractus Argentoratenſis ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Comitis Argentoratenſis. Genti vniuerſæ vocabulum præſens ab amne interfluente, quaſi Ellum ad adſidentibus Elſaſſer, & regio inde Elſaſſia, ſiue Elſatia: alij Edelſaſſer, & Edelſaſſiam maluerunt, regionis, & incolarum ex nobilitate. Ipſe fluuius ortus Voſago, qui Furaſſi pars, in Septemtrionem declinis, ſcindit mediam, & in ſuperiorem, inferioremq; ſitu diſparat, Argentinaq; haut procul Rhenum infunditur. Aimo eamdem in duos comitatus ſcindit, nominatq; [d] Comitatum Aleſatium, & Sugitenſem, hoc eſt, Suntgouienſem Malè Volfgangus Latzius, & qui eum ſecuti Franciſcus Belforeſtius, [e] ſcriptorq; chronici Burgundici, alij pleriq;, Sugitenſem interpretan-

Marginalia:

[a] *Ad an. 943. chr.*

[b] *In Itinerario.*

Libell. dign. vtriuſq; Imp.

Mediomatrices.

Triboci.

[c] *Lib. iv. coſmogr.*

Libell. de inſignib. magiſtr.

Elſatia & Elſatarum nominis origo.

Elli ortus, & curſus.

Eiuſdem antiqua diuiſio.

[d] *Lib. ij. hiſt.*

[e] *Mag. Ann. lib. i. cap. xxix.*

Digitized by Google

pretantur, *Heluetiorum cum vicinis Suitiens*. Dagobertus Magnus literis quibus Rubeacum opidum Eccleſiæ Argẽtinenſi donauit, Elſatiam vocat, *Comitatum Illeſich*. A. D. N. ıↄc. xxx. Theodoricus vero Murbacenſi priuilegio *pagum Alſacenſem* A. D. N. ıↄcc. xxiv. At Lotharius Caroli M. nepos *Ducatum Alſacenſem*, priuilegio quoq; Murbacenſi A. D. N. ıↄccc. xl. alio, *Ducatum Haliſacenſem* diplomate cõceſſo Monaſterio, S. Vrſicini, *dato in Monte Romarico palatio viij. Kal. Septembris Imperij anno XII. regni Italici XXX. Chriſti* nempe Liberatoris noſtri. ıↄccc. xlix. Incolas auctor [f] Appendicis ad Gregorium Turonenſem *Aleſationes*, & *Aleſatios*. Cum Burgundi, vt alibi oſtendimus, vna cum Vandalis ex Germaniâ Rhenum tranſiſſent, vt reliqua Sequanorum, Aeduorumq́; & Heluetiæ ad amnem Vrſam, occupauerunt, ita quoq; Elſatiam, certe ſuperiorem, ſi non vtranq; tenueruntq́; Burgundiæ reges, dum fuerunt. Franci pariter inter Burgundici regni prouincias habuere, donec ortâ inter Theodoricum Burgundiæ, & Theodebertum fratrem Auſtraſiæ reges controuerſiâ, compulſus optimatium vtriuſq; regni iudicio Theodoricus, Comitatibus Aleſatio (inſcite Haillanus Franciæ hiſtoricus regius, [g] itemq́; Serranus, [h] & alij, Aleſatium illam vocant regionem quæ nunc Arteſia Belgicæ) & Sugitenſi, ſiue vt prædiximus, Sequanenſi, Campanenſiq́;, & Turonenſi fratri concederet, Aimone teſte, [i] & Continuatore Gregoriano, quâ ratione, Elſatia, & Sequani regno Mediomatricum adiecti. Poſtremo varijs, vt inter Franciæ regios liberos, imperij, regniq́; partibus, cum tributione quam Ludouico Pio geniti Carolus, Lotharius, Ludouicus fecere, Carolus Franciam, Ludouicus Germaniam, Lotharius medius incedens Auſtraſiam, Burgundiam, Elſatiamq́;, & Imperij titulum obtinuiſſet, filij, quos relique-

Et varia nominatio.

[f] *Lib. xi. cap. xxxvij. & cap. xxxviij*

Elſatia Burgundię prouincia, & regni Burgundici.

[g] *Lib ij. hiſt Frãc.*

[h] *Inuentario gratiali hiſt. Franc. tom. ij.*

[i] *Locis ſupra citatis.*

poſtea regnii Mediomatricum.

Digitized by Google

rat, Carolus Burgundiæ, Ludouicus Italiæ, Lotharius Auſtraſiæ reges ſine progenie maſculâ, aut legitimâ defeciſſent, Ludouico Germaniæ regi nepotum ex hereditate Elſatiam ſors dedit, ſed cui Mediomatrices, Sequani, alia iungerentur; cetera ad Galliæ reges pertinerent, Aimone eodem ſcribente, ſiue quiſquis continuauit. Ita Mediomatrices, Sequani, Belgæ, & Elſatia, in Germaniæ imperium ex Galliâ lata, Duciq; Allemanniæ, Mediomatricibus exceptis, qui priuos habuere, & Belgis qui pluribus paruerunt, adminiſtrata, diuerſos inter comites omnibus diſtributis.

Poſtremo regni Germanici. Lib. v. cap. xxv.

DE ANTIQVIS ELSATIÆ, ET Sequanorum locis, & opidis. Cap. VI.

LOCA Sequanorum, & Elſatiæ antiqua, ſcriptoribus priſcis pauca. Auctori Itinerarij nonnulla memorantur. In Sequanis quidem LARGA, quod Altkirch fuiſſe crediderim comitatus Ferretæ. Ait diſtare Gramato, (Grams comitatus Montis bellicardi) P. M. XXIV. & Vrumcis XVIII. ARTALBINIVM quod Mulhauſe interpretor. Forte Hartelfinge olim Germanis, vt Tobinium, Zoffinge. Poſt a molinarum frequentiâ, & vſu Mulhauſe. Ponit inter Auguſtam Rauracorũ, & Vruncas. Ab eâ P. M. XXVIII. ab his XII. quæ conueniunt. VRVNCAE, Enſisheim opidum, & caput ſuperioris Elſatiæ Camarâ, & Concilio Sequanorum, Elſatiæq;, & Briſiacorum Rhenanarumq; Auſtriæ vrbium celebres ab Artalbinio P. M. XII. & Briſiaco XVIII. Vruncis legio Romana X. præſidio antiquitus contra Germanorum, & barbarorum irruptiones. CAMBETIS vicus, aut quondam opidum, Kemps inter Rauricam, & ſtabula veteri nomenclaturâ.

Digitized by Google

claturâ. Eſt vero Cambetis maior, minorq́; Ille cis Rhenanus; hic vls amnem. Vtrimq; Romana in hoſtes Allemannos præſidia. In Maiori nunc quoq; multa murorum & ædificiorum ſubterraneorum veſtigia, & rudera. STABVLA Pantzenheim nunc, prope Othmarsheim, a Cambete P. M. VIII. viâ militari. Ibi ſi vertatur ſol antiquitatis pluria monumenta reperiri, cerniq́; dicuntur, ſarcophagi etiam erui lapidei, & marmoris barbari. Obſeruatum loca Romanos ad deuertendum maxime idonea ſtabula, aut ad ſtabula vocauiſſe, qualia in Rhetiâ, Vindeliciâ, Galliâ, Italiâ quoq; recenſet plura idem Itinerarij auctor MONSBRISIACVS de quo ſupra. Hîc legio XV. pariter contra Tranſrhenanos ſtationem agitauit. ARGENTVARIAE plures meminere. Antoninus ait diſtare Stabulis P. M. XVIII. & inde Elcebum (Ileſtad quidam arbitrantur, quamuis errare eos Nuearius comes [k] cenſeat) P. M. VI. Victor [l] Argentuarium opidum Gratiani Imp. contra Allemannos pugnâ, & victoriâ decantatiſſimum. Libellus [m] Prouinciarum Caſtrum Argentuarienſe. Nunc Horburgenſe putant vicum haut magnum, Ella flumini propinquum, & DEIPARAE Matris Sacello, & cultu, dum antiqua, & indubitata relligio ibi valuit. Ibi adhuc pons veteris traiectus monimentum. Nobilis olim fuit Comitatus. Poſt Horburgienſium comitum abitum, Comites Virtenbergenſes hereditate occupârunt. Haut procul inde Colmaria, Argentuarij ex ruinis, vt alia multa ex veteribus noua opida. Facit Ptolemæus [n] opidi in Sequanis mentionem quod Dittacium, aut, vt alia exemplaria habent DIATANNIVM vocant, quod eſt forte opidum, Tan, quod Pinum nominat Gebuillerus, [o] traducto in latinum Germanico vocabulo, ſecundum amnem Durum, qui in Ellum influit, ac Sequanos, ſiue quam regionem

Stabula antiquitus.

k *Commen. Gall. Belg.*
l *In Gratiano Imp.*
m *Ptol. lib ij. cap. ix. Caſſiod.*

n *Tabul III. Europ. cap. ix.*

o *Commen. Panegyris Carolina.*

nunc

nunc Sundgeu vocant, ab Elſatiâ ſuperiore diuidit, ita quidem vt eius iam ſuburbium ſiniſtro fluminis Elſatiæ ſuperioris ſit. Poſtremo fuit & OLINO quondam locus prę ſidio Romano cultus, & habitus. Ibi enim Batauienſes milites, ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis militaris. Vt enim tractus Argentoratenſis, ſiue Elſatiæ inferioris Landgrauiatus, ſuum habebat Tribone comitem, ſub diſpoſitione viri inluſtris magiſtri peditum præſentalis Germaniæ; ita Elſatia ſuperior, & Sequani ſuum quoq; ducem habuere qui Dux Sequanici limitis, aut tractus, ſiue prouinciæ Sequanicæ vocabatur, & præſidium perpetuum Olinone caſtello, curabat, parebatq; præſidi Maximæ Sequanorum qui Veſontij agitabat, & vterq; viro inluſtri Præfecto Prætorio Galliarum. Multa vetuſtatis monimẽta eruuntur Olimone, numi, ſepulcra, ſcripta; Aliquantulum a Rheno ſubducitur, & Baſilienſi traiectu, Hole vocant, pueris quoq;, vulgatâ magnum ibi habitâſſe regem fabulâ, notiſſimus. Et Habsburgienſes quidem, & Auſtriaci Duces Sequanorum primo partem, mox & reliqua, comitatu Ferretenſi, nobili, & opulentâ dote, in domum per matrimonium tranſlato, extra comitatum Montis bellicardi, & Horburgienſem, qui ducis ſunt Virtenbergæ, Bruntrutumq;, & alijs nonnullis, quæ Epiſcopatus Baſilienſis continet, & habet, poſſederunt, tum vero Elſatiæ prouincialem comitatum opulentiſſimum, poſſidentq;, finibus longè, latè, cis, & vltra Rhenum propagatis. Briſiacæ aliquid iam quoq; adiungamus.

DE BRISIACA, SIVE COMITATV prouinciali Briſiacorum. Cap. VII.

EIVS regionis vocabulum, vt ſuprà diximus, ex caſtello Briſiaco, poſtquam in Rheni alteram ripam, ſiue

Germa-

Germaniam ex Sequanis,& Elſatiâ tranſijt. Harelungi incoluerunt. Partem quæ ad Harciniæ caput, & contra Rhenum, Harudes, quorum etiam ſi maxima pars flumen tẽpore Iulij Cæſaris tranſmiſerit, & in Sequanis loco, & ſolo ædepol longe pinguiore ſedes depoſuerint, remanſit tamen eodem margine nominatio. Poſterioribus temporibus in Ducatu Allemanniæ, & eius pars, nomine comitatus, Briſiaca fuit, haut ſecus quam Elſatia. Hinc nonnunquam Briſiacæ loca in comitatu Allemanniæ ducum ſita Imperatores, & reges dixerunt. Ita Otho primus Imp. Hielham vicum Heremitis cũ donaret, eſſe eum in Comitatu Luitholphi filij, quem poſt obitum Hermanni ducis Allemanniæ præfecerat, donationis inſtrumento teſtatum reliquit. p *Otho DEI fauente Clementiâ rex. &c. Nouerint omnes fideles noſtri præſentes ſcilicet, & futuri qualiter nos per interuentum dilectis filij noſtri Lutolphi, animæq; noſtræ remedio concedimus, atq; offerimus Eccleſiæ DEI genitricis MARIÆ quæ conſtructa eſt in loco qui dicitur Meginrades Cella, & ibi DEO ſeruientibus Heremitis quemdã locum Lielahe nominatum &c. in pago Briſachgouiæ, in comitatu filij noſtri Luitolphi.* &c. *Data. v. Idus Auguſti anno Domini noſtri IↃCCCC. LII. Ind. x. anno vero Othonis regis XVII. Actum in Auguſtburg.* In Allemanniæ enim ducatu fuiſſe, & Comitatum ex ſe conſtituiſſe, varia inſtrumenta ſuper pluria eiuſdem regionis loca ſatis demonſtrant. Idem Otho Magnus cum maximas ex Briſiacâ, & in eâ poſſeſſiones ijs ipſis Heremitis adſignâſſet, eas, vti filius Otho quem conſortem imperij fecerat, confirmaret, voluit, fecitq; is in hanc forma. q *Otho iunior ſenioris diuinâ annuente clementiâ coimperator Auguſtus.* &c. *Notum fieri volumus quia nos patre noſtro dilectiſſimo, ac coimperatore volente, res Eccleſiaſticas a ſe, vel ab alijs quibuſdam ob æternæ recompenſationis ſpem loco ſancto Meginrades Cella nun-*

Briſiaca Ducatus Allemanniæ pars.

p *Ex ipſo autograph.*

q *Ex ipſo autograph.*

læ nuncupato. &c. *conceſſas, præcepti auctoritate Imperatorij confirmamus cum locis diuerſe illo contraditis ac huiuſcemodi ſubnominatis Id eſt iuris ſui curtem Riegol vocatam, cum locis Endingâ, Vuenlingâ, Chenſingâ, Deningâ, Burcheim, Baldingâ, Rotuillâ, Betzenhausâ, Bergâ, Bochesbergâ, Zaardâ, Hielâ, Tuteſueldâ, Ribulingâ, Birinheim, in ducatu Allamannico, in pago Briſickgouue ſitis.* &c. *Data xix. Kal. Septembris anno Incarnat. dominicæ* ɪↃcccc. ʟxxɪɪɪ. *Ind. xv. anno regni Domini Othonis XII. Imperij autem V. Actum in S. Galli monaſterio Ciſalpino feliciter in Domino. Amen.* Eaſdem donationes adprobârunt ceteri Imperatores, & reges. Heinricus. II. *Heinricus, diuinâ fauente clementiâ. rex,* &c. *Nouerit fidelium noſtrorum induſtria. &c. qualiter venerabilis abbas Virand, qui & verendus noſtræ ſerenitatis excellentiam deprecatus eſt.* &c. *Cuius precibus, & ipſius interuentu aſſenſum præbentes.* &c. *per hoc præceptum confirmauimus, & ex integro donauimus, cum omnibus ad eamdem curtem, quæ Riegol dicitur, iuſte, ac legaliter pertinentibus, in ducatu Allamannico, in comitatu Briſickgouue, ſub nominatis his locis, Endingâ, Vuenelingâ, Chenzingâ, Deningâ, Burchheim, Baldingâ, & cetera loca ad præfatam curtem pertinentia.* &c. *Data xv. Kal. Iulij anno Dominicæ Incar. CIↃ. IV. Ind. i. Anno vero domini Heinrici ſecundi regis III. Actum in Zurich.* Cunradus II. *Cunradus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.* &c. *Nouerit omnium DEI fidelium, noſtrorumq; vniuerſitas qualiter nos.* &c. *res a quibuſdam.* &c. *loco Meginrades cella nuncupato.* &c. *conceſſas præcepti auctoritate Imperatorij confirmamus.* &c. *curtem Riegol vocatam cum locis Endingâ, Vuenelingâ.* &c. *in Ducatu Allemannico in pago Briſgouue ſitis. Data xiv. Kal. Septembris. Ind. x. anno Dominicæ Incar. CIↃ. XXVII. Anno vero Domini Cunradi ſecundi regnantis tertio, Imperij autem primo. Actum Turegum.* Heinricus III. *Heinricus, diuinâ*

uinâ fauente clementiâ, rex. Qualiter nos. &c. *res.* &c. *loco ſancto Meginrades cella nuncupato,* &c. *conceſſas.* &c. *confirmamus* &c. *Curtem Riegol vocatam cum locis Endingâ Vuenelingâ* &c. *in Ducatu Alamannico in pago Briſgouue ſitis.* &c. *Data ij. Nonas Feb. Ind. viij. anno Incarn. Dominicæ CIↃ.XL. Anno autem domini Heinrici III. ordinationis XII. regni. I. Actum eſt Augiæ feliciter.* Reliqui. Verum enimuero Briſiacam maxime celebrarunt comites ALTENBVRGIENSES, conditis plurimis monaſterijs, & caſtellis, & regione illorum auſpicijs, exemplis, & ſollicitationibus ad Chriſti fidem conuersâ, & conſeruatâ. Summâ poſtremo claritate, & gloriâ DVCES ZERINGENSES, Altenburgienſium poſteri adfecerunt. Non enim modo nouis arcibus, & inter eas ZERINGA, circumiectos per montes Briſiacam, tamquam illuſtri coronâ, redimiuere, ſed in eâ opida alia a fundamentis extruxerunt, alia turribus, & propugnaculis condecorauere. In primis FRIBVRGVM fuit, cuius amplitudo, & frequentia, potentiaq; Briſiaci ſplendorem breui obſcurauit. Plura pariter monaſteria poſuerunt. Deniq; nihil intermiſere quod ad famam, & dignitatem, conſeruationemq; Briſiacæ pertinere poſſet. De quibus omnibus ad ſua loca, & in tempore nos paucula, cetera vir clariſs. Ioannes Iacobus Beurerus. Cæſ. Maieſtatis Friburgienſi in Academiâ hiſtoricus, & Interpres Græcus in ſuâ eiuſdẽ præſtabilis comitatus illuſtratione, & topagraphiâ.

Briſiaca illuſtratores Altenburgienſes comites, & duces Zeringenſes.

DE HABSBVRGIENSIVM COMITVM, & Auſtriæ Principum inſignibus. Cap. VIII.

DIVERSA de illis ſcriptores recentes ſentiunt, magis prodendi ingenij, quam aliâ ex cauſsâ. Pontus Heuterus ait fuiſſe, *tres purpurei coloris leones,*

Libello de orig. Habſ.

Comm. lib. i. cap. ij. & v.

coronis cærulcis redimitos, ac prioribus vnguibus in ſcuto aurei coloris inſurgentes. Latzius inſignia eadem Habsburgienſium quæ Burgundiæ regum adfirmat, *cæleſtinam coronam in aureo cl:peo, quam*, inquit, *poſtea leoni ſuo Clodomirum Francorum regem, Clodouei M. Filiorum natu maximum, qui Burgundiam Francis primus ſubiecerat, Gotomaro, & Gotogiſelo regibus debellatis, impoſuiſſe veriſimile eſt, qualia Habsburgienſes heroes vſq; vſurpare obſcurum non eſt*. Arnoldus Vion *leonem aureum* inſtituit *ad dextram exſilientem in vmbone cæruleo*. De Burgundiæ regum clipeo, ſuperius dixi. Neq; nobis Clodomiri Latzius nugas intrudat, aut triplicet illum quatripedum regem Heuterus. Vionem antiquo ſuo relinquo. Habsburgienſium integris ſigillis, (alia vidi longe antiquiora, ſed ætate caſſa, & fracta, ex quibus nihil certi noſci, aut adfirmari poterat) vetuſtiſſima quæ in manus meas venerunt inſtrumenta fuere Rudolfi Comitis, Rudolfi regis aui. Arma talia fuere.

Stěmate. v. parag. xiij. grad. i.



Vidi

Vidi & ante annos quadringentos coloribus picta in eamdem plane formam, niſi quod altera cum cycnorum collis galea aberat. Rudolfus qui poſtea imperauit, niſi fallor, per egregia facinora coronâ illuſtrauit, & antequam Imperium capeſſeret, viuente adhuc Alberto fratre, ita vſurpauit.



Poſt mortem fraternam aliquanto mutauit, ex hoc eius manifeſto, & frequentato deinceps ſigillo.



Pauonum pinnula in galeis antiquitus honorata.

Additæ caſſidi ad Leonem dimidiatum pauonum pinnulæ iam ab antiquo non niſi principum, & regum, quamuis poſtea in abuſum vertit. Clarum ex Claudiano nobili poetâ argumentum, qui Honorium ſuum Imp. talibus inſignit.

Quod picturatas galeæ Iunonia criſtas
Ornat auis.

Et panegyriſtes ad Maximianum. *Offert etiam ſibi puero galeam auro, gemmiſq; diſtinctam, & pennis pulcræ alitis eminentem.* Rex Imperatoriæ aquilæ leonem, cum Elſatiæ inſignibus, incluſit, hoc modo.

Vnde

Digitized by Google



Vnde verſiculi eodem tempore nati

Tu Comes in clipeo geſtas inſigne leonis,
Quem velut ad prædam diſtento corpore ponis:
Sed rex fers aquilam quæ tranſuolat omnia, claris
Signans indicijs quod cunctis prædominaris.

AVSTRIAE clipei recentioris, & nunc vſitati, purpurei, faſciâ, vt vocant, argentea, quis auctor exſtiterit incertum quoq; ſcriptorum diſcenſio facit. Marchiones eius prouinciæ antiqui alaudas quinq; aureas ſcuto cæruleo geſſere, iſto modo. *De clipeo Auſtriæ nouo quæſitum.*

Illorum



Continuator belli ſacri lib. ij. cap iij. & vij. Chronograph. German lib iij. Heuterus cap. xv. libell. de orig.

Illorum pleriq; repertorem LEOPOLDVM V. Heinrici ducis Auſtriæ ſuæ ſtirpis primi F. prodidere, quod oppugnatione Ptolemaidis, ſuo, & hoſtium ſanguine madenti, & cooperto, album in eo non adparuiſſet aliud, quam quod baltheo tegebatur virtutis, & fortitudinis ſymbolum, & monumentum retuliſſe, memoriæq; perpetuæ conſecrâſſe, hac formâ.

Im



Ita Continuator belli ſacri. Ait enim. *Occupatâ turre quâdam cum Auſtrius in repugnantem hoſtem ſæuiret atrocius, ſuorum cæſis permultis, in mare ſe præcipitem dare coactus eſt, totus ſuffuſus ſanguine, cingulo tenus dumtaxat, quod album corpus interſecabat à cruore immunis ad ſuos ſe recepit. Vnde ex euentu Fridericus*, Friderici Ahenobarbi Imp. F. qui poſt patris mortem, Chriſtianæ in Oriente militiæ dux, & Imperator, *totius exercitus ſuffragio noua illi inſignia rubro, & albo coloribus interſtincta conceſſit*. Acta ſunt hæc A. D. N. CIↃ. C. XC. Alij ALBERTVM Rudolfi regis. I. F. ferunt proelio Othogarico hanc parâſſe noui clipei gloriam, vexillo, quod portabat candidum, toto ſanguine adſperſo, & cruento. Quidquid eius eſt rei certe Albertum, eo proelio, patris vexillo præſediſſe, nec minus fortiter, ac ſtrenue rem geſſiſſe, pugnâſſeq́; deniq; hæc ante omnes inſignia celebrauiſſe, poſteriſq́; vnà cum AVSTRIA, cuius ſuæ familiæ, & gentis primus Ducatum inijt, reliquiſſe, ſatis compertum eſt, vt non imme-

Superiori lib. & cap.

Digitized by Google

immerito eorum, ſi non auctor, & inſtitutor, certe conſeruator, & propagator videri poſſit.

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACVM,

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

Liber Tertius.

OTTOBERTVS. I. COMES ALtenburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Caput. I.

OSTENSO fictam eorum eſſe, & inanem opinionem qui COMITES HABSBVRGIENSES adſerunt ab Auſtraſiæ illis, quos memorant, regibus natos; haut ſecus quam qui Romanos, & Petri Leonis poſteritatem dicunt, non tamen ideo OTTOBERTVM, & qui ex eo ALTENBVRGI comites, ELSATIAEq;, & BRISIACAE dominos fuiſſe refutem, vt de anteceſſoribus, ſicuti & de eorum inter ſe ſucceſſione, ad vſque Guotramum, nihil ſatis certi conſtituere poſſim. Atq; hæc cauſſa eſt maxima, cur de illis ea potiſſimum traditurus ſin, quæ alijs placuiſſe video, & vt locis varijs, & monaſterijs collegere, digeſſeruntq;, haut pauca interim

quæ

Digitized by Google

quæ contra veritatem, & ſcriptorum veterum peritiam notata ab illis monſtraturus, & improbaturus, donec ad GVOTRAMVM DIVITEM peruenio, à quo certiſſima, & indubitatiſſima nobis ALTENBVRGIENSIVM COMITVM, & poſtea HABSBVRGIORVM, deniq; AVSTRIAE PRINCIPVM ſtemmata, & nomina. Neq; tamen ea iam quidem, aut poſtea negligam, quæ apud Vindones, Elſatiaq;, & Briſiacâ euenere, carptim licet, & ſaltuatim, Franciæ, Auſtraſiæq; regum, Germaniæ Imperatorum, & Burgundię principum poſteriorum, aliarumq; nationum, eaſdem per prouincias geſta, & memorabilia, quibus Altenburgienſes Comites, mox Habsburgienſes pleriſq; interfuere, ſæpius præfuere, certe expertes eſſe non potuerunt. DE Ottoberti patre Thodibaldo, ſiue Velibaldo tetigimus ſupra [a] magis noſtram ſententiam, quam explicauimus. Profecto ita eſt. Cur enim Theodibaldum Comitem, cuius eâ inſcriptione in ipſius Vindoniſſæ, nunc quidem vici, D. Martini æde remanſit memoria, non crediderim Ottoberti parentem, potius quam aliunde, vt pleriq; alij, requiram, aut adfingam? cum tempora quibus vixit, loca, quę tenuit, potentia quâ præſtitit eamdem ſententiam reddant probabiliſſimã. Aedificauerunt vero Vrſinus epiſcopus, & comes Theodibaldus D. Martino in ipſo Vindoniſſæ vico, pro loci relliquijs, & adcolis, templum ſatis amplum, eam maxime ob cauſſam, ne, tranſlatâ Conſtantiam ſede Cathedrali, eius Diui Vindoniſſenſium doctoris, & patroni memoria imminueret, aut intercideret. Vilibaldum vocat Aimo [b] Vltraiuranum patricium, qui generis nobilitate, & opum adfluentiâ ſeſe extollebat. At quis ignorat Comites Altenburgienſes Ducatus fuiſſe Vltraiurani, & Minoris Burgundiæ, generis dignitate, & præſtantiâ longe præſtantiſſimos? facultatibus vero prouectos eo,

De Ottoberti patre aliqua, aut ita vulgata.

Ædes D. Martini Vindoniſſa.

[a] *Lib. ij cap. iij.*

[b] *Lib. iv. cap. 37. & xl. hiſtoria Fr.*

vt ex illis nonnulli Diuitum cognométa vulgo acceperint? Sed ipſius Aimonis de Vilibaldi præſtantiâ, exituq́; quando alij ſcriptores non ſuperſunt, verba audiamus. *Aimo quarto* [c] inquit, *regni ſui, Clodoueus cum Nantilde matre Aurelianos, caput regni Burgundiæ, petijt. Vbi aduenientes pontifices, ac optimates ipſius gentis, & ſe dominio Clodouei tradentes Nantildis humaniſſimè tractauit, vtq́; filio fidem ſeruarent admonuit. Quorum conſilio Flaucatum Franciâ oriundum præfectum inſtituit palatij, ſociatâ ei nepte ſuâ Ragnobertâ in matrimonium. De cetero Erchinoaldus, & Flaucatus, (quorum vnus Neuſtriæ, alter Burgundiæ poſt regem præerat aulæ) dextras ſibi mutuæ ſocietatis adinuicem dederunt, vt in communi tractatu, pariq́; conſenſu, quæ pacis eſſent ſectantes, iuſtitiæ, & æquitatis iura in ſubditis cuſtodirent. E quibus Flaucatus in Burgundiam tranſiens commiſſa ſibi munia impigrè curabat. Cuius reſtitit conatibus Vuillebaldus Vltraiuranus patricius, qui generis nobilitate, & opũ affluentiâ ſeſe extollens deſpectui ducebat illi ſubijci, aut eius parere præceptis. Flaucatus tamẽ id ſibi diſſimulans cognitũ, menſe Maio ad generale* [d] *placitum cum Clodoueo Cabilonis agi decretum properare non deſtitit, Quo etiam Vuillebaldus cum inuidioſo ſatis agmine, & quod minari bellum videretur, pertendit. Nec palatium ingredi voluit, metuens videlicet ne a Flaucato incautus opprimeretur. Quod vbi Flaucatus animaduertit palatio egreſſus eum interficere voluit. Cui ſeſe frater Amalbertus obuiam tulit, & à Vuillebaldi, ei fruſtra reſiſtere parantis nece diſtulit. Exinde Flaucatus rimabatur opportunitatem, vt de Vuillebaldo vltimam ſumeret vltionem.* Poſt pauca addit. *Ipſo anno Clodoueus ab vrbe Parrhiſiorum cum Erchimoaldo, & Flaucato ducibus, ac nonnullis Franciæ primatibus, menſe Septembri, progreſſus per Senonas, & Altiſſiodorum ad Auguſtudunenſem profectus eſt ciuitatem, indeq́; ad Vuillebaldum nuncium dirigit, mandans vt quanto ocyus ad ſe veniret. Ille, quamuis*

cauendum

c *A. D. N. DC. XLIV. Eod. lib. & cap.*

d *Ita conuentum nominant, ſiue comitia, non ſolum antiqui ſuperiorũ temporum ſcriptores, ſed etiam regũ diplomata. Germanico vocabulo in latinam normam inflexo, & coacto.*

Digitized by Google

cauendum ſibi eſſe a præparatis inſidijs non ignoraret, periculoſum tamen ratus non obedire regi, dictis quidem paruit, quæ non audebat refellere, ſed validâ armatorum vallatus multitudine aduentabat. Cui occurrit Ermenricus quidam cum alijs ex numero nobilium à rege directus, vt eum ſine cunctatione ad palatium debere properare hortaretur, ſimulq; vt fidem daret, eum nil læſionis in eundo, vel redeundo perpeſſurum. Cuius verbis non ex toto derogans credulitatem, ibat: quem etiam donis vberioribus honorauit, & vt ſe ad ciuitatem præcederet rogauit. Verumtamen nec ſic ſufficienter ſui ſecurus Agilulfum Valentiæ præſulem ac Viſconem comitem ad regiam præ ſe ire iubet aulam, & quæ de eo agerentur agnoſcere, agnitaq; ad ſe velociter referre. Hos Flaucatos in vrbe detineri fecit, & ipſe maturius ſurgens cum ſuis, ciuitate relictâ, aduerſus Vuillebaldum proeliaturus iter arripuit. Auxilio ei erant Erchinoaldus dux cum Neuſtraſijs, Amalgarius, & Ramelenus non ignobiles iuuenum, quos comitabatur haut ſpernenda multitudo ſatellitum. E quibus Ramelenus, & Amalgarius, cum ſibi obſequentibus, Flaucato in acie auxilium tulere, ceterâ multitudine procul ſtante, ac euentum belli præſtolante. Nuncius hoſtilis aduentus præcurrens dubitationem ademit Vuillebaldo. Qui hortatus ſocios ne incruentam victoriam aduerſarijs eſſe ſinerent, excepit aduenientes. In primâ autem fronte ipſe mortuus proſternitur, quippe ſui iam contentu vitæ prodigus, & deſperatione ſalutis totum ſe in hoſtem effundens. Hæc de Vuillebaldo Aimo monachus. Multum quoq; commendat auctor appendicis [e] ad Gregorium Turonenſem, fuiſſeq; ex duodecim ductoribus belli vnum, quos ex Burgundicâ nobilitate contra Vaſcones miſit Clodouei pater Dagobertus. [f] Factum Vuillebaldum poſt Erponis eadem patricium minoris Burgundiæ, ſiue Ducatus tranſiurani, (id vocabulum præfectum, & rectorem eo tempore ſonabat) notauit chronici Burgundionum ſcriptor. Ceterū de

e Cap. lxxviij & xc.

f A. D. N. DC.XXXVI. Patricij nominis ſignificatio.

I 2 Otto-

g Chr. ms. de orig. Imp. Maximiliani I. arboris II. tit. II.

Ottoberto refert Iacobus Menlius g Altenburgi, ſiue Caſtro Vindoniſſenſi plerumq; habitâſſe. Credo poſt patris Villibaldi necem, cum, eo viuente, & Altenburgi, minoreq; in Burgundiâ dominante, Elſatiæ ipſe, & Briſiacæ præſideret. Denominationem quoq; inde tuliſſe, licet Auendi caſtri, ſiue Habsburgi, non omiſerit. Id Auendum in Voſago ſitum haut procul Moſellæ fontibus, poetæ, & conſuli Burdigallenſi tantopere celebrati, cum in ſolitudinem per bella temporum corruiſſet, Romarico, & Amato Luxouienſibus monachis, & Arnulpho Metenſi epiſcopo, ad priuatam vitam, & ſolitariam concedenti condendo monaſterio permiſiſſe. Ab eo monaſterio, & auctore præcipuo, & nobiliſſimo Romarico, frequentiq; in eadem ſolitudine piorum virorum coetu, montem vniuerſum Sancti Montis, & Romarici Montis, antiquato Auendsburgo, ſiue Auendo, vocabula ad poſteros tranſiſſe, & ſupereſſe, ſicuti & ſanctimonialium coenobij, quod idem Romaricus paullo infra montem poſuit, & nunc quoq;, vti & opidum inde natum, Romarici mons, vulgo Romiremont, nominatur. Eodem in opido Franciæ reges in venationis præcipue vſum, & oblectationem palatium condidere, & arcem, quæ nunc quoq; haut contemnenda. Hinc quædam repe𝔯iuntur diplomata data *in Monte Romarico palatio*. Auendi nihilominus ipſum Ottobertum nomen Caſtri, iuxta Altenburgi titulum, & poſteros, vt diximus ſuprâ, vſurpauiſſe. Hæc de Auendo Menlius; quæ licet incerta, & nulla ſcriptoris boni, aut veteris inſtrumenti auctoritate nixa; ita longe diuerſa ab eâ opinione ſunt, quam Stabius, Latzius, Heuteruſq;, & Eintzingerus, de Rhoo etiam, & alij prodidere, cum ipſum ab Sigeberto exſule, & reſtituto Auendum in monte Romarico inceptum, perfectum memorant ab Ottoberto, & inde ſumtum

Ottobertum Altenburgi habitâſſe.
De Auendo caſtro Voſagi, eius ſitu, et fabulis Manlij ſuper eodem ſententia.

M. Auſonij Moſella carmen eruditũ, & reconditum.

Mons Romaricus.
De Romarico auctor vitæ S. Amati.

Palatium regium Romarico monte.

Item aliorum multorum de Auendi origine opinamenta.

ſumtum nomen Auensburgi, ſiue, vt magis detorquent, Habsburgi Comitis. Quos maxime vt refutauerit Franciſcus Roſierius, ſicuti & ipſorum de Habsburgienſium origine ſententiam pretium eſt intelligere. *Nec certe*, inquit, [h] *hîc ſubiicere poſſum, & Auſtriæ, & Belgarum hiſtoricos longe hallucinatos eſſe, cum* HABSBVRGIENSIVM COMITVM *primariam referunt originem ad nonnullos Auſtraſiæ reges, illoſq; prædicant Auendi caſtrum in Voſagis montibus occupâſſe, haut procul à Moſellæ fluminis continenti, qui locus nunc Romarici mons vocatur. Etenim multi aſſentationis magis, quam veritatis imagine ducti, ex Theodeberti Auſtraſiæ regis coniugio Sigebertum, ſiue Sigisbertum manâſſe ſcribunt, atq; ex hoc ceteros Auſtriæ Duces. Imo Theodebertum, & Sigisbertum Auendi caſtrum in bonis habuiſſe. Quantum ad primum attinet, certum eſt ex annalibus Theodebertum Auſtraſiæ regem Brunechildis conſilio; Theodorici fratris manu nefaria periiſſe iuxta Leucos, tandemq; ipſum Theodoricum victorem Theodeberti liberos extinxiſſe; quamuis Sigebertum euaſiſſe ſcribant. Quod an verum ſit, alij iudicent. Quod ſi etiam veritate ſubnitatur, hoc tamen vnum falſum eſt, Theodebertum, eiusq; filium Sigebertum Auendi caſtrum, & comitatum obtinuiſſe. Nam ex hiſtorijs claret, Theodoricum præmiſſum, Theodeberto liberisq; occiſis, rectà Metin profectum fuiſſe, ibiq; Rumolphum, Romarici Auendi comitis patrem interfeciſſe, bonaq; fiſco adplicuiſſe. Non igitur Theodebertus, & Sigebertus iam interemti Auendi comites exſtitere. Quin etiam, Theodorico cæſo, Aridij epiſcopi tum curâ, tum etiam gliſcente morbo, Brunechildis Romarico iniquè bona rapta reſtituit. Vno igitur eodemq; tempore non fuerunt Auendi comites Theodebertus, Sigebertus, Theodoricus, Romulphus, & Romaricus ſiquidem erant coetanei.* Hæc, & alia quæ ſequuntur Roſierius. Ex quibus haut obſcurum eſt, neq; Sigebertum, multo minus, quem volunt ex eo natum

Quæ refutat Roſierius.

[h] *Tom. v. ſtemmatum ducum Loth. hiſtoria capitali lxxix.*

Nullum in Germaniâ ſuperiore Habsburgum ante Verneri tempora Epiſcopi Arg. qui condidit.

Ottobertum, Auendi caſtri fuiſſe conditores, aut poſſeſſores, neq; trahi inde poſſe Habsburgiam, quam confingunt, nominationem. Imo id profectò planum, & indubitatum ante Vernerum Argentinæ Epiſcopum, qui arcem, ſupra Caſtrum Altenburgum nouam condidit, & Habsburgum nominauit, vt poſterius [i] oſtẽdemus, Habsburgi hac in ſtirpe, aut Germaniâ ſuperiore nunquam auditum vocabulum. Quod enim in Ludouici Pij vitâ huius vocis Habsburg mentionem ab Roberto Gaguino factam Stabius adfirmat, mendum in exemplari Gaguiniano eſt. Non enim Habsburg, ſed Augsburg ſcripſit Gaguinus, Auguſtamq; Vindelicam intellexit, quod ex ſequentibus, & Boioariorum mentionem clarè demonſtrat. Corrupta quoq; ſunt ea, & falſa, legeq; Corneliâ vindicanda, quæ a quibuſdam ad huius maximè nominis Habsburg adſerendam antiquitatem, & ab Auendo originem, ex Luitfridi reparatoris Trutbertenſis vetuſto inſtrumento referuntur. Ita enim pleriq; citant. *Ideo ego Luitfridus comes de Auendiburg in nomine ſanctæ Trinitatis*, quæ voculæ *Comes de Auendsburg* inſertas, & adfictas per fraudem, & in publicum ludibrium manifeſtum eſt ex eo exemplari, quod Volfgangus Latzius ex ipſo autographo ſumſit, & in migrationibus [k] ex fide inſeruit, & euulgauit, licet poſtea in Commentario Genealogiæ [l] recentioribus, & ſuiſmet figmentis præuaricatus ſit. In eo enim vt in tempore oſtendemus, [m] præter ipſius Luitfridi nomen, nihil tituli adiunctum. Neq; potuit, re per ea tempora prorſus ignotâ, & plurimis deniq; poſt annis in vſum repertâ, & frequentatâ. Nomina enim, & titulos Comitatuum, aut familiæ addendi conſuetudo ante Heinricum II. Cæſarem nulla fermè tenuit, rara quoq; ad Heinricum IV. fuit; poſtea prope inualuit. Quæ res multis licentiæ, & lubidinis feneſtram aperuit ex ignoratione

i Lib. iij. cap. iij.

Mendum ex Gaguini Pio ſublatũ.

Trutbertenſis monaſt. reparationis inſtrumentum à quibuſdam corruptum.

k Lib. viij. migr.

l Lib. i. cap. vij.

m Hoc ipſo lib. cap. vi.

Titulos familiarũ & dominiorũ nullus antiquitus adſcribendi vſus.

tione

tione ſtirpis quiduis aliud, quam quæ eius eſſent, peruulgandi, mox rerum potentes, & domos principes per inanem ortus, & antiquitatis oſtentationem adulandi, ſecurâ recti, veriq; ignorantiâ, & parabili in famæ ſpeciem merito, & præmio. Nam quod deniq; Epitaphium apud eumdem S. Trutbertum proferunt, & *Illuſtrium Comitum de Habsburg* inibi mentionem, nugas agunt, quippe qui poſt multas poſtremis præcipue Hunnorum irruptionibus, monaſterij vaſtitates, incendia, & ruinas, cum iam ſanè Habsburgo in arce agitarent, & inde, Altenburgo deſito, vulgo nominarentur Habsburgienſes, ab monachis beneficiorum, veterumq; fundatorum, mutato licet nomine, conſcijs, & non ingratis, poſitum, & vna cum ipſo monaſterio inſtauratum, an conditum id Epitaphium ſciam, & perſpectum habeam. Auendi igitur caſtri, ſiue Habsburgi titulo, velut in hac gente ficto, & fabuloſo tantiſper, donec ad Verneri Epiſcopi poſteros perueniamus, intermiſſo, & ſpreto, Ottobertum, & eiuſdem ſucceſſores Altenburgi Comites nuncupabimus, auitamq;, & hereditariam denominationem, ſicuti & ſedem, tamquam poſt liminio reſtituemus, imo vero adſeremus. De Ottoberto præterea narrat Menlius, S. Trutberto S. Ruperti Vormatienſis epiſcopi, & primi Salisburgienſis archiepiſcopi fratri, ad ſe venienti, & locum, ſiue ſolitudinem habitationis, & Numinis cultui petenti, vallem illam in Briſiacâ, quæ tunc Numagentis comitatus, ſiue prouincia, ex præter fluente amne Numagâ, dicebatur, impertiuiſſe, haut gratiori, quã antea Romarico Auendum, munificentiâ, & pietate. Vallem ab ipſo Trutberto ad hæc tempora nomẽ retinere. Eidem ſacellum in honorem DD. Petri, & Paulli Apoſtolorum principum conſtruxiſſe, mox famulos, & familiam addidiſſe, qui operam condendo monaſterio traderent. Deniq;

De Epitaphio Comitum Habsburgiorum apud S. Trutbertum.

Ottoberti erga S. Trutbertum liberalitas.

Briſiaca olim Numaga. vel Numagenſis prou.

Vallis S. Trutberti.

Monaſterij S. Trutberti origo.

Deniq; totam vallem donum illi, & poſteris ſectatoribus feciſſe. Hæc monaſterij S. Trutberti exordia, hunc auctorem, & patronum fuiſſe. Poſteaquam ex illis ſeruis duo per laborum tædia, & improbitatem, aut, quod crediderim probabilius, è proximâ ſiluâ, ſpe lucri, effuſi latrones interfecerunt, non modo Ottobertus ſepulturâ Chriſti martyrem, ſupradictâ in æde Apoſtolorum, depoſuit, ſed in eâdem ſibi quoq; monumentum elegit. Accidit S. Trutberti cædes, ſi ſcripturis monaſterij certa ratio eſt, aut fides A. D. N. ↄↄc. XLIV. Kal. Mai. Eodem quo Villebaldus interfectus pariter anno, & Pipinus Sigeberti II. Auſtraſiæ regis palatij præfectus morte ſuâ eſſe deſijt. Totam Francorum monarchiam paucis ante annis Dagobertus M. in filios duos diſpertiuerat, Sigebertum maiorem ex Ragnetrude nobili virgine natum Auſtraſijs præfecerat: Clodoueũ ex reginâ Nanthilde generatum, quem Ludouicum primũ pleriq; nominant, Franciæ, & Burgundiæ regem pronunciauerat: huic Egam præfectum palatio addiderat: illi Pipinum, vtrumq; inſignis virtutis, & integritatis. Pipino ſuffectus filius Grimoaldus; Egę, qui anno præcedenti etiam obierat, Erchinoaldus. Sed Grimoaldo non eadem quæ patri probitas, aut fides conſtitit. Dagobertum enim, Sigeberto defuncto, ex Fridbergâ Gunzonis Allemanniæ Ducis filiâ, Luitfridi etiam ducis ſorore genitum, ætate tenerâ adoleſcentem, cuius ſe tutelam habiturum, & curaturum vt ſuum morituro patri regi promiſerat, inſanâ cupidine regni ſubito in Scotiam ablegauit, monaſterioq; attonſum incluſit, aut, vt alij tradunt, perfidioſè, & crudeliter necauit. Hildebertum ex ſe natum in regem Auſtraſiæ euexit. Id verò deteſtabile, & fœdi exempli Clodoueus pueri patruus ratus, nulla mora, Erchinoaldum præfectũ, ad debellandos perduelles expediuit. Vaſtata Auſtraſiæ regni

S. Trutberti martyrium.

Et ſepultura.

Monarchia Franciæ diuiſio.
Aimo lib. iv cap. xx. & xxvi.

Præfecti palatij.

Idem cap. xxxvij. & ſeq.

Grimoaldi maioris domus Auſtraſiæ improbitas.

Idem cap. xlij. & ſeq.

regni pleraq;, & in ijs Heluetia, & Elſatia. Mox acie concurſum. Victoria penes meliores fuit. Captus Grimoaldus, & ad perpetuos carceres miſſus: confoſſus proelio Hildebertus. Monarchia Francorum in vnius Clodouei poteſtatem redacta, haut tanto imperio digni, aut capacis.

Proelio vincitur. A. D. N. DCXLVIII. Perpetuo carcere includitur.

Nam & per fædam libidinem, luxuriamq́;, & ſecordiam pene vitam habuit, & S. Martyris Chriſti Dionyſij ſacras relliquias impurâ manu contractare auſus in amentiam incidit, nullaq́; de ſe magnâ memoriâ animâ breui poſtea exſpirauit. Reliquit [n] ex Balthide Saxonâ filios tres Clotharium, cui Francia, quam Neuſtriam vocabant, Childericum cui Auſtraſia ceſſit; & Theodoricum qui Burgundiam obtinuit, per eadem tempora mortuus etiam Ottobertus. Retinet nomen eius nobilis Elſatiæ vallis Ottbrechtſtall.

Chron. mss. Richenaugia, & S. Galli.

Clodouei mors, & ſucceſſio.

n A. D. N. DC. LXVII.

Ottoberti mors. Otbrechtſthall Elſatia vallis ab eius nomine.

Vxorem Menlius tribuit Rorimundam, alibi Euphemiam, traducto pene Germanico, in Græcum vocabulo, nominat, de ſententiâ Latzij, ſed & meâ, fabuloſè. Neq; tamen propterea veritatem Latzius aſſecutus eſt, qui Luitgardim nominat, Gunzonis Sueuiæ ducis filiam, D. Galli præcibus ab dæmonis obſidione liberatam, quæ Comitatum Numagenſem, & cetera ad Harcinium tulerit dotem. Satis enim ex Valafrido [o] antiquo, & probo ſcriptore conſtat, Fridbergam fuiſſe eam Gunzonis filiam ab impuro ſpiritu occupatam, & ſaluti, & ſanitati ab D. Gallo reſtitutam: neq; eam Ottoberto nuptum datam, ſed Sigeberto regi. De liberis eadem diuerſitudo eſt. Latzius enim, & Gebuillerus, & alij vnicum genuiſſe filium volunt Babonem, ſiue Bebonem, à quo noti Elſatiæ vici Bebenheim, & Babenuilles, in quorum iſtoc ſedem habuerit, & de interfectoribus S. Trutberti iuſſu patris animaduerterit. Alij quatuor filios tribuunt, Babonem iam dictum, Ottobertum II. Reinbertum, & Ethobertum

Vxor, & liberi.

o Vita S. Galli.

Babenheim, & Babenuiler vici Elſatia.

bertum Augiæ abbatem, Menlius, quem mihi nunc quidem, & hac primâ in parte Comitum Altenburgienſium ſectari decretum eſt, duos nominat AMPRINCTVM, ſiue AMPERTVM, & ROTHARDVM.

AMPRINCTVS COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. II.

Clodouei liberorũ ſors, & regim.n.

VESTIGIA Clodouei liberi conſecuti. Clotharius breuiter. Quarto enim anno regimen expleuit: largius qui ei ſucceſſit Theodoricus, & eo vſq; donec eius fœda facinora, & Eberuinij, quem ſibi Maiorem adſciuerat, immanem crudelitatem pertæſi, & intolerantes Franci, illum D. Dionyſij monaſterio: hunc Luxouio, omni dignitate, inciſis crinibus exutos occluſere. Adſumtus in vniuerſam dominationem, qui tertius ſuperer at, Childericus omnium exſpectationem breui quoq; eluſit, contemtâ, quæ prouexerat, & iniurijs adfectâ nobilitate, & Leodegario Auguſtodonenſi epiſcopo, quia decora, & ſalutaria commonebat, Luxouium relegato, & præfecturâ palatij deſtituto. Bodilo deniq; nobilis Francus, quem flagris conciderat, cum Blithilde coniuge prægnate inter venationẽ ꝑ trucidauit. Reſtitutus Theodoricus, ſed cui Leodeſius Erchinoaldi, de quo diximns, filius, conſilio, & auctoritate Leodegarij, qui, Luxouio relicto, ad rempublicam omnium bonorum voto, & deſiderio redierat, additus conſiliarius, moderator, & præfectus. Breui quoq; Eberuinus facinoroſorum operâ monaſterio euaſit; factaq; ſubito latronum manu, ex inſidijs Theodoricum, & Leodeſium, re inopinâ, oppreſſit, regios theſauros diripuit, Clodoueum, quem Clotario. III. generatum ferebat, in regem vulgauit, blandimentis, minis, cruciatibus, quoſcumq;

Theodorici priuatio.

Childerici cædes.

p A. D. N. LXXVI.

Theodorici reuocatio.

Eberuini maioris facinora.

cumq; ad eius obedientiam redegit: mox eo deſpecto, cum Theodorico in gratiam redijt, accitumq́; per amicitiæ redintegrationem Leodeſium interemit, palatij præfecturã, armatâ manu, tenuit. Inde in omnes quos aduerſarios ſenſerat, inſitâ crudelitate, deſæuit: Leodegarium epiſcopum diuerſis cruciatibus confectum, & mutilatum, capite priuauit, ꝗ qui mox multis miraculis innocentiam ſuam, & merita omnibus probauit: Gerinum fratrem eius lapidibus obruit; Epiſcopos, & regni proceres alios exſilio, alios varijs tormentorum generibus è medio ſuſtulit, ingentem de ſe metum, & odium toto regno concitauit. Pipinum poſtremò Anſegiſilo ex Begâ Pipini ſenioris, cuius ſupra meminimus, filiâ natum, S. Arnulphi Metenſium epiſcopi nepotem, & Martinum Auſtraſiæ principes, contra tantam immanitatem, & tyrannidem arma capere, & acie congredi auſos, ingenti editâ vtrimq; ſtrage, profligauit, vniuerſum Auſtraſiæ regnum cæde, flamâ, vaſtitate, funeribus peruaſit, & compleuit: Martinum etiam, fraudulento pacis iuramento, poſtea ad Theodoricum pertractum, ſolitâ perfidiâ, cum toto comitatu contrucidauit. Breui tamẽ inde, dum per inſidias illi parem exitum comparat, Hermanfredo nobili Auſtraſio pœnas dedit. Interfecto Ebruino, Varato præfectus palatio. Varatoni paucis diebus defuncto, Bertarius ſucceſſit, gener quidem Varatonis, ſed longe ad Pipinum vilis, & ignobilis, quo magis egregium iuuenem iniuria accendit, maximè poſtquam ſibi ab eo quoq; inſidias ſtrui intellexit: & Francorum melior pars ad deturbandum eum ſollicitauit. Igitur exercitum contra Bertarium, & Theodoricum duxit, pugnaq́; apud Textricium vtrumq; vicit, cæſoq; ſubinde à ſuis Bertario, principatum regni occupauit, titulo in ſpeciem, ad declinandæ inuidiæ, Theodorico relicto. Neq; poſtea re-

S. Leodegarij epiſcopi Auguſtodunenſis martyrium. ꝗ A. D N. DC. LXXXII.

Pipini Auſtraſij geſta.

Potentia Regum Franciæ in palatij præfectos tranſlata.

A. D. N. DC. LXXXVIII.

gum potentia valuit, præter nomen, & regia ornamenta, cetera omnia Rectores palatij obtinuere. Sub idem tempus, de anno incertum, defunctus Amprinctus. De eo (quem Latzius, & Gebuillerus Bebone natum prodiderunt, cum potius frater eſſe potuerit,) vti neq; de Rothardo aliã memoriam non reperi; niſi monaſterium S. Truiberti auxiſſe, & prope arces, quo colerent magis, & frequentarent, an vt inter tot bella, & diſcidia illorum temporum facilius tuerentur, condidiſſe Amprinctum, Ampringesburgum; Rothardum, quem alij Rothertum, alij Rotbertum nominant, Rotharsburgum, quæ nunc quoq; arces, aut potius ruinæ Monaſterij ſunt in iuriſdictione, & bonis. Amprincto ſucceſſit filius HETTOBERTVS.

Amprincti obitus.

Ampringesburg.

Rothersburg arces Briſiacæ.

HETTOBERTVS COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. III.

PRAETERITIS bellis, & inter palatij præfectos cõtentionibus multa fœda flagitia inoleuerant, non in Auſtraſiâ modo, quæ plures commotiones, & clades pertulit, ſed totâ adeo Franciâ, & Burgundiâ; turbabantq; inter ſe non modo nobiles per æmulationem, & partes; ſed vulgus etiam, & agreſtes, rerum nouarum lubidine, & ſuapte inſolentiâ, aut rurſus dominantium ſæuitiâ, & odio. Itaq; nihil omnibus prouincijs tutum, aut ſecurum aderat, leges, & magiſtratus aboleuerant, quo quemq; cupido ferebat, eo impune graſſabatur. Quo maior cura Pipino incubuit reſtituendi in priſtinam dignitatem regni; breuiq; perfecit, maximâ omnium congratulatione, & lætitiâ, corpore perexiguo, vnde Puſillum, alij Breuem cognominârunt, ſed animo ingenti, viuido, & imper-

Pipinus regni Frãcia inſtaurator.

Theoderici obitus.
r A. D. N. DC. XCI.

imperterrito. Theodorico defuncto r ſucceſſit filius Clodoueus III. qui Ludouicus II. admodum puer. Eo regnante, militiæ per Allemanniam, & Elſatiam, Heluetiamq́; præfuit Rupertus regi ſanguineproximus, quem nonnulli ideo ducem Allemanniæ prodiderunt, magnis, in Heluetiâ præcipue, & viciniâ, opibus. Is fratrem habebat Vighardum presbyterum, qui, hoc tempore, monaſterium in honorem S. Mauritij, & S. Leodegarij Lucernæ ad Vrſæ amnis ex magno lacu egreſſionem condidit, eoq; omnem hereditatis ſuæ partem, & quidquid inde ad Albim vſq; montem Tiguro proximum poſſidebat, contulit, quos potuit monachos congregauit, ſucceſſoremq́; ſui Aluicum nominauit. Rupertus quoq; partem ſuam regi, eâ adſignauit conditione, vt Tiguri, (Caſtrum Thuricinum vocant eiuſdem temporis ſcriptores, & inſtrumenta) in honorem beatorum martyrum Felicis, & Regulæ, quorum ibi corpora requieſcunt, ædem conderet, (inde Præpoſituræ Tigurinæ origo) locoq́;, & Numinis, cultui, Diuorumq́; venerationi ſplendorem, & amorem concitaret. Hinc vtriuſq; vrbis prima incrementa, illius quoq; pene origo prima. Clodouei regnum non vltra quinquennium proceſſit, aut, vt Contractus, & Aimonis Continuator, ſ biennium, ſucceſſore fratre Childeberto, nullâ aliâ re, quam Pipini præfecturâ, nobili. Obijt decimo quinto, t aut, vt alij numerant, ſeptimo decimo regni ſui anno. Succeſſit Dagobertus II. Paullo poſt etiam Pipinus obijt, u incertum maiore vtriuſq;, ſuæ familiæ, an regni exitio, niſi ex Alpeide concubinâ Carolus, cui Martello cognomen, ſuperfuiſſet. Regnifredus enim contra Teodoaldum, quem ex filio Grimoaldo nepotem Pipinus palatio, præfectum inſtituerat, & cum auiâ Plectrude rerum ſummæ præerat, & ex tutelâ Dagobertum regebat, arma corripuit,

Rupertus Dux militia regia in Allemannia Heluetia, & Elſatia.
Frater eius Vighardus presbyter, Lucernæ conditor monaſterij S. Leodegarij.

At Rupertus inſtituit Tiguri Præpoſiturâ S. Felicis, & Regulæ.

Clodouei 3 ob.

ſ Cap XLVIII. Itéq; Childeberti.

t A. D. N. DCC X.

Pipini mors.
u A. D. N. DCC XIII.

ripuit, per inuidiam, vitium inter pares ad extrema natum, acieq; profligatum præfecturâ exuit. Attinebat cuſtodiâ Coloniæ Carolum Plectrudis nouercali odio, ſimul metu ne principatum habere, quam nepotem mallet. Sed vbi Theodoaldum profligatum audiuit, non modo cuſtodiâ laxauit, ſed theſauros quoq; patrios ad perſequendum æmulos, & hoſtes obtulit; Auſtraſij illi regni poſſeſſionem ceſſit. Carolus primo contra Rathbotum Friſiæ ducem Reginfredi auxiliarium arma vertit, ſed ab eo, magnâ clade, victus in Auſtraſiam ſuperiorem ægre euaſit. Obijt, ijſdem diebus, Dagobertus, x qui licet filios duos Theodoricum, & Childericum haberet, idem tamen Reginfredus Danielem quemdam regnare iuſſit, ex monaſterio extractum, & ſtemmatis incertum, nullaq; aliâ re, prærerquam comâ, & barbâ in regium morem nobilem, Chilpericumq; vocauit. Hinc, auditâ Caroli in Friſiâ clade in Auſtraſiam vaſtabundum ſe intulit. y Repreſſit ſæuientem donis, & muneribus Plectrudis, magis quam armis. Sed Carolus, reparato exercitu, Reginfredum, cum ſuo Chilperico breui poſtea ſuperauit, & Pariſios vſq; magnâ ſtrage repulit. Pugnam ſecundo auſos incitatu, & opibus Eudonis Aquitaniæ ducis, rurſus profligauit, Lotharium, quem nonnulli Clodouei III. fratrem, & Childeberti ſcripſerunt, ſuæ factionis regem pronunciauit; haut ſecus quam Chilpericum Reginfredus. Quo Lothario paullo poſt mortuo, & Chilperico ab Eudone, cuius ſe fidei poſt pugnam poſtremam commiſerat, reddito, & eodem pene tempore exſtincto, Theodoricum Dagoberti F. in regium nomen extulit, Reginfredoq; apud Andegauenſes dedito, & Andegaui incluſo, totius monarchiæ Francicæ poteſtatem ſibi vindicauit, mox & pacauit vniuerſam. Ne tamen per otium longos militiæ vileſceret, quâ ante omnes pollere nite-

Caroli Martelli initia & geſta.
Dagoberti obitus.

x A. D. N. DCC. XV.

y A. D. N. DCC. XVI.
Reginfredus Auſtraſiam vaſtat.

Superatur ab Carolo.
Qui Lotharium regem facit.

Et dein Theodoricum.

Fräcia monarchia ſummam arripit.
A. D. N. DCC. XXI.

re nitebatur, in Saxoniam tranſijt, memor Rathboto Friſio fidam, & Francis ſemper infeſtam, & contumacem. Populatâ late regione, per Germaniam victricia arma circumferens, Bauariam, Allemanniamq́; tumultuantes cōpeſcuit. In Eudonem fœdifragum deniq; omnes opes conuertit, ingentiq; victum prœlio totâ Aquitaniâ expulit. At is ad extrema adactus Abdiramum Maurorum in Hiſpaniâ regem in Galliam euocauit, qui innumero exercitu in agrum vſq; Turonenſem prouectus Carolum obuium habuit, exiguo numero, ſed dilecto, & ex Auſtraſiâ, Elſatiâ, & Heluetiâ maximam partem adſcito. Pugnatum contra tantam multitudinem pluſquam viribus humanis, victusq́; Maurus, & interfectus, quæ cæperat recuperata. Eudone etiam animi dolore, an valetudine, paullo poſt ſublato, tota Aquitania in poteſtatem redijt. His tantis concuſſionibus, & nationum exterarum motu. Suborta Allemannis, Bauarisq́; recuperandæ libertatis ſpes, & excutiendæ iterum Franciæ regum obſequelæ. Carolus, eâdem celeritate, quâ in Eudonem, & Mauros ex Germaniâ accelerauerat, in Allemanniam reuolauit, prouinciam pene totam peruaſtauit, incautosq́;, & rebelles citius oppreſſit; quam de victoriâ Mauricâ nuncius aduenit. Landfredo duce dignitate exuto, Berchtoldum præſidere Allemanniæ iuſſit. Eodem tempore eiuſdem Berchtoldi, Vchiq́; fauore, & precibus Pirminius abbas, & Chorepiſcopus Augienſem Inſulam (Richeneau nunc vocant) ab Martello accepit, in eaq́; vtriuſq; opibus monaſterium, fugatis quæ inſederant, infeſtabantq́; ſerpentibus beſtijs, condere cæpit. Ceterum hoc bello Allemannico Hettobertum Altenburgienſem deſideratum pleriq; tradiderunt. Martelli, an Landfredi partes ſecutum, haut perinde memorant, Briſiacam, militari licentiâ, inſignem, eâ expeditione, pertuliſſe

Saxoniam vaſtat.

A. D N. DCC. XXII.

Bauariam, & Allemanniam pacificat.

Aquitaniam ſubiugat.

Saracenos prœlio ſuperat.

Allemanniam & Bauariam rebelles vaſtat & domat.

A D N. DCC. XXIV.

Berchtoldus dux Allemanniæ.

Priminius abbas Augiam ab Martello accipit, eam expurgat, & monaſterium in eâ conſtituit.

Hettobertus bello Allemannico interfectus.

Digitized by Google

liſſe vaſtitatem, incenſum quoq;, & pene deſtructum S. Trutberti monaſterium, quod prius Amprinctus, & paulo ante idem Hettobertus in ſplendorem eximium ſuâ liberalitate, & curâ prouexerant, æque conſentiunt. Mańſiſſe tres filios RAMPERTVM, GEBBONEM, & HETTONEM.

Eiuſdem filij.

RAMPERTVS COMES ALTEMBVRGI Elſatiæ, et Briſiacæ Landtgrauius. Cap. IV.

RAMPERTVS Altenburgi, & in Briſiacâ dominatus eſt, Elſatiam GEBBO tenuit. HETTO ſe in D. Pirminij diſciplinam tradidit, & in Augiâ D. Benedicti ordinem profeſſus maximam de ſe opinionem virtutis etiam admodum adoleſcens apud omnes ſubito generauit, adeo vt cum ab Theobaldo Gottfridi Allemanniæ ducis F. per æmulationem Caroli, & aduerſus eius omnes obnoxios, aut amicos odio, inſulâ pelleretur Pirminius, quem poſt ſe relinqueret monaſterij antiſtitem repererit præter Hettonem aptiorem neminem. Secundus igitur Augiæ abbas Hetto fuit. [z] Pirminius in Elſatiâ regreſſus apud Eberhardum Sequanorum, ſiue Sungouiæ, ſi benè puto, comitem (de eo alij aliter ſentiunt, aut diuinant) deuertit, facileq; impulit, vt proximam Murbacoamne irriguam vallem, ad Voſagi montis radicem, & in eius amfractibus, conſtituendo nouo monaſterio adſignaret. Adſciti qui incolerent ex Augiâ monachi, miſſiq; ab Hettone duodeni. [a] Monaſterium Viuarium Peregrinotum, tum quidem appellatum, ſed ab amne præterfluente Murbacũ obtinuit vocabulum. Theodoricus ſuo priuilegio fundationem confirmauit. De quo hæc pauca in rei argumentum. *Theodoricus rex Francorum viris Apoſtolicis, patribus, epiſco-*

Hetto abbas Augiæ
[z] *A. D. N. DCC. XXVII.*

Pirminius Murbacũ in Elſatia condidit, miſſis ab Hettone monachis.
[a] *A. D. N. DCC. XXXI.*

epiſcopis, necnon & illuſtribus viris, ducibus, patricijs, comitibus, vel omnibus agentibus, tam præſentibus, quam futuris. &c. *Igitur dum venerabilis vir Pirminius gratiâ Dei epiſcopus noſtris temporibus cum monachis ſuis, DEO inſpirante, pro euangelio Chriſti peregrinatione ſuſceptâ, monaſterium virorum in heremo vaſtâ, quæ Voſagus appellatur, in pago Alſacenſi, in loco, qui vocatur Viuarius peregrinorum, qui antea appellatus eſt Mourbach, in allodio fidelis noſtri Ebrohardi comitis, cum ipſius adiutorio, DEO cooperante, conatus eſt conſtruere monaſterium, vel cœnobium ſanctum ibidem inſtituere in honorem DEI, & genitricis Domini noſtri IESV Chriſti*, &c. Ceterum, vti prius Pirminium, ita Hettonem Theodebaldus in inſulâ Augienſi præſidere diutius non tolerauit, eiectumq; monaſterio, gliſcente aduerſus Carolum odio, Vraniam relegauit, [b] illaq; montium tum vaſtitate incluſit, & perpetuo exſilio condamnauit. Quæ vbi ad Carolum perlata ſunt, id enim verò iam nimis ſuperbum, & indignum interpretatus, continuo in Allemanniam exercitum duxit; Theodebaldum expulit, Hettonem inſulæ, & monaſterio reſtituit, mox, cognitâ, & probatâ eius integritate vitæ, & ſapientiâ Epiſcopum Argentinæ non ſine fratrum Ramperti, & Gebbonis ſtudio, & fauore inſtituit. [c] Fuſis hinc iterum, & internicione deletis Saracenis, poſt tot ingentia bella, & fortia facinora, pacato, auctoq; regno, cum eius adminiſtrationem diuiſiſſet in filios, Auſtraſiam, Allemanniam, & tranſrhenanas prouincias Carolomanno adſignâſſet, Franciam, Burgundiam, & cetera Pipino xi. Kal. Nouembris morte Carolus deceſſit, & apud reges, æde D. Dionyſij ſepeliri meruit. [d] Mortuo quoq; paucis poſt diebus Theodorico, (alij anno præcedenti, & ante Carolum defunctum tradunt,) Childericus frater in regni titulum adſumtus eſt. Vbi vero de Caroli morte percrebuit fama, reſuſcitatâ eâ-

Theodoricus rex confirmauit.

Allodium hereditatis eſt, patrimonium, & proprietas hereditaria.

Hetto Vraniam relegatur ab duce Theodebaldo.

b *A. D. N. DCC. XXXII.*

Reſtituitur ab Carolo, & breui ex abbate Epiſcopus Argentinæ efficitur.

c *A. D. N. DCC. XXXIV.*

Caroli mors, & ſepultura.

d *A. D. N. DCC. XLI.*

Childericus rex fratri ſucceſſit.

Digitized by Google

Duces Allemāniæ, & Bauariæ rebellant.

dem, quæ prius illuſerat, dominationis ſpe, continuo Theodebaldus Allemanniæ, & Odilo Bauariæ Duces contra Carolomannum rebellauere, magnumq́; quem aduentanti opponerent, exercitum confecere. Sed Carolomannus paternis expeditionibus belli experientiſſimus pulſo ad primum impetum Theodebaldo, mox prœlio Odilone fuſo, & fugato, vtrumq; ad officium breui reuocauit; e cū

e A. D. N. DCC. XLIII.

Odilone adfinitatem etiam matrimonio Hiltrudis ſororis contraxit. Interea reſtituendo S. Trutberti monaſterio animum Rampertus comes adplicauit. Sed quia hoc vnicum

Rāpertus S. Trutberti monaſterium præteritis bellis vaſtatum reſtituit, et ampliauit.

totâ Briſiacâ monaſterium per ea tempora inerat, ex eoq́; tamquam ſeminario, in vniuerſam regionem, qui diuini Numinis cultum, & præcepta traderent, effundebantur, quo frequentior locus eſſet, & habitationi gratior ædem multo capaciorem conſtrui voluit, latiusq́; in circuitu, excißis quæ occupabant arbuſtis, ſolum coli, & mitigari, internum etiam ædificium ampliari, & largius diffundi, quo plures monachos caperet, & etiam iuuentuti è proximo bonis diſciplinis operaturæ locus eſſet. Dum hæc parantur, & Carolomannus præ amore DEI, & rerum diuinarum ſtudio potentiam regni, & præfecturæ ſplendorem ſpreuit, in Italiamq́; profectus monaſterio Soractino ſe incluſit, rerum ſumma, & regiminis ad vnum redijt, f ad Zachariam

Carolomanno monacho facto Pipinus principatū regni obtinuit.
f A. D. N. DCC. XLVII.

pontificem percontatum Pipinus miſit, iuſtus is rex vocaretur, qui regni vim, & poteſtatem in manu habeat; an qui abſq; titulo regis, nullâ aliâ re præpolleret. Cum pro illo, qui vim retineret, pronunciâſſet Zacharias, Pipinum Franci primum ſuæ familiæ regem communi ſuffragio, & voto ſalutauere, inunxitq́;, & regio cultu induit D. Bonifacius primus Maguntiacenſis archiepiſcopus Sueſſione. g Childericus vitam attonſus in monaſterio priuatam finijt, & vnà Merouingorum ſtirpem, & gloriam. Ductâ à fundamentis,

Qui non ea dignitate contentus regnum affectat, & pontificis auctoritate obtinet.
g A. D. N. DCC. LII.

mentis, vt inſtituerat, baſilicâ, Sidonium Conſtantienſem epiſcopum Rampertus accerſiuit, qui dedicaret, & in eam D. Trutberti corpus ex ſacello DD. Petri & Paulli, in quo hactenus iacuerat, transferret, eo maxime, quod nocturno viſu quibuſdam è fratribus paullo ante beatus martyr adparuerat, & honeſtiorem ſepulturæ locum poſtulârat. Factus eò totâ Briſiacâ ingens concurſus. Sed vbi Trutberti monumentum aperuere integrum, & incorruptum, & veluti ſopori indulgentem, multo oris ſplendore, & odorem ſuauiſſimum exſpirantem offenderunt. Igitur tanto miraculo læti iuxta, & attoniti beatum martyrem maximâ cum pompâ, & veneratione, monumento æde nouâ præparato intulerunt, compoſueruntq; A. D. N. IↃCC. LIV. Continuoq; legatos Comes ad Stephanum. III. pontif. qui in Galliam eo tempore petitum ab Pipino contra Langobardos auxilium venerat, deſtinauit, qui acta edocerent. Pontifex, cognito rei euentu, Trutbertiq; exploratâ vitæ ſanctitate, morte, & miraculis, non modo in numerum beatorum martyrum retulit, ſed peccatorum remiſſiones memoriam eius colentibus, & viſitantibus ſepulturam promiſit, & conceſſit. Inde monaſterio multo maior frequentia, & fama acceſſit, vallisq; adeo tota ab eo nomen accepit, & quod huc vſq; ab Numagâ amne tulerat depoſuit. Sed vt quoq; ſplendori eius, & dignitati reditus, & ſumtus ſuppeditarent, multas alias poſſeſſiones Rampertus tradidit, cenſusq; magnâ ex parte adauxit. Poſtremo ita varijs ſe, & nouis erga monaſterium impenſis, & beneficijs probauit, vt Conditor ſecundus à poſteris vocari, & honorari meruerit. Quantum in augendis, & cohoneſtandis viris, locisq; religioſis Rampertus ſtudij, & ſumtus faciebat; tantum corrigendis, emaculandisq;, quæ ſacrum ordinem inuaſerant, turpabantq; vitijs frater Hetto laborabat,

D. Trutberti in ædem nouam trãſlatio.

Qui miraculoſe poſt tot annos incorruptus repertus.

Stephanus III. pontif. beatorum catalogo infert, & indulgentias ſepulcrum viſitantibus concedit.

Vallis S. Trutberti.

Rampertus Comes nouis cenſibus, & poſſeſſionibus monaſterium locupletat.

Hettonis eodem tẽpore in reſtituendo clero ſtudium.

rabat, maximè vero Simoniacam hæreſin, quæ rebus Eccleſiæ ſemper infeſta, tum præcipue inualuerat, ea vt ne amplius in Argentinenſi epiſcopatu locum habeat, Pipini regis auctoritate, ſanciuit magis Hetto, quā poſteri conſeruârunt. Sed Pipinus multis rebus in Italiâ, Saxoniâ, Aquitaniaq; ſtrenue, & ſapienter geſtis, fundatoq; magno in ſuâ familiâ per virtutem imperio, poſtremo defunctus eſt Pariſijs viij. Kal. [h] Octobris. Carolus, cui poſtea ex factorum amplitudine, cognomentum Magni, & frater Carolomannus prouincias inter ſe diuiſere. Sed, mortuo etiam paucis poſt annis Carolomanno, [i] Imperij culmen ſolus obtinuit Carolus. Non diu etiam poſt Pipinum Rampertus ſuperfuit. Exceſſit enim A. D. N. ıↄcc. lxxi. & apud S. Trutbertum, æde à ſe conditâ ſepultus filio GVTRAMO ſuperſtite. De Gebbone nihil reperi aliud præter nomen, & quatriennio ante fratrem defunctum, vigiliâ natalis Dominici. Hetto deniq; multis rebus in adminiſtratione ſui epiſcopatûs cum laude, & bono publico inſtitutis, cum Monachicellam ad Harciniam ab Vigerno anteceſſore ſuo conditum monaſterium, & poſtea per incuriam, & bella prope exſtinctum Pipini etiam auxilio, & conſenſu, reſtituiſſet, & in ipſum monachos plures deduxiſſet, multis ſuis è Mortnoniâ, Briſiacâ, Ergouiâ opibus locupletâſſet, huiuſq; facti ſcripto rationē reliquiſſet A.D.N. ıↄcc. lxxix. viij. Martij, ſequenti poſt anno quoq; vitæ pauſam fecit, & in eodem monaſterio ſepeliri voluit. Ad eius tumulum hæc pauca characteribus antiquis HEDDO PRAESVL ARGENTINENSIS ECCLESIAE RENOVATOR HVIVS LOCI. Ex monaſterio natū opidum, quod ab eo retinuit nomen Hettenheim Mortnouiæ. Multa quoq; beneficia contulit monaſterio Schuartzach, quod magiſter eius, & inſtitutor Pirminius etiam fundauerat.

Pipini regis obitus.

[h] *A. D. N. DCC. LXVIII.*

[i] *A. D. N. DCC. LXXI.*

Item Ramperti.

Hetto Monachicellam monaſterium reſtituit, quod ab ipſo, uti & opidū, nomē retinuit Hettenheim in Mortnouiâ Briſiaca contiĝa prouinciola.

GVO-

Digitized by Google

GVOTRAMVS I. COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. V.

POSTEAQVAM Carolomanni morte tota regni potentia vnius arbitrio ceſſit, domitâ Aquitaniâ, quæ tu(m) b(ell)auerat, in Saxones Carolus exercitum duxit, deſtructiſq; aliquot caſtellis obſides pacis ab eis accepit. Hinc Adriani pontif. precibus cõtra Langobardos, & regem Deſiderium in Italiam tranſijt; Deſiderium, & regnum Langobardorum, [k] adeoq; totam pene Italiam in poteſtatem redegit. Varie poſtea in Saxones rebelles pugnauit. Audito mox Rotgandi nobilis Langobardi in Italiâ motu, eò quantocyus remeauit, in Elſatiâ Sleſtadij, tunc temporis villâ, natalem Domini [l] celebrauit, Rotgandum captum interfecit. In Saxones reuerſus ad deditionem pene vniuerſos coegit. Multi tum primum ex illis ſalutaribus vndis expiati, & in numerum Chriſti fidelium recepti. Breui nihilominus ad ingenium rediere, Vitikindo maxime Duce, donec eo deniq; in fidem admiſſo, & baptizato vndecimâ rebellione prouincia conquieuit. [m] Subactâ, & pacatâ Saxoniâ tripartito contra Thaſſilonem Bauariæ ducẽ exercitum mouit, deditumq;, & Ducatu priuatum monaſterio cum filio Theodone incluſit. [n] In Auaros inde certauit, & ad Rabam vſq; amnẽ fines imperij prouexit. [o] Tot rebus fortiter iuxta, & feliciter geſtis cum Romam, puniendis, qui Leoni III. pontifici atroces iniurias intulerant, cum exercitu tetendiſſet, die natalis dominici [p] ab eodem Leone Imperator declaratus, magno P. R. adplauſu, coronâ, & ceteris Imperatorijs ornamentis acceptis, primus Occidentis imperium reſtituit. Reliqua eius facta, bella, prœlia, militiæ, paceq; memorabilia alij celebrauere. Poſtremo

cum

Caroli Magni geſtorum ſumma.

k *A. D. N. DCC. LXXIV.*

l *A. D. N. DCC. LXXV.*

m *A. D. N. DCC. LXXXV.*

n *A. D. N. DCC. LXXXVIII*

o *A. D. N. DCC. XCII.*

p *A. D. N. DCCC. I.*

cum filium Ludouicum, qui vnicus ex tribus ſupererat, conſortem Imperij feciſſet, Bernardum ex Pipino filio nepotem Italiæ regem declaràſſet, Aquiſgrani mortem obijt, anno regni quadrageſimo ſeptimo, Imperij quarto & decimo. ꝗ Ludouicus paullo poſt etiam Clotharium filium conſortem Imperij adſumſit, &, interfecto ob rebellionem Bernardo, in Italiam miſit, reliquos filios Ludouicum Germaniæ, Pipinum Aquitaniæ præfecit. Iiſdem diebus defunctus Guotramus, ꝛ nullâ, quam ex veterum monumētis hauſerim, memoriâ ſui, quam Scharpfenſtein arce vallis Trutbertinæ, cuius fundamenta ieciſſe volunt. Sedem, & habitationem habuiſſe Altenburgi, vti reliquos anteceſſores, & poſteros, teſtatur Menlius. Sepultum pariter apud D. Truberti, aut circa A. D. N. ↄↄcccxxiv. Reliquiſſe filios LVITHARDVM, & LVITFRIDVM I. huic Altenburgum, Elſatiam, & cetera obueniſſe, tamquam maiori; alteri Briſiacam. Tertij meminit Latzius, quem Vetzelimum, aut Lancelinum dictum ex aliorum ſententiâ adfirmat. Eum ego eſſe LANCELINVM aut Landolinum credo, quem Treuirenſis Eccleſiæ archiepiſcopum, priori volumine ex Gerardo memorauimus. Multas ex ſuo is patrimonio Monaſterio S. Galli poſſeſſiones dedit, & in ijs Lollingam. Sed cum id fratres comites Altenburgienſes ferre nollent, & nonnulla in Argouiâ ex ſuis prædia Vlrico comiti Scriburgienſi conſignauit, & ab eo contrà Adorf in Turgouiâ accepit, ipſumq́;, & in eo Eccleſiam S. Alexandri, quam, eâ tempeſtate, inſignem curabant duodecim canonici, Hartmuotto donum fecit. Idem Lancelinus ex Italiâ, quo frequenter proficiſcebatur, regreſſus, cum, vt ſolitabat, Hartmuttum vellet, Roſaci apud lacum Acronium in febrim incidit, quæ, eodem in vico breui extinxit. Hartmuottus abbas tamquam amicum, & ſan-

Mortem obijt.

ꝗ A. D. N. DCCC. XIV.

Ludouici Pij ſucceſſio.

Vti & Guotramus comes.

ꝛ A. D. N. DCCC XXIV.

Scharpfenſtein arx

De Lancelino Narnienſi Epiſcopo, & Cardinali.

Beneficia eius erga monaſterium S. Galli.

& ſanguine ſibi coniunctum multaq; ſanctitatis opinione inſignem, & venerandum, ſuper tanta in ſuum monaſterium beneficia, inde ad S. Gallum tranſtulit, & magno cum honore ſepeliuit, circiter A. D. N. ıↄccc. lxxvii. obitus, & ſepultura Eggerardi de hac re verba infra poſita ſunt vbi de Salomone 3. abbate meminit. Obiens autem, inquit, poſt multas quas per ſe ſtatuit, & per Berinhardum obtinuit fratribus, & familiæ beniuolentiæ conſtitutiones circa Landaloum epiſcopum in titulo Apoſtolorum conditum, & amicum ſuum extra parietem tamen ſepeliri ſe petijt, De quo ipſo Landaloho ſancto Daruienſi quidem archiepiſcopo pauca ſcribere neceſſarium puto. Sueuus hic, & nobilis erat apud S. Gallum quidem educatus, & doctus cuius Vindoniſſa cum multis alijs hereditas erat. Igitur Epiſcopus factus Romam pergere ſolebat. Per Iouis itaq; montem tranſiens ibat: per Septimum autem rediens Gallum & Hartmuotum ſuum ſalutabat. Deuouerat autem S. Gallo Lolingam villam dare, ſed cognatis renitentibus conquiſitionis ſuæ loca quædam cuidam Vdalrico comiti vt Gallo Ahadort cum eiſdem locis diſponeret concambiens tradidit. Redijt autem tandem aliquando Roma, & ad Gallum ſuum tendens Italici aeris vitio febri correptus vix ad Roſchanchin peruenire præualens Hartmuoto cum fratribus ad ſe aduocato nobiliter diem obijt, Diſpoſuit igitur adhuc viuens ad titulum S. Petri, cui ibat, qui eſt in cimiterio S. Galli capellam qua itinerans vtebatur cũ relliquijs, & libris, & omnibus vtenſilibus ſacris in quo & corpus illius cum omni honore humatum eſt. Freneticus, vt aiunt, in ſeptimo eius ſuper illius corruens tumbam ſanus ſurrexit. Tradunt & alias infirmitates ſæpe illic meritis eius curatas.

LVIT-

LVITFRIDVS. I. COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. VI.

LVDOVICO poſtea Imp. maiora cum ſuis, quam externis bella fuere, filiorum ſuperbiâ, & inter ſe inuidiâ, maxime poſtquam Carolo ex Iudithâ nato minorenni Franciam, pater pro parte adſignauit. Coactus deniq; Imperium cedere in monaſterium ſe abdidit. [s] Sed, reſumtis inſignibus, breui de rebellibus ſupplicium ſumſit, Lotharium in Italiam repulit, [t] Ludouicum totâ Germaniâ agitatum Bauariæ finibus incluſit, alios procerum exſilio, nonnullos morte adfecit. Reſtitutus poſtremo in gratiam Lotharius, & diuiſum inter ipſum, & Carolum, præter Bauariam, quam ægre Ludouico dimittebat, totum imperium. [u] At hic, conciliatis, collectisq; haut paucis Bauariæ, Allemanniæ, Saxoniæ primoribus, arma capit, & patri, fratribusq; bellum infert, quem dum Pius pater reprimit, labore, & ægritudine in morbum incidit, quo paucis poſt diebus apud Ingelheim deceſſit. [x] Sepultus eſt Metis æde S. Arnulphi. Poſt eius obitum Lotharius imperium ſibi ſoli vindicauit, & rerum ſummam. Quâ re non modo Ludouicum, ſed Carolum quoq; iam, qui hactenus ab eo ſteterat, offendit. Itaq; arma coniunxere. Et Ludouicus, factâ ingenti Allemannorum, Saxonum, Thuringorum, præcipue Bauarorum manu, Rheni ripas inſedit: quo cognito, Carolum, quem perſequi primo ſtatuerat, Lotharius reliquit, & in Ludouicum ſigna rapuit, & pene oppreſſit: mox, maiori copiarum parte ad Rhenum in Elſatiâ, Heluetiâ, Rhetiâ diſpoſitâ, in Carolum retroceſſi, ratus, vno deleto; alterius facile exſcidium. Sed de conſilio Ludouicus admonitus quantâ ma-

Ludouicus Imperio exuitur.

[s] A. D. N. DCCC XXX.

Mox reſtituitur.

[t] A. D. N DCCC. XXXIV.

Et ſupplicium de coniuratis ſumit. Imperium in duos filios partit.

[u] A. D. N. DCCC. XXXIX.

Vitam & Imp. deſerit.

[x] A. D. N. DCCC. XL.

Bellū inde fratres reges inter inualeſcit.

Digitized by Google

xime potuit celeritate, copias collegit, Rhenumq; armatâ manu ſuperauit, Adelbertum comitem in Rhetiâ reſiſtere conatum multâ cæde profligauit, ad Carolum perualit. Commiſſa tum Fontaniaca pugna, & in eâ maxima pars pene omnium regnorum nobilitatis exſtincta. y Victus, & caſtris exutus Lotharius. Animum tamen, ingenitâ ferocitate, & in Belgio militem breui reparauit. Eundem apud Argentoratum, & in Elſatiâ fratres opperiuntur, & pugnam auſum, iterum profligant. z Exhauſto iam, & feſſo tantis cladibus imperio, omnis ad arbitros delata contentio, regnumq; deniq; tripartitum. Ludouico Germania ceſſit, cum ſuis prouincijs Allemanniâ, Saxoniâ, Thuringiâ, Franconiâ, Bauariâ, Pannoniâ: Carolo Francia, Moſâ, Rhodano, Oceano, Pyreneis terminata. Lotharius Imperij titulum, Italiam, Burgundiamq; accepit, & Prouinciam quamq; ab eo poſtea vocârunt Lotharingiam cũ Belgio, Elſatiâ, Heluetiaq; vſq; ad Vrſam. Ludouicus varia cum Bohemis, Slauis, Sorabis bella geſſit. Lotharius diuiſo in filios imperio, Prumiæ ſe monaſterio incluſit, ibiq; diem ſupremum obijt. Ludouicus Italiam, cum Imperij titulo; Prouinciam Carolus: Lotharingiam & Burgundiam Lotharius obtinuit. a Eodem anno Chriſti Dn. IↃCCC.LV. obijt Luitfridus ſuperſtitibus liberis LVITFRIDO II. HVGONE, & ERMENTRVDA, quæ Cunrado Burgundiæ Minoris comiti, ſiue præfecto nupta, Rudolfum primum ſuæ ſtirpis regem genuit, cui Conrado Stretlingenſis quare cognomẽtum fecerit Lazius me ignorare fateor. Scio Stretlingam ad lacum Dunenſem Vindoniſſenſis tractus arcem, & ex eâ familiam nobilem, ſed intra barones ſtetit. Et quas nobis ex Paterniaco adfert memorias vereor vt ne fictæ ab eo ſint, & ſuppoſititiæ. Potuit tamen, & hoc credo, Stretlingâ Rudolfus in arce naſci, &

Pugna Fontaniaca

y A. D. N. DCCC. XLI.

z A. D. N. DCCC. XLII.

Imperij in eoſdem diuiſio.

Lotharius monachum ſe facit, partito in filios Imperio.

Ludouicus II. Imp.

a A. D. N. DCCC. LV. Luitfridi I. obitus. Liberi.

inde ad poſteros ferre denominationem . Luitfrido Altenburgum ; Hugoni , Elſatia , & Briſiaca ceſſit. De Luithardo nihil mihi aliud cognitum niſi Gengenbach Harciniæ monaſterium , haut multo ante ab S. Pirminio , vt alia plura eius tractus, conditum multis poſſeſſionibus auxiſſe, & inter primos eum fundatores numerari .

Luithardus inter fūdatores monaſt. Gengebach.

LVITFRIDVS. II. COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. VII.

Lotharij regis fortuna. & exitus.

VARIA Lothario,cui Lotharingiam,Burgundiam, Elſatiam , & eam Heluetiæ partem , in quâ comitatus Vindoniſſenſis , obtigiſſe diximus , fortuna fuit , non tamen improſpera , donec , repudiatâ Thietburgâ vxore , Valtradam concubinam pro coniuge legitimâ adſumſit . [b] Eo enim facto,primò Hugbertus,Thietburgæ frater,quem ducatui Tranſiurano amicitiæ,& neceſſitudinis cauſsâ præfecerat , rebellauit , vicina quæq; vaſtauit , regios exercitus ſæpius cecidit : tum vero Nicolaus papa , niſi meliora conſilia capeſceret , & legitimam coniugem , Valtradâ abiectâ reciperet , communione piorum priuaturum per Arſenium legatum denunciauit . Recepit tum ; neceſſitate tantâ , Thietburgam Lotharius ; mox iniurijs oneratam iterum repulit , concubinæ indulſit . [c] Igitur ſentētiam excommunicationis Nicolaus euulgauit , eamq; mox confirmauit , qui ſucceſſit , Adrianus . Magnam ad hoc , Hugberto ſollicitante , primores ab eo regni ſeceſſionem fecere . Quibus omnibus coactus Lotharius in Italiam iter inſtituit , non tam animo reducendæ vxoris , aut deſerendæ Valtradæ , quam huius obtinendi matrimonij ſpe . Sed pontificem ad omnia alia quam ipſius fœdæ libidini

b A. D. N. DCCC LXII.

c A. D. N. DCCC LXVI.

dini obſequentem, aut paratum offendit. In poteſtate igitur futurum, & facturum mandata cum Adriano ſpopondiſſet, in Burgundiam reditum parauit, contractaq́; in itinere valetudine Placentiæ defecit. [d] Quamprimum eius mortis nuncium, Carolus patruus, cui Calui dedere cognomen, Franciæ rex accepit, in Lotharingiam properauit, Metisq́; regni Lotharingici coronam ab Aduentitio epiſcopo accepit. Inde in Elſatiam tranſijt, & Hugonem Altenburgienſem, Elſatiæ ſuperioris, & Bernardum inferioris comitem in fidem ſuſcepit, Aimonis Continuatore teſte, [e] cuius hæc eâ de re adpoſui verba cum coronationem, & alia enarrâſſet. *Carolus pellectus vanis ſuaſionibus falſorum nunciorum qui ei ſuggerebant, quod frater ſuus Ludouicus viciniſſimus morti foret, iter in Elſatias partes arripuit, vt Hugonem Luitfridi filium, & Bernardum, & Bernardi filium obtineret, ſicuti & fecit, indeq́; Aquas grani remeans, ibidẽ natiuitatem Domini celebrauit.* Aquiſgrani nuncios ab Ludouico fratre iam valetudini contra ſpem, & votũ reſtituto accepit cum mandatis, Lotharij regno abſtineret, niſi armis certare mallet. Interceſſerunt, eodem tempore, vtriuſq; regni Germaniæ, & Franciæ, primores, & de eorum ſententiâ Lotharij diſpartitum inter fratres regnum. Inter alias prouincias tractus Rhenanus Ludouico ceſſit, vrbes recenſet Continuator [f] Coloniam, Treueros, Traiectum, Argentinam, Baſileam, Ciuitatem Metenſem; & inter plura monaſteria, Elſatiæ quidem, & Sequanorum, Morbacum, S. Gregorij, S. Mauri, Maſonis monaſterium, Ebersheim, Hochburgum, Grandem vallem, Luteram; in Heluetiâ, S. Vrſi Saloduri, quo pacto, non modo Lotharingia, & maior Belgicæ pars in Ludouici ditionem peruenit, ſed etiam Elſatia vtraq;, ſiue comitatus Elſatiæ inferioris, & ſuperioris. Addit enim, *in Eliſatio comitatus duos*, itemq́; Burgundiæ mi-

d A. D N. DCCC LXIX.

Carolus Caluus eius mortui regnũ occupat.

e Lib. v cap xxiv.

Quod deniq; cum Ludouico fratre coactus diuidit.

A. D. N. DCCC. LXX.

f Lib. v. cap xxv.

Ludouici regis portio.

In qua Elſatia, & Vindoniſſa.

M 2 noris

Digitized by Google

noris eã portio in qua Vindoniſſenſis comitatus, & quidquid Salodurum protenditur regno Germaniæ adiectum, Comitesq́; Altenburgienſes, qui hactenus modo in Auſtraſiæ regum poteſtate fuerunt, modo Burgundis principibus paruerant, in Germanorum poſtea regum, & Imperatorum dominationem conceſſere, donec Rudolfus regno ſuo Burgundico iterum adſeruit. Sed vt de hereditate Lotharij contentio fuit, ita non minor inceſſit poſtquam frater eius Ludouicus Imp. obijt. Eo enim Mediolani, abſq́; ſubole maſculâ extincto, [g] ſubito eius theſauros, tamquam vnius, & regnum Carolus in poteſtatem redegit, rectaq́; Romam profectus, ab Ioanne pontif. imperialia ornamenta ſuſcepit, Italiam ex arbitrio compoſuit. Ne vlciſci iniuriam, aut partem debitam repetere poſſet frater Ludouicus Germaniæ rex mors præpedijt, quæ ad plures, & meliores v. Kal. Septemb. [h] anni ſequentis detulit. Filij tres Ludouicus iunior, Carolus, & Carolomannus regnum paternum diuiſere. Carolomannus Bauariam, Pannoniã, Carinthiam, Morauiam, Bohemiam accepit; Ludouicus Germaniam in quâ Francofurtum caput, & prouinciæ Franconia, Saxonia, Thuringia, Friſia, & inferiora Rheni: Carolus quem Craſſum vocârunt, Allemanniam, ceteraq́; regni Lotharingici. Et huic ſubiecti Altenburgienſes: Caluus fraternam quoq; hereditatem inhiauit, Rhenoq́; tranſmiſſo, in Germaniam inuaſit, ſed magno dedecore, & clade Ludouicus iunior repreſſit, profligauitq́;. In Italiam deinde regreſſum, audito Carolomanni aduentu, & ad pugnam paratum, tantus horror, & trepidatio inuaſit, ſubito vt ſe in fugam coniecerit, quâ in trepidatione, & metu, motâ dyſenteriâ, paucis diebus vitæ, & immanis cupiditatis finem fecit. [i] Reliquit Ludouicum, cui ex eloquij impedimento, Balbi cognomentum. Carolomannus, Italiâ in-

ditionem

Imp. Ludouici II. mors.
[g] A. D. N. DCCC. LXXV.

Et Caroli II. Romę coronatio.

Ludouici Germaniæ regis obitus.
[h] A. D. N. DCCC. LXXVI.

Regni eius inter filios diuiſio, & eorũ geſta.

Caroli Imp. obitus.
[i] A. D. N. DCCC. LXXVII.

ditionem receptâ, in Bauariam redijt, vbi, membris diſſolutis, cum Ludouico fratri filium Arnulfum commendâſſet defunctus eſt. [k] Eum, ſecundo poſt anno, ſecutus Ludouicus. Vterq; magnæ virtutis, & pietatis. [l] Carolus, qui tertius fratrum ſupererat, Romam profectus ab Ioanne eodem pontifice Imperator, cum Richardâ coniuge, coronatus eſt eius nominis tertius. Maturato inde in Germaniam reditu morte fratris vacuam, Vormatiæ conuentum celebrauit, principumq; ſacramenta accepit. Mox in Normannos, qui Belgicam fœdè lacerauerant, duxit, plures eoſdem per dies oppugnauit, pacemq;, & Chriſti cultũ pollicitos in deditionem accepit, Sigefridum eorum regem è ſacro fonte ſuſtulit, & muneribus donatum amicum, & obſequentem reddidit. In Italiam inde redijt, & Vidoni Spoletino duci rebellionis gratiam fecit. [m] Ex Italiâ ſubito proceres regni in Galliam reuocarunt poſt Carolomanni Balbo ex concubinâ geniti mortem, turbantem, regnum in ſuam poteſtatem ſuſcepit, compoſuitq;. Valetudine hinc aduerſâ, cum in Elſatiâ aliquandiu decubuiſſet, mente quoq; minus conſtare cæpit. [n] Igitur principes Germaniæ, regijs Francofurti comitijs, Arnulpho Auſtriæ, & Carinthiæ duci, Carolomanni F. Caroli nepoti, regnum detulere. Carolus vitam priuatam cum paucos menſes vixiſſet, Endingæ Allemanniæ vico defunctus eſt, & in Augiâ ſepultus, [o] de quo profectò memorabilia Rhegino eius temporis ſcriptor non contemnendus, quæ qui volet apud ipſum reperiet, & in ijs, magni, & æternâ memoriâ digni principis exemplum, ſimul & rerum humanarum, quæ modo in alto, mox in extremo agitant, numquam in eodem ſtatu durant. Caroli mortem multæ profectò, & inauditæ, ſi quando aliàs conuerſiones, clades, vaſtitates, ſecutæ. Tranſlata rerum imperia, regna noua condita, alia exſtitu-

Item Carolomanni.

k *D. D. N. DCCC. LXXX.*

Et Ludouici iunioris.

l *A. D. N. DCCC LXXXII.*

Carolus Craſſus III. Imp. & eius geſta.

m *A. D. N. DCCC LXXXV.*

n *D. D N. DCCC LxxxVII.*

Arnulphus rex Germ. & Imp.

Mors Caroli III. Imp.

o *A. D. N. DCCC LxxxvIII*

Conuerſiones rerũ poſt illa.

exſtincta. Bella inde cruenta, & crebra. Ad hoc frequentia principum inter ſe, mox aduerſum dominantes diſcidia, rebelliones, arma; præter barbarorum, veluti turbidiſſimâ tempeſtate, toto prope Occidente, inundationes, rapinas, incendia, ſtrages, funera. In Burgundiâ primus ex Caroli obitu motus. Illam Rudolfus, Cunradi comitis, & Ermentrudæ Altenburgienſis F. Hugonis abbatis, & Ligerini limitis, poſt Roberti cædem, ducis nepos, adminiſtrabat, iuuentâ, manuq́;, & ingenio promtus, ortu vero, & nobilitate nullum ante ſe arbitrabatur. Scriptores recentiores, in primis Lazius, ex comitibus Altenburgi deducit. Sanguine coniunctum & adfinitate, Luitfridiq́; ex Ermentrudâ nepotem haut quaquam dubium eſt, de ſtemmate eius, vt non æque conſtet. Ipſe genus ſuum ad Carolum M. Imp. referebat. Is cum animaduerteret Arnulphũ Carinthiæ, & Pannoniæ ducem Germaniæ Imperium; regnum Galliæ Odonem, ſiue Othonem Ligerini comitis, poſt Hugonis aui mortem, ducem, propinquum ſuum, & amicum; Italiam Beringarium Fori Iulij Comitem, & Guidonem Spoletinum vtrumq; titulo regis inuaſiſſe, Gallorũ, & Imperij Occidentis monarchiam diſſolutam, omnia per partes rapi, & debilitari, ſeipſe attolere, incitare, vires ſuas circumſpicere, comparare, poſtremo, animo ſpe, & cupiditate incenſo, & præcipiti, Agauni apud D. Mauritij, auctoribus, & comitatibus vtriuſq; ordinis prouinciæ primoribus, regni Burgundici inſignia, & ornamenta cæpit, præter cetera, haut ignarus prouinciarum diſſenſionibus regnorum faciles mutationes eſſe, ſecordiamq́; ſæpius audaciâ, & temeritate deteriorem, & illa apud mortales laudari quæcumq; euentus felices probauiſſent. Igitur Rudolfus rex Burgundiæ, eo quo diximus modo, apud D. Mauritij coronatus, continuo in Lotharingiam, Elſatiam, Sequanos

Burgundiæ motus, et nouum regnum, Rudolfo Comite conditore.

Lib. 5. Comm.

Eius occaſiones.

Rudolfus apud S. Mauritium coronatur.

Principes regni Lotharingici, & prouincias ſollitat.

quanos

quanos miſit, qui reliquos proceres ad partes ſollicitarent, & traducerent. Et facile Elſatas, & Sequanos perpulit Luitfrido, & fratri Hugoni ſubiectos, aut amicos, qui augendo, tuendoq́; nepoti, omnes opes contulerant, aut rurſus Imperatoris acerbitati iniquos, & offenſos.

Parte adducit adnitentibus Altenburgienſibus.

Lotharingios Arnulfus retinuit, filio Zundibaldo duce conſtituto. Deniq; breui tempore regnum Rudolfus ab Rhodano, & Arari, ad Rhenum, & Vrſam perduxit, adeoq́; firmauit, vt contra vtriuſq; Arnulfi, & Zundibaldi incurſiones, copias, & arma fortiter ſeruauerit, & ad poſteros feliciter tranſmiſerit.

Regni Burgundici fines.

Sed quo firmior eſſet, & hac quoq; parte opes ſuas ſtabiliret, cum Richardo Auguſtodunenſi comite, Boſonis prouinciæ regis fratre, qui primus idem Burgundiæ dux, viro ſtrenuo, & magnæ per Galliam auctoritatis, & famæ adfinitatem contraxit, datâ in matrimonium Adelheide ſorore, quæ ei peperit Rudolfum poſtea Franciæ regem, Hugonem Burgundiæ ducem, & Boſonem comitem.

Nouum principatum adfinitatibus confirmat.

Adelheidis Rudolfi ſororis coniugiũ, & liberi.

Rudolfi Burgundiæ regis primi, vti & poſterorum, memoriam cum curâ quæſiui, tradidiq́; ſed paucis, non eâ tantum ratione, quod Altenburgienſibus cognati fuere, quam quod ſuo imperio Altenburgum quoq;, & Vindoniſſenſem comitatum, & Elſatiam incluſerunt, & certe animorum magnitudine, & geſtorum gloriâ etiam meruere. Eâ tempeſtate, Belgium, Galliamq́; pene vniuerſam Normanni inſigni crudelitate rapiebant, vexabantq́;, miſeratq́; contra eos exercitum Arnulfus, ſed infelici congreſſu hoſtem multo atrocius incenderat, furebantq́; flammâ, & ferro, neq; aderat, qui contra auderet, omnes tergum vertebant, virtutem, & gloriam fugæ, & infamiæ poſt habuerant. Tantâ rei indignitate Cæſar permotus, in barbaros victores, & ſucceſſu feroces, & ludibundos, militem rapuit, deiectoq́;, quod apud amnem Tiliam munierant, aggere,

Arnulfi contra Nortmannos res proſpera.
A. D. N. DCCC. XCI.

tanto

tanto impetu, & feruore exercitus in hoſtem inuaſit, vt internicio deleto, vix qui ad naues cladis nuncium reportaret, ſuperfuerit, Continuere ſe ex eo Nortmanni, ſed neq; diu, nec vt breuibus excurſionibus abſtinerent. Arnulfus in Allemanniam, & Bauariam regreſſus, cum Morauiam rebellem peruaſtâſſet Vormatiæ conuentum habuit. Ibi Carolus Simplex rex Galliæ contra Othonem ab eo auxiliũ implorauit. Iuſſi dare Belgicæ proceres, & Epiſcopi, & in regnnm reducere. Ipſe in Italiam cum exercitu tetendit, Bergamum Langobardiæ vrbem expugnauit, Ambroſium comitem ante portas ex arbore ſuſpendit, ingentiq; eo facto, omnibus addito metu, cum nemo reſiſteret, aut moueretur, contra Rudolfum in Burgundiam iter, & arma conuertit. Superatisq; ſummis alpibus Octodurum, Agaunum peruenit; hinc in Burgundiam Minorem tranſijt, cuncta prædâ, & flamâ vaſtauit, Rudolfo ad tantas tum quidem copias impare, & in montes, & loca firmiora elapſo. Vaſtatâ, vti memorauimus, Burgundiâ, & mox Elſatiâ, Vormatiæ iterum conuentu habito, Lauresheimij aliquamdiu ſubſtitit. Ibidem quas Rudolfo vrbes, & caſtella, prouinciasq;, extorquere non potuerat, Ludouico Boſonis filio, Hermingardis matris precibus dono dedit, quaſi facilius eſſet ea prouinciæ comiti recuperare, quam expugnare Germaniæ regi. Inuocatus mox ab Formoſo pontifice, contra Beringarium, & Landtbertum tyrannos in Italiam redijt, & illi quidem deditionem ſponte facienti rebellionem condonauit: iſtum vero Romam aduenienti occludere auſum, expugnatâ primus omnium Imperatorum dominâ vrbe, fruſtra perſecutus eſt. P Formoſus armis introgreſſum Arnulfum magnis honoribus ſuſcepit, & Romanorum Imperatorem coronauit. In Germaniam reuerſus, natis varijs ſuſpicionibus, Ratisbonæ frequentem

In Italia rebelles caſtigat.

Burgundiam minorem contra Rudolfum vaſtat.

A. D. N. DCCC. XCIV. In Elſatiam.

In Italiam redit, Romam expugnat, et in ea coronatur.

P A. D. N. DCCC. XCVI.

Digitized by Google

conuentum agitauit, & pleroſq; regni principes in ſua verba, & Ludouici filij, nouo ſacramento adegit. Eo quoq; cum Rudolfus tetendiſſet, eius quod inuaſerat Burgundiæ regni confirmationem deniq; impetrauit. Longo poſtea victus morbo, vitam Arnulfus deſeruit, & Ludouico regnum. Principes enim, comitijs Forchtheimenſibus, regnare iuſſerunt admodum adoleſcentem. ꝗ Tertio Ludouici anno, Chriſti ɪɔcccc. III. Luitfridus maiorum veſtigia ſecutus S. Trutberti monaſterium ab Ramperto auo, multis partibus auctum, & illuſtratum, ad culmen perduducere conſtituit. Itaq;, accitis filijs, in quos iam ætate inclinante, & adfectâ, comitatus, & dominia, paullo ante mortuo abſq; alio herede fratre Hugone, cuius in Elſatiâ Hugſtein caſtrum oſtenditur, diuiſerat, eorum conſenſu, & voluntate, non modo ab maioribus factas donationes confirmauit, ſed nouis ipſe reditibus, & poſſeſſionibus Monaſterium locupletauit, &, vti de ſuo idem filij quoq; facerent, auctor fuit. Primus abbatiam fundauit, primum Valdericum abbatem inſtituit, ſucceſſores poſtea eligendi monachis poteſtatem reliquit, aduocationem, & defenſionem monaſterij filijs, & poſteris retinuit, & adſignauit, amplis, & æquis conditionibus. Harum, & aliarum rerum inſtrumentum condidit, quod repræſentare viſum, non vt circumfertur alijs, ſed ſicuti ex autographo Volfgangus Latzius tranſtulit. Inſtrumentum tale eſt. *Quid ſalubrius, atq; vtilius poteſt quiſquam cogitare, quam ſuo creatori, ſe, ſuaq; ſubiugare, de caducis, atq; tranſitorijs æternam vitam, dum valet, mercari, Domino monente, atq; teſtante, Quid proficit homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ vero ſuæ damnum patiatur? Et illud ſapientis; Redemptio animæ ſunt propriæ diuitiæ. Ideo ego Luitfridus* ᵻ *in nomine Sanctæ Trinitatis, quod nobis ſuggerit honeſtas Sacerdotum clariſſima dignitas*

Rudolfus ab eo Ratisbonæ in gratiam recipitur cum ſuo nouo regno.

Arnulfus obit, ſuccedit filius Ludouicus.

ꝗ *A. D. N. CM.*

Luitfridus Monaſterium S. Trutberti ad ſummum perducit, primũq; Abbatem inſtituit, liberis præſentibus, & approbantibus, donationesq; augetibus.

Migrationum lib. viij.

Inſtrumenti eius verum exemplum.

ᵻ *Fraudulentè hîc pleriq; adiungunt,* Comes de Auenaburg.

Digitized by Google

tas rerum, omniſq; induſtria fidelium decreui deuotâ mente quoddam monaſterium in honore DEI conſtitutum, & Apoſtolorum Petri, & Paulli, & Sancti Trudberti martyris, qui ibi coronatus, & in ipſo, ſanctiſſimo corpore requieſcit, ceterorumq; ſanctorum, quod à præterfluente fluuio Nymagâ, nunc monaſterium ſancti Trudberti vocatur, reſtaurare, & augmentare; cum ædificijs omniq; ornatu ad diuinum cultum pertinentibus, quod ego à fratre meo Hugone in partem hæreditatis poſſedi. Vnde diuino amore compunctus pro remedio animæ, & progenitorum, atq; ſucceſſorum meorum quidquid per chartam traditionis donatum fuit ab anteceſſoribus meis Otberto videlicet, qui inductor fuit precioſiſſimi martyris, & Ramberto, ceteriſq; fidelibus, eamdem villam, cum omnibus illi adiacentibus, à monte Sambâ, vbi oritur Nymaga, cum montibus, collibus, pratis, paſcuis, ſiluis, vallibus, cultis, & incultis, ab ortu ſupradicti fluminis, vſq; ad fluuium Mezimbach, ex vtraq; parte montium, in integrum, atq; per totum, conſentientibus filijs meis Hundfrido, Luitfrido, & Hugone, trado, & transfundo Vualderico abbati, atq; fratribus ibi DEO ſeruituris, vt habeant, teneant, atq; poſſideant perpetualiter, ſine omni contradictione. Inſuper cum conſilio filiorum meorum, atq; rogatu, vt propenſius, & deuotius, memoria mei, meorumq; filiorum augeatur in præfato monaſterio, exceptis his quæ prænominauimus, ex aliâ meâ hereditate donaui ad ipſum locum, hoc eſt, in Mortonauuâ in Bichinchaim, & in Vuitrillimbach, & in Gamianshurſt in Alſatiâ, & in Bergheim, & in Limenhuſen, quidquid habere in his locis viſus ſum. Ad altare vero, vbi deſidero meum eſſe ſepulcrum, dedi ſpecialiter in Columbrâ vnam huebam, vt eam habeat cuſtos ipſius altaris, & procurator, ad memoriam mei libentius peragendam. Hæc ego donaui de meâ parte. Sed & præfati filij mei, pro DEI memoriâ, ac ſanctorum eius, quorum memoria, & honor ibidem aſſidue celebratur, ex ſuâ quiſq; parte quæ ſe contingit propriæ hereditatis

tatis

tatis ad ipſum locum dederunt, Hunifridus videlicet qui eſt maior in illis natu in Nortgouue vnam curtim quæ dicitur Kuriginshouen; Luitfridus in Sundgouue, in Suouamsheim: Hugo in Egenesheim. In his prænominatis locis ego ipſe Luitfridus, & prænominati filij mei quidquid viſi ſumus habere in præſens, ad prædictum monaſterium per totum, ſinguli quiſq; noſtrum ex ſe pari voto, conſimiliq; conſilio, damus, atq; tradimus, vt abbas ipſius loci, ceteriq; monachi firmiter teneant, ac, nullo hominum contradicente, perpetuo poſſideant. Decimationes etiam in Sundhouue, & in Hundelsheim de noſtris rebus concedimus eis ſimili ratione. Ipſi vero monachi in ipſo loco conſtituti poteſtatem habeant eligendi abbatem inter ſe, qui eos regulariter poſſit, & dignè regere. Ipſi quoq; filij mei aduocati ſint rectiſſimi ipſius loci, atq; tutores, & defenſores, & hæredes ipſorum. Et ſub eorum tutelâ ipſum monaſterium cum omnibus pertinentijs tam cautè, & iuſtè defendatur, quatenus ſint reddituri inde rationem. Sed & abbas, quem ipſi conſtituerint, poteſtatem habeat ad procurandum ipſarum rerum, & fratrum: nihil inde ſeruitij, aut cenſus exigatur à filijs meis, vel ſucceſſoribus eorum, aut ab vllâ perſonâ. Per dominum omnium creatorem obteſtor, vt electum abbatem nullus audeat pro pecuniâ, aut per aliquam occaſionem iniuſtè deponere, aut conſtituere alium. Et ſi quis conatus fuerit hoc facere, niſi citò reuocatus ab hoc cœpto tam nefario fuerit, tam acceptor pecuniæ, & dator, quicumq; inter eos mediator fuerit, cum mago Simone, qui ſpiritus DEI dona æſtimauit emere precio pecuniæ, eſt præcipitatus Apoſtolicâ auctoritate in profundùm Tartari, & cum Iudâ Iſcariote, qui Dominum noſtrum vendidit pecuniâ, damnetur æternâ perditione. Et quiſquis hæredum meorum, ſiue prohæredum, ſiue qualiſcumq; perſona in aliquo infringere, aut irritare ſtuduerit, quæ, cum conſenſu filiorum meorum, deuotâ mente ad ſeruitium DEI contradidi, donaui, firmaui, in vltimo DEI magno, & horrendo iudicio cogantur reddere rationem,

Digitized by Google

& ab æquiſſimo iudice damnentur æterno ſupplicio. De cetero notum ſit omnibus fidelibus, tam præſentibus quam abſentibus, quod ego Luitfridus cum conſenſu filiorum meorum, & ipſorum fratrum tunc præſentium, commendaui illum ſanctum locum Vualderico abbati omnibus diebus vitæ ſuæ, vt quidquid ad illum pertinet ſuperius prænominatorum, ex prædictis montibus, vallibus, aquis, aquarumq; decurſibus, à fonte prius nominato Nymago, & Britzznahâ, qui oritur in mente Brizzinberg, iterum, atq; iterum teſtificor ſecundum Apoſtolum, coram DEO, & Chriſto IESV, qui vindicaturus eſt viuos, & mortuos, ac aduentus eius, regnumq; ipſius, ne quis audeat hæc à nobis tam votiuè conſtituta in aliquo violare, aut deſtruere. Aut ſi talis vmquam emerſerit (quod fore non credimus,) qui contemnat DEI iudicium futurum, hæc irritare, vel infringere tentauerit, Epiſcopum ad cuius dioceſim ipſum monaſterium videtur pertinere, ceteroſq; qui tum ſanctæ Eccleſiæ regimen habent, obſecramus per miſericordiam DEI, quatenus feruentiſſimo zelo, & diſtincto iudicio reſecentur tales conatus ſub anathemate. Hæc acta ſunt in ipſo monaſterio, præſentibus his teſtibus, quorum ſingula ſubſcripta ſunt nomina, Salderici, Reginoldi, Centenariorum, Gozelini, Geroldi, Alberici, Draſemundi, Meginboldi, Vttonis, Luitfridi, Humberti, Gebhardi, Luithardi, aliorumq; multorum: quod longum eſt narrare. Signum  *illuſtris Comitis, & filiorum eius, Hunifridi, Luitfridi, & Hugonis, qui hanc chartam donationis fieri, & firmari rogauere. Item ſignum monachorum Geuuerici, Hildenimi, Diethardi, Gozelini, Berenhardi, Regingeri, Erhardi, Vuillegeri, & Nicaſij. Ego itaq; Villegerus in ipſo monaſterio, in vice cancellarij, anno tertio regnante Ludouico filio Arnolphi, ſub comite Vuoluuyno, octauo Kal. Mai. Lunâ x. rogatus.* Hoc facto fundatoris tertij, & poſtremi Trutbertini monaſterij famam, & memoriam ſibi Luitfridus cum ſorore, & liberis vindicauit. Hinc eo-

Luitfridus fundator tertius monaſt. S. Trutberti.

rum

rum tantum mentionem, & quorum ſupradicto in inſtrumento meminerat, Otberti, & Ramperti, in epitaphio, quod poſterioribus temporibus compoſuerunt, monachi conſeruauere. Epitaphium ita ſe habet. GENEROSORVM OTPERTI, RAMPERTI, LVITFRIDI. ITEM. HVNDFRIDI, LVITFRIDI, HVGONIS, ET DOMINÆ ERMANDRVDÆ ILLVSTRIVM COMITVM DE HABSPVRG ALSATIÆ LANDGRAVIORVM HVIVS ORNATISSIMI MONASTERII FVNDATORVM HIC SEPVLTORVM EPITAPHIVM.

Hoc nos in tecto ſollemnibus accipe ſaxis
Hoſpita terrena puluis, & vmbra ſumus.
Noſq; illo in clauſtro chari excepere nepotes.
Non fuit in toto gratior orbe locus.

Ermentruda Rudolfi regis mater inter benefactores.

Ermentrudam nonnulla antea, ſed maximè poſtquam filius regnum Burgundiæ adeptus eſt beneficia plura eo contuliſſe probabile. De Luitfridi mortis anno nihil habeo adfirmare. Non longè tamen poſtea vitam tuliſſe credo, Obijt Eidib. Mai. & in eodem monaſterio ſepultus eſt. Eberardus I. Conſtantiæ Epiſcopus, haut multis poſt mortem annis, eius memoriam hoc etiam epigrammate coluit, & retinuit. LVITFRIDVM COMITEM NOBILITATE PERCELEBREM, HVIVS LOCI STRVCTOREM. S. TRVDTPERTVS SVVS NOSTERQVE PATRONVS IN SVA SVSCEPTVM FIDELIS FIDE IVSSOR IDIBVS MAI DOMINO FELICITER COMMENDAVIT. EBERHARDVS EPISCOPVS SCRIPSIT. laminâ adfixâ ſiniſtro primi altaris. Diuiſâ filij

Luitfridi obitus.

sâ filij hereditate Hundfridus Altenburgum, ceteri Briſiacam & Elſatiam rexere.

HVNDFRIDVS I. COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. VIII.

Hundefridus opidum condit prope S. Trutbertum.

MAGNA claritudo, & potentia HVNDFRIDI fuit, ſed quam rebus pietati, & diuino cultui mancipatis præcipue exornauit. Itaq; non modo pluribus beneficijs, vt ſupra etiam vidimus, S. Trutbertum percoluit, ſed quoq; Monaſterium, quia Hunnorum barbariem, & immanem crudelitatem iam Allemannia ſenſerat, & de cetero horrebat, mœnibus cinxit, iuxtaq; opidum defenſioni, & munimento, ornamento quoq; condidit. Eo adcolarum validiſſimos, & copioſiſſimos collegit, leges dedit, quæq; belli, quæq; pacis ſubſidia addidit. Huius opidi nunc etiam rudera, & ruinæ, licet tempus, & ſecutæ calamitates dignitatem, & ſpeciem corruperint, neq; aliud ex eo ſuperſit, quam vicus, antiquo opidi ex monaſterio tranſlato vocabulo Munſter. Eâ tempeſtate, Allemanniæ ducatum, & Elſatiam regebat Burcardus

Burcardus dux Allemanniæ caſus.

ſ A.D.N. CM.X.

primus, ſeuerius, quam nobilitas ferre poſſet, aut vellet, quæ cauſſa fuit cur in publico prouinciarum conuentu per tumultum interfecerint. ſ Cæde patratâ, continuo ducatum Herchingerus comes inuaſit, cuius maximè fraude, & factione Burcardus occiderat, quem ſicuti ſcelere, & dolo

Herchinger dux Allemanniæ violentus.

t A.D.N. CM.X.

Contentio de imperio poſt Ludouici III. mortem.

obtinuit, ita maximâ ſæuitiâ adminiſtrauit, donec poſtremo meritas & ipſe pœnas dedit. Sed vbi quoq; Ludouicus rex abſumtus eſt, t & in eo Caroli M. in Germaniâ ſtirpes, tum vero magna per Galliam, Italiam, Germaniam de Imperij titulo orta controuerſia eſt. Qui in Franciâ regnabant

bant

bant Caroli M. Imp. primi progeniem eſſe ſe, perinde in Imperio, vti alijs in regnis, ſuccedere debere: Itali, vt à ſe ortum repetebant. Germaniæ poſtremò principes contra omnes ſibi vindicabant. Non enim Imperium ab Oriente in Francos, aut Italos per Carolum M. tranſlatum, ſed in Germaniam, ipſo Germano. Stirpe eius in Germaniâ extinctâ, ius apud gentem remanſiſſe. Ita argumentabantur. Cumq; armis Imperij maieſtatem, & decus nemo vnus adſerere quiret, neq; ea apud Pontificem Romanum auctoritas per ea tempora eſſet, quam ſequi, eâ in re, aut poſſent, aut vellent, vna quæq; partium Imperatorem ſublegere. Galli Ludouicum Boſonis F. Prouinciæ regem: Italici Berengarium, Eberhardi filium; Germani, re inter plures eximios principes dubiâ, & æmulâ, regnum ad Othonem Saxoniæ ducem primo detulere; qui cum ſenectam, & valetudinem, (paucis enim poſt menſibus defunctus eſt) ne reciperet, prætendiſſet, eiuſdem conſilio Cunradum Haſſiæ, & Veterouiæ comitē, Cunradi ab Adelberto Babenbergenſi, haut multis ante annis prœlio interfecti, filium, regem ſalutauerunt. Quo tempore Rudolfo, qui primus ſuæ familiæ Burgundiæ regnum, vt prædiximus, inſigni fortitudine, & felicitate reſtituit, & propagauit, viij. Kal. Nouemb. mortuo, [u] ſucceſſit Rudolfus II. F. Ceterum contra Conradum ijdem, qui regnare iuſſerant, continuo rebellauere, potentiſſimi Germaniæ principes Arnoldus Bauariæ, & Carinthiæ, Herchingerus Allemanniæ, Eberhardus Franconiæ, Giſelbertus Lotharingiæ, & ante omnes dux Saxoniæ, & Thuringiæ Heinricus Othonis filius, quos ille [x] *tam ſapientiæ vigore, quam fortitudinis robore ſuperauit, ſuamq; ad fidelitatem perduxit*; inquit Luitbrandus. [y] Non tamen Herchingerum. Is ſuper alia fœda in Allemanniâ facinora Salomonem Conſtantiæ Epiſcopū,

contra

Vitickindus lib. i. Sap. hiſt. Luitbrandus lib ij. cap. vij. Rhegino lib ij. chr. Otho Friſing lib. vi. cap xv & ſeq. Gotfridus Viterbiēſis parte xvij. Sigebertus chr. Nauclerus vol. ij. gener xxxi. Gōzalo de Illeſcas pontificia hiſt. lib. iv cap lv. Sigonius de reg. Ital.

Diuerſi Imperatores & in Germania.

Cunradus I.

[u] *A. D. N. CM XII.*

Rudolfus II. rex Burgundiæ.

Rebellio principum in Corādū pacata.

[x] *A. D. N. CM. XIV.*

[y] *Lib. ij. cap vij.*

Herchingeri improba facinora.

contra edicti regij reuerentiam, multis atrocibus iniurijs adfecit, captumq; deniq; Thietboldi burgo Alpingouiæ caſtello incluſit, regios miniſtros alios expulit, alios interemit, militem frequentem fecit, & locis opportunis locauit, plures in proximas ſiluas abdidit, haut inſcius ſuorum iniurias fore curæ Cæſari, & Salomonis non contemnendam potentiam, & in Germaniâ auctoritatem. De Salomonis calamitate poſtquã Sigfridus patruelis egregiæ virtutis adoleſcens cognouit, continuò quantum maximè potuit equitatum collegit, & in Herchingerianos de improuiſo inuectus magnam partem interfecit, Herchingerum

Capitur ab Sigfrido.

etiam, & Berchtoldum fratrem ex arce Duillio pugnantibus ſuis adferentes ſuppetias in poteſtatem redegit, & in eâdem arce cum præſidio cuſtodiæ tradidit. Mox, caſtello Thietboldi deditione occupato, Epiſcopum ingenti omnium congratulatione Conſtantiam triumphabundus reduxit. Certus de capto Herchingero, & Berchtoldo, & ceteris, factus Cæſar, Maguntiaci conuentum habuit, Maieſtatis vtrumq;, ſuffragantibus principibus, condamnauit, bona eorum fiſco adplicauit. Detenti tamen in cuſto-

Supplicio cum fratre adficitur.

diâ pene biennium, & poſtremo Adingæ Allemanniæ vico capitali ſupplicio adfecti, 1 fruſtra pro inimicis deprecante Epiſcopo Salomone. Eodem tempore, & conuentu

1 A. D. N. CM XVII.

Cunradus, quia neq; adhuc tali remedio Allemannia quieſcebat, graſſabanturq; ſuperiorum temporum licentiâ, &

Burchardus II. dux Allemanniæ.

inſolentiâ ducum cum nobilitate plebes, ducem qui Allemanniam regeret Burchardum Buochorni, & ſuperioris Turgouiæ, Rheguſcæq; comitem dedit, magnis opibus,

Hungari Germaniam vaſtant, Baſileam incendunt.

& virtute principem. Inteſtinis his malis maius ortum ex barbaris, mox & Cæſaris morte. Hungari enim ingenti-

a Contractus ad eund. an chron. Baſil lib.ij.cap.ij.

bus copijs, Bauariam, Allemanniam, Elſatiam vaſtârunt, Baſileam diripuerunt, poſt incenderunt, cum pleriq; ciuium,

nium, & incolarum ſeſe in montes, & ſiluas abdidiſſent, cunctisq́; vaſtatis, in Lotharingiam perruperunt. Et interea vitâ quoq; conceſſit [b] Cunradus Cæſar, dubium, ſuo Imperio fortior, an ſucceſſoris electione prudentior, & modeſtior. Imperium enim tranſlatum eius conſilio, & ſuaſu Heinrico Saxoniæ, & Thuringiæ duci, de quo ſuprà diximus, cognomento Aucupi. Sub idem tempus deſideratus pariter Hundfridus, relicto tantarum opum vnico herede GVOTRAMO II. Sepultus eſt apud S. Trutbertum. Hugo frater interim, adſcitis in ſocietatem comitibus ab Hurninge, fabricabat monaſterium ordinis S. Benedicti in Elſatiâ Voſagi valle Villerianâ, haut procul Sleſtadio, quod de ſuo nomine Hugeshoue nominauit. In eo etiam ipſe, ſumto, vt quidam voluerunt, ordine, præfuit, magnâ eâ tempeſtate, apud omnes dignitate, & reuerentiâ. Ab hoc Latzius Rudolfum primum Burgundiæ regem, & poſteros haut benè deducere conatus eſt. Tertius frater Luitfridus Elſatiæ, & Briſiacæ præerat.

Cunradi I. obitus.

[b] *A. D. N. CM. XVIII.*

Heinricus I. Cæſ. Aucept.

Huntfridi mors, & ſepultura.

Hugeshoune Monaſt. ab Hugone.

Digitized by Google

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACVM,

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

Liber Quartus.

GVOTRAMVS II. COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius Cognomento Diues. Cap. I.

PERVENIMVS tandem ad GVOTRAMVM DIVITEM. Et licet hucuſq;, haut obſcura ſit COMITVM ALTENBVRGIENSIVM, vt vidimus, ſucceſſio: tamen ea deinceps multo clarior, & inſtrumentis, ſcriptisq; veterum teſtatior erit. Igitur, vti incepimus, quæ acciderunt,& Altenburgienſes ſimul geſſerunt pari curâ continuabimus, & fide. Rudolfus Burgundus, ijſdem diebus,

Rudolfi Burgundi in Allemanniâ expeditio. a A. D N. CM. XIX. Herman Contractus ad eum annū.

a ſolita regum cupidine, quæ vt ferme acrior, ita plerumq; inexplebilis, paternis finibus haut contentus, Burgundiæ Allemanniam iungere armis tentauit. Itaq;, amne Vrsâ limitaneo ſuperato, per Guotrami comitatum, Vitodurum primum Allemanniæ opidum obſedit, & oppugnauit. Non defuit, eâ in re, ſuis Burchardus dux, grauiq;

Vitodurū obſidet.

Prælio funditur ab duce Burchardo, cuius filiam, pace factâ, ducit.

prœlio regem ſuperauit, mox generum adſciuit, traditâ Berchtâ filiâ, eaq; ratione contra Heinricum Cæſarem, cui per æmulâtionem infenſus erat, opes ſuas firmauit. Regebat, vt

bat, vt

bat, vt diximus, Italiam Berengarius, ſed ſæuius quam tolerare poſſent, aut principem deceret. Quamobrem de totius nationis ſententiâ ad Rudolfum miſerunt, qui Italiæ Imperium deferrent. [b] Haut ille conditionem aſpernatus, facto magno Burgundorum, Vindoniſſenſium, Elſatarũ, Allemannorum quoq; ſoceri ope, & auctoritate exercitu, Alpes tranſmiſit, prœlioq́; congreſſus, ac pene fuſus, Bonifacij Spoleti comitis, cui ſororem Vertradam nuptum dederat, auxilijs inopinatis victoriam tenuit, Berengarium Veronam repulit, regnum Italiæ in poteſtatem redegit. Eodem tempore magnis copijs in Elſatiam venit Cæſar, inde in Lotharingiam contra Carolum Franciæ regem tetendit, & cum eo fœdus inijt, Lotharingiâ Imperio Germanico reſtitutâ, & quidquid inter Moſam & Rhenum interiacet. Cæſare, Galloq; de finibus contendentibus, Hungari iterum Allemanniam, Elſatiam, vtramq; Rheni ripam grauiter adflixerunt. Cum ijs Cæſar fœdus, & inducias in annos nouem percuſſit. [c] Rudolfus quoq; pacem, & amicitiam firmauit cum Cæſare, illiq́; lanceam, quæ Conſtantini M. fuiſſe dicebatur, tranſmiſit, quodquidem munus tanti fecit, vt [d] *non ſolum eo donantem ſe auri, argentiq́; muneribus, verum & Sueuorum parte non minimâ honorauerit.* Illam poſtea Heinricus pro Imperij inſigni, & tutelâ conſecrauit, multasq́; præclaras victorias, eâ duce, & præuiâ contra Imperij, & Chriſtianæ pietatis hoſtes obtinuit. Verum Italorum aduerſus Rudolfum, vt alias, fides leuis, & parum conſtans fuit. Sollicitatu, & dolo Hermingardis Eporegiæ marchioniſſæ, aliorumq́; primorum mature defecere. Ipſe Burcardum ſocerum cum Allemannorum, & Burgundionum validâ manu, in Italiam exciuit, qui per proditionem, & fraudem Lamberti archiepiſcopi Mediolanenſis interfectus, Hermannum I. Franconiæ, H aſſię,

In Italiam contra Berengarium vocatur.

[b] *A. D. N. CM. XXIV.*

Quem vincit, & Italia regno potitur.

Cæſar in Elſatiâ, & Lotharingiâ, quam Imperio adiungit. Rheginonis Cont.

Hungari rurſus Germaniam adfligunt.

Cæſar cum ijs inducias facit.

[c] *A. D. N. CM. XXVI.*

Cum eo quoq; rex Rudolfus pacem, et amicitiam firmauit præſtanti pignore.

[d] *Luitb. lib. ij. cap. xij.*

Sigeb. chr.

Otho Friſ. lib. vi. cap. xviij.

Itali ab eo deficiunt.

Burchardus dux interfectus ſucceſſorem habet Hermannum, &.

& Verterouiæ comitem Gebhardi F. in Ducatu Allemanniæ ſucceſſorem habuit. Rex Burgundus, damnatâ gentis mobilitate, in patrium ſe regnum recepit, & cum Guidone Arelatenſi comite, quem Itali regem nominârant, tranſegit, Arelatenſis regni titulum, primis Burgundiæ regibus celebratum, & quidquid Guido in Prouinciâ habuerat, ab eo accepit. Ceterum Italiæ regnum eiurauit. [e] Deinceps ita vitam inſtituit, & impleuit, vt beatorum numerum auxiſſe pleriq; credant, tradantq́;. Certè vxor Berchta Beatum vocauit inſtrumento fundationis Paterniacenſis. Viuebat adhuc Adelheidis Rudolfi primi ſoror, Ermentrudæ Altenburgienſis filia, Richardi primi Burgundiæ ducis tum vidua, multasq; in agro Auentico, qui eâ tempeſtate, vti nunc quoq;, pagus Vualdenſis, aut potius Vandalienſis, ab antiquis, qui ſimul cum Burgundis occupârant, Vandalis nominabatur, poſſeſſiones ab eo acceperat, & in ijs Romani Monaſterium, quondam frequens, & opulentum, ſed eo tempore, eiectis monachis, per bella, & dominantium auaritiam in priuos vſus redactum. Id monaſterium Adelheidis Odoni Cluniacenſi abbati dedit, non reſtituendum modo, ſed quoq; poſſidendum, adeoq; quod in eo habebat dominium id vniuerſum ordini Cluniacenſi penitus conſignauit, multis tamen conditionibus. Donationis cauſſas his ipſa verbis exprimit. [f] *Hanc igitur donationem pro DEI amore, & SS. Apoſtolorum inprimis facio, deinde pro animâ germani, & dulciſſimi mei domini Rudolfi regis, harum videlicet rerum largitoris, tum vero pro requie domini mei piæ memoriæ principis Richardi, ac pro Vuillâ reginâ, dehinc pro me, & domino Rudolfo rege filio meo, & item Rudolfo rege nepote meo, pro alijs quoq; filijs meis Hugone, Boſone, & Ludouico nepote, ſed & pro ceteris conſanguineis noſtris, atq; his qui noſtro ſeruitio adhærent, pro genitore etiam, ac genitrice meâ &*

Rudolfus Italiam Guidoni cedit, regnum Arelatenſe contra accipit.
e A. D N. CM.XXVII.

Adelheid Rudolfi amita Richardi ducis quondam coniux.

Aventicus tractus ab vandalis Vandalia.

Monaſterium Romanis reſtituit, & Odoni Cluniaci abbati tradidit Poſſident id modo Bernenſes.

Traditionis cauſſæ.
f Ex ipſo inſtrumento.

domino

domino Hugone inſigni abbate, ceu ceteris noſtris vtriuſq; ſexus propinquis, poſtremo pro illis qui adiutorium, vel defenſionem monachis ibi conſiſtentibus præſtiterint, pro ſtatu quoq; totius relligionis, & pro omnibus Catholicis viuis, & defunctis. Adiungit priuilegia monachis. *Placuit etiam huic teſtamento inſeri, vt ab hac die, nec noſtro, nec parentum noſtrorum, nec faſtibus regiæ magnitudinis, nec cuiuſlibet terrenæ poteſtatis iugo ſubijciantur ijdem monachi ibidem congregati, neq; aliquis principum ſecularium, non Comes quiſquam, neq; epiſcopus quilibet, nec pontifex ſupradictæ ſedis Romanæ, per DEVM, & omnes ſanctos eius, & tremendi iudicij diem conteſtor, deprecor, inuadat res ipſorum DEI ſeruorum, non diſtrahat, non minuat, non percambiet, non beneficiet alicui, non aliquem prælatum ſupra eos contra eorum voluntatem conſtituat.* &c. Mox vota, & preces, & imprecationes ardenti zelo, & animo. *Et vt hoc nefas omnibus temerarijs, ac improbis artius inhibeatur, adhuc idem inculcans, ſubiungo, & obſecro vos o Sancti Apoſtoli, & glorioſi principes terræ Petre, & Paulle, & te pontifex pontificum Apoſtolicæ ſedis, vt per auctoritatem canonicam, & Apoſtolicam, quam à DEO accepiſti alienes a conſortio Sanctæ DEI Eccleſiæ, & ſempiternæ vitæ prædones, & inuaſores, atq; diſtractores harum rerum, quas ſupra dictis ſeruis DEI, hilari mente, promtaq; voluntate dono, ſitisq; tutores, ac defenſores iam dicti loci Romanis, & ſeruorum DEI ibi commorantium, & commanentium.* &c. DAA. IX. KAL. IVLII. &c. ANNO V. *regnante Rudolfo glorioſiſſimo rege. Ind. ij.* Quæ verba ego adpoſui non vnâ de cauſsâ. Inprimis vt oſtenderem duos eodem tempore vixiſſe Rudolfos, alterum Galliæ; alterum Burgundiæ regem: illum Adelheidis ex duce Richardo filium; hunc ex Rudolfo fratre nepotem. Eo magis quia vtrumq. hiſtoriarum præſtantiſſimi ſcriptores, & in ijs Paullus Aemilius, & pleriq; omnes, per errorem confundunt, vnum eumdem exiſtimant.

Monachorum Romanis priuilegia.

Imprecationes, & deuotiones aduerſus temeratores, & inuaſores.

Duo eodem tempore Rudolfi reges alter Franciæ, alter Burgundiæ, qui male confunduntur ſcriptoribus.

Digitized by Google

mant, traduntq́;. Addo ex eodem teſtamento Rudolfum Galliæ regem plures, quam duos annos, quod magna pars voluerunt, imperium habuiſſe. Nam eum ſe intelligere, cum ait, *Anno V. regnante Rudolfo glorioſiſſimo rege*, inde manifeſtum, quod de Rudolfo nepote non potuerit, cum eius anno. V. Rudolfus filius, rex Galliæ non fuerit. Rudolfus enim Burgundus ſucceſſit patri anno nongenteſimo duodecimo, quod ſuperius oſtendimus: Rudolfum ex duce Burgundiæ, regem Galliæ nominatum Sigebertus notat, ſexto, & viceſimo anno, poſt nongenteſimum. Vnde huius quoq; inſtrumenti editionis tempus quiuis colligere poteſt. Inducijs finitis, Hungari ſubito ingenti multitudine, Germaniâ inuaſerunt, popularuntq́;. Heinricus Cæſar quamuis æger, & lecticâ decumbens obuiam inceſſit, fuditq́; eos, & fugauit, g quadraginta hoſtium millia prope Mersburgum Saxoniæ interfecit, claram, memorabilemq́; ex barbaris victoriam reportauit, *pater patriæ, rerum dominus, Imperatorq́; ab exercitu appellatus, famam potentiæ, virtutisq́; cunctis gentibus, & regibus longe, lateq́; diffudit*. Illi bello, & victoriæ Guotramum interfuiſſe cum ducentis grauis armaturæ equitibus, ſcriptor Equeſtrium decurſionum, Chronographus Elſatiæ, h alijq́; tradidere. Sequenti anno Obotritos, Vandalosq́;, & alios Saxoniæ vltimæ populos debellauit, & ad Chriſtianam relligionem, & fidem ſuſcipiendum adegit. Hinc, domitis vndiq; hoſtibus, paceq́;, & laude Imperio partâ, eodem tempore, ludos equeſtres eum inſtituiſſe in Germaniâ primum prodiderunt, nobilitati, & principibus, tot bellis exhauſtis, & feſſis in relaxamentum, & voluptatem, ſiue ne armorum vſum per otium tranſmitterent. Prima eorum celebritas, præſide ipſo Imperatore Meindenburgi Saxoniæ, A. D. N. ıↄcccc. xxxvı. His quoq; Guotramum adfuiſſe

cum

Hungari Germaniam iterum vaſtaut.

Superantur ab Cæſare ingenti prælio.

g *A D N. CM XXXVI.*

Vitichindus lib. i. Luitbrand. lib ij. cap. ix. alij.

Cui Guotramus quoq; interfuit.

h *Lib. ij. cap. xxxiij.*

Heinricus Imp ha Hiludiorum quæ primum in Germaniâ celebrata Auctor, & Editor, Torneamenta vulgo,, hoc eſt, decurſiones ac certamina Equeſtria.

Vidêdus Georgius Ruxnerus Armorum rex, vt volût, legitimus.

cum Comitibus clariſſimis Theodorico Hollandiæ, Arnoldo Cliuiæ, Othone Naſſouiæ, Heinrico Hennebergæ, Gulielmo Montis fortis, Ludouico Furſtenbergæ, alijs, qui de eâ re librum edidit, quantum illi fides eſt, memoriæ mandauit, quamuis ibi Guotramus Comes de Habsburg, pro Altenburg, anticipatione poeticâ, ponatur. Anno i ſequenti. vi. Nonas Iulij, eſſe deſijt Heinricus Cæſar, cum Othonem F. Cæſarem deſignâſſet. Neq; multo poſt etiam Rudolfus rex Burgundiæ defecit, magnâ, vt diximus, opinione ſanctitatis. Sepultus eſt apud S. Mauritium, k non Paterniaci, quod hactenus pleriq; tradiderunt. Neq; enim adhuc conditum Paterniacum; multis poſt annis Berchta vidua excitauit. Reliquit ex eâdẽ Berchtâ filios tres Cunradum regem, Burcardum archiepiſcopum l Veſontionenſem, & Rudolfum ducem, m filiam vnicam Adelheidem quæ primis nuptijs conceſſit in matrimonium Lotharij Italiæ regis, Hugonis F. ſecundis collocata Othoni I. Imp. Othonem II. Imp. genuit. Berchta ipſa quoq; Hugonis regis, de quo diximus, coniugium ambiuit, obtinuitq; citius, quam honeſtas, & luctus maritalis ſuadebant. Morte Imperatoris intellectâ, Hungari per Bauariam, & Allemanniam ad lacum Brigantinum, & Rhenum vaſtabundi Sanctionem peruenerunt. Eam inſulam, & monaſterium, multâ antiquitate, & opibus nobilitatum, inſano cupidine inuaſerunt. Copijs igitur diuiſis, pars per breuia, & lintres, ſcutaq; flumen traiecere: Ceteri ripâ ſiniſtrâ conſederunt. Ita vtrimq; inſulam circumuenere. Sed hi incurioſius, vicina vallis Friccæ interim populati. Ea res aduertit LANDOLVM Guotrami filium vix pubertatis annos egreſſum, ſed animi immodicum, & bellicæ laudis auidum. Itaq; obuiam eundum hoſti ratus, antequam Vocetij clemens iugum, qui ſolus differebat, ſuperarent,

rarent,

Illis quoq; adfuit Guotramus & quidem inter primos Imperij Comites.

Heinrici Cæſ mors i A. D. N. CM. XXXVII. Otho. I Imp.

Item Rudolfi II. regis Burgundiæ. k *Hermãnus Cõt. ad eund. an.*

Cũradus rex Burgundiæ.
l *Aut certe Lugdunenſem, Viennenſemve. Archiepiſcopum enim fuiſſe clarum ex literis fundationis Paterniaci, contra aliorũ alucinationes.*
m *Vt notat chron. ms. Vandalia, Vltraiuranum.*

Hungari Germaniam populantur. Sanctionẽ obſident. Hermannus Contract. chr.
Et Egerhardus de Caſib. Monaſt. S. Galli ms.

Landoli Guotrami filij conſilium in eos.

rarent,paternaq́;, & comitatum Vindoniſſenſem raperent, vaſtarent, Cadolum ſeniorem Arragouiæ comitem, cuius

Arragouia Comitatus.

caput quondam Augusta Rauracorum, quam Aragitz amnis, vnde poſterior comitatui denominatio, præterfluit, vicinum, & amicum adſciſcit, Hermingo nobili Friccenſi imperat, fortiſſimum quemq; ſumat, & impetum in barbaros palantes, & prædabundos faciat, ſeſe porro ex inſidijs, cum ijs quos in montibus vicinis conſtituerat, in tempore ad futurum. Hermingus, cui magnam ſuorum partem Cadolus addiderat, iuſſa exſequitur, noctemq́; intempeſtam nactus hoſtes adoritur ſemiſopitos, diſiectos, partim repugnantes. At Landolus, excitatis quam creber-

Stratagema.

rimis ignibus, eodem tempore, proximis ſuos è iugis de-

Impetus.

ducit, ingentiq́; clamore, & incurſu ab altero latere barbaros opprimit. Cęſi, fuſi, fugati, maximũ Vindoniſſenſium numerum ex ignium frequentiâ rati, plurimi ſeſe in Rhenum abiecere, fruſtra vlulantibus, & ad clamores, & vulne-

Victoria, & præda.

ra ingementibus, fundiſq́;, & iaculis ſuos propugnantibus, qui alteram ripam tenebant. Præda totius Bauariæ, & Allemanniæ rapinis multa, & opulens D. Fridolino inſulæ præſidi partim conſecrata; reliqua in monaſterium, quod, eodem prœlio, Landolus, Cadolusq́; vouerant, ſi victoriam tenuiſſent, ſepoſita. n Haut pari felicitate, cum eâ

n A. D. N. CM. XXXVIII.

gente congreſſus in Elſatiâ Luitfridus Landoli magnus patruus. Hungari enim ceteri, populatâ interim Briſiacâ, incenſo etiam, & direpto S. Trutberto, haut multo infra

Reliqui Hungari Elſatiā tranſeunt. Hunninga nominatio.

Baſileam in Elſatiam tranſmiſerunt, & ex quorumdam ſententiâ Huningæ, qui vicus ab illis tenuit nomen, caſtra poſuerunt, mox, audito Luitfridi cum ſuis aduentu, aciem

Luitfridus Altenburgienſis cum ijs infeliciter pugnat, caditur enim, ſed non inultus.

contra tulerunt. In ancipiti diu victoria ſtetit, donec, interfecto inter fortiter pugnandum Luitfrido, & barbarorum multitudine ſuperante, Elſatæ victi, & profligati, non

abſq;

Digitized by Google

abſq; hoſtium tamen ingenti clade. Igitur metu, ne ſecundo cum tam obfirmatis dimicandum eſſet, relictâ Germaniâ, in Burgundiam per Sequanos penitrârunt. Contra eos Cunradus rex, quando vires ad reſiſtendum non erant pares, ita fraudem inſtituit. Tenebant Burgundiæ montana quædam Saraceni, iam ab Carolo Martello, paruo tributo. Eos in Hungaros, ſi tributis liberari, ſi ſedem perpetuam, & tutam vellent, impulit: Contrà, Hungaris, ſi Saracenorum relliquias excidiſſent, quæcumq; optauiſſent, promiſit. Ipſe gentem vtramq; cæde, fameq; attritam, & feſſam poſt inſecutus prope internicione deleuit, paucis Hungarûm in Italiam dilapſis. Guotramus, poſt Luitfridi cædem, omnium ſolus hæres, Diuitis eâ ex opum coniunctione cum feciſſet cognomentum, Landolum, cuius virtutem præterito prælio probauerat, Elſatiæ, & Briſiacæ præfecit, monaſteriumq; S. Trutberti reparare iuſſit. Tranſierat ea, quam diximus, barbarorum calamitas, repente cum ex Imperij principibus alia adflixit rebellione Giſelberti Lotharingiæ ducis, & Eberhardi Franconiæ comitis, aut, ſicuti Continuator Rheginonis vocat, Francorum ducis, tracto etiam in partes, Cæſaris fratre Heinrico: Illi quod ſeſe ex antiquâ Carolinorum ſtirpe ferrent, Saxonem aſpernarentur: Iſte, quod, Imperatore patre genitus, Othoni, qui, eo priuato natus erat, anteponendus videretur. Motus & Ludouicus Galliæ rex Auſtraſiani regni recipiendi ſpe. Multa, & plurium annorum prœlia, cædes, vaſtationes, incendia. Poſtremo omnis belli moles aduerſus Briſiacum Elſatiæ opidum vertit. Eberhardus occupauerat, &, accepto ab Ludouico rege pręſidio, retinebat, eoq; magnam Elſatiæ, & Sequanorum partem Cæſari fidem adflictabat, vtramq; Rheni ripam infeſtam habebat, late omnia depopulabatur. Illud igitur Cæſar exercitu maxime ex

In Burgundiã perrumpũt, et ab Cũrado rege circumueniuntur.

Guotramus poſt Luitfridi patrui cædem Elſatiæ, & Briſiacæ præfecit Landolum filium.

Principum Imperij contra Othonem rebellio, & cauſſa.

Vitickindus lib. ij. Luitbrand lib. iv. cap. xiv. & ſeq. Otho Friſing lib. vi. Sigeb chr Vrsberg Naucler. gener. xxxij.

Briſiacum Elſatiæ opidum.

Id Cæſar obſedit.

Allemannis, Sequanis, & Elſatis confecto, circumſedit.

o A. D. N. CM. XLIV.

o Giſelbertus,& Eberhardus obſidionem depulſuri, aduerſo Rheno, magnis copijs ſubeunt; partem traijcere flumen præcipiunt, robur ipſi retinent, mox ſecuturi, niſi inopinantes inter epulandum Hermannus Allemanniæ dux, cũ fratribus Vdone, & Cunrado oppreſſiſſet, ferro Eberhardo interfecto, Giſelberto, dum flumen equo, & fuga tentat, aquis ſuffocato. Briſiacenſes, audito pugnæ euentu, deditionem fecere. Cæſar hinc Lotharingiam ingreſſus, Imperio in perpetuum vindicauit: Ludouico regi ſororem Gerburgam, Giſelberti viduam, matrimonio tradidit, pacem, & amicitiam cum eo firmauit. Ceterum Eberhardum ſupra dictum Comitem Latzius, p & Heuterus q Guotrami noſtri fratrem adſerunt, Briſiacæ Landgrauium. Qui præceſſerunt vtrumq; Sigebertus, & Nauclerus Comitem palatij vocant, cuius regio, & origo alia, & ſcriptoribus nota, Palatinatum vulgo dicunt. Rheginonis Continuator, vt ante diximus, ducem Francorum. Otho Cæſar, pacatâ Elſatiâ, receptâ Lotharingiâ, in Burgundiam tranſijt, & Cunradũ regem in fidem, & clientelam ſuſcepit, belliq; & pacis ſocium fidum, & fortem habuit. Eius regnum Germanico Imperio, ſicut ante Lotharingiam, coniunxit. r Paullo poſt obijt Guotramus A. D. N. CM. XLVI. vij. Kal. Aprilis, magni ſuâ tempeſtate nominis, & potentiæ. Volfgangus Latzius vxores illi dat duas Brigantinam ex Montfortibus: alteram Itam Adelberonis à Caloe filiam: tot, & eaſdem Eintzingerus, & qui ſecuti Heuterus, De Rhoo, Chronographus Elſatiæ, & alij. Filios quattuor *Betzonem gentis propagatorem, Guntzelinum, ſiue paruum Cunradum Ergouiæ Comitem, Bertilonem dominũ in Straichberg, & Scharpfeiſtein &c. & Gebizonem Baſilienſem præſulem auctorem cœnobij Viſſenau prope Rauensburgum* &c. Qui hos omnes æta-

te, &

Hoſtes ab Hermanno duce opprimuntur.

Briſiacũ deditur.

Cæſar Lotharingiam Imperio vnit pacem, et adfinitatem cum Gallo contrahit.

p Comment. lib. i. cap. ix.

q Libell. de orig. cap. viij.

Cunradum Burgundiæ regem in fidem recepit. Burgundiam Imperio connexit.

r A. D. N. CM. XLV.

Guotrami obitus.

Chronico principalis nos.

Digitized by Google

te, & ſcriptis hac de re præceſſit Iacobus Menlius tres tantum reperiſſe varijs ex documentis, ſcripturisq́; Guotrami filios adfirmat, Betzelinum aut Boetzlin, ex antiquâ, in quâ depictus, apud S. Cyriacum tabulâ; Birchtilonem, ſiue Berhilonem, Gebezonem, aut Gebzonem, qui, coniunctis opibus, ſanctimonialium monaſterium Sultzberg, in Briſiacâ condiderunt, ſub Othone III. Imp. vbi etiam omnes ſunt ſepulti. Eſſe etiam, ait, quædam indicia quæ Gebzonem quoq; monaſterium Veiſſenau prope Rauensburgum de ſuo poſuiſſe oſtendunt, cuius verum nomen Gebzonis fuiſſe Gebhardum literę fundationis S. Cyriaci Sultzbergæ teſtantur. Condidit quoq; Brichtilo monaſterium D. Margaritæ Valdkirchij ad Harciniam, quam fundationem Otho III. Imp. pariter adprobauit, interceſſu Burcardi Allemanniæ ducis, literis datis, Sasbach. Mihi ante teſtatum, vtcumq; ſe reliqua habeant, Acta me in poſterum, memoriasq́; Murenſes præcipue ſecuturum, & proditurum, quibus LANCELINVS GVOTRAMI DIVITIS filius magnæ domus, magnus hæres.

LANDOLVS I. COMES ALTENburgi, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. II.

VVLGVS nominabat LANZEL, frequenti literarum D. & Z. apud Germanos mutatione, vti loco alio, & opere oſtendimus. Acta inde Murenſia LANZELINVM vocant. Alij Betzonem, aut Bezzelinum, & Vecelinum dixerunt, vſitato nominum antiquis ſcriptoribus abuſu, veluti Berchtoldi, & Bertolfi, Arnulfi, & Arnoldi, Beringeri, Verneri, & Vernarij, ſimiliumq́; quæ licet magnam alias diuerſitudinem inter ſe contineăt, *Landoli diuerſitas nominis.* *Et cognomina.*

Digitized by Google

haut raro tamen magnis auctoribus videntur confuſa. SENIOREM quoq; dixerunt ob filium cognominem, & MAGNVM AVVM quatenus ex eo, tamquam ſtirpe, multi clari, & eximij principes orti, ſicuti Duces Zeringenſes, & Teccenſes, marchiones Badenſes, & Hachbergenſes, ſuper HABSBVRGIENSES, & deniq; AVSTRIAE DVCES & ARCHIDVCES. Per ea tempora refert libri Equeſtrium auctor, Hermannum Allemanniæ ducem nobilitatis ad ea exercitamenta conuentum Conſtantiæ egiſſe, quibus interfuerit Lancelinus, cum alijs vicinitatis Comitibus Theodebaldo Kiburgienſi, & Dilingano, Burcardo Veringenſi, Rudolfo Montis fortis, Theodebaldo Ferretenſi, Viperto Liningenſi, Volfgango Zollerano, alijs. Landoli filiam, eodem loco, & tempore, ante omnes in honorem, & famam Heinrico Bauariæ duci, Cæſaris fratri, primas ad choreas inter virgines traditam, notat, præter eum, Chronographus Elſatiæ. [f] Hermanno pauca deinceps vita fuit. Obijt enim eodem anno octauo, & quadrageſimo. IV. Eidus Decembris. Cæſar Allemanniæ ducatum dedit Luitolfo filio, qui Hermanni filiam Itam in matrimonio habebat, & ab ipſo hæres inſtitutus erat. Cæterum Ludicra Conſtantienſia bellum Gallicum excepit, expeditione in Gallicam ſuſceptâ ab Othone, precibus Gerburgæ ſororis, ad liberationem Ludouici regis, quem per inſidias & fraudem proceres nonnulli captum, in cuſtodiam miſerant. Sigebertus legiones habuiſſe Cæſarem duas, & triginta; ceteri vltra viginti prodidere. [t] Laudunum, Rhemos, Rhotomagum, arces, caſtella pluria expugnauit, Nortmannos, qui præcipue tumultuabuntur, domuit, regno regem, pacemq; reſtituit. Quibus feliciter geſtis victorem, & volentem exercitum in Italiam duxit, [u] Cunrado maxime rege obteſtante, cuius ſororē Adelheidem,

Ludi equeſtres Cōſtantiæ in quibus Lancelinus. A. D. N. CM. XLVIII.

[f] Lib. ij. cap xciij.

Hermanni ducis mors.

Luitolfus dux Alemanniæ.

Bellum Othonis Gallicum Vitikindus lib. ij.

Sigebert. Nauclerus gen. xxxij. P. Aemilius lib. iv.

[t] A. D. N. CM. XLIX.

Itemq; Italicum.

[u] A. D. N. CM. L.

dem, Lotharij regis viduam, Berengarius tyrannus obſidione premebat Caſſone [x] in arce. Eam ſibi matrimonio iunxit [y] Cæſar, Italiamq́;, pulſo Beringario, Imperio reddidit. Quæ vt per rerum ſucceſſum felicem Othoni gratiſſima euenerunt, ita Luitolfum ex Edgide Anglâ primâ coniuge filium, Allemanniæ ducem, per inuidiæ æmulationem grauiter adfecerunt, quod haut dubiam ex eo coniugio ſubolem, & blanditijs muliebribus, ipſo patri acceptiorem vulgo iactabant. Itaq; contra patrem rebellionem profeſſus, Cunradum quoq; Lotharingię ducem ſororium, & Arnoldũ Bauarum, Arnoldi quondam ducis F. impulit ad partes. [z] Quâ ex contentione, cum Germaniæ vniuerſa atrociter diſcordarent, Burgundia nutaret, multi Vindoniſſenſis, & proximæ nobilitatis Luitolfo, vt Allemanniæ principi, & vicino fauerent, potiſſima pars Imperatorem ſectaretur, ante omnes Burgundiæ rex Cunradus, nouo iam quoq; per adfinitatẽ vinculo, & cauſsâ belli. Nam & in famam, vti diximus, Luitolfus dederat, ſe mouiſſe contra patrem quod Adelheidem Cunradi ſororem recenti matrimonio ſibi copulâſſet, proliſq́; ſpe, & ſtudijs muliebribus, animum à ſe abalienâſſet, comperto, acerrima, & ſempiterna nouercarum aduerſus priuignos odia, intolerabile verò imperium, cui femina præſideret. Igitur, cunctis turbantibus, nullo niſi apud validiorem præſidio, Rorenſis comitatus plures incolæ, qui hactenus liberi egerant, publica, priuataq́;, ex ſuo iure, & arbitrio habuerant, ſolius Imperij Germanici maieſtatem erant reueriti, ad Landolum adiere, quatenus cetera Vindoniſſenſium ferme obtineret, ſe quoq; protegendos acciperet, in eius ſe manu libertatem, & opes, & fortunas committere. Vnum rogare, liberos fuiſſe meminiſſet, ſponte illorum patronum ſumtum, & defenſorem; ceterum clientium munus, & obſequium

[x] *Malè Canuſium vocant.*

Eius cum Adelheide matrimonium.
[y] *A. D. N. CM. LI.*

Luitolfi contra patrem rebellio, & cauſſa.

Sectatoresq́;.
[z] *A. D. N. CM. LIII.*

Hinc tota Germania per partes turba.

Rorenſis Comitatus plures incolæ Landolo ſe protegẽdos tradunt.

ſequium cum fide præſtaturos. Ea res, vt inopina Landolo accidit, ita illi ingentem lætitiam peperit. Nam eadem iam Guotramus pater tentauerat, precibusq; promiſſa miſcuerat: nunc vero vltro præueniſſe quos ipſe poſtremo minis, aut vi ſubacturus erat, in præcipuâ ſuæ fortunæ parte ponebat. Igitur pluribus collaudatos, probatoq; eorum iudicio, cuncta viciſſim à ſe exſpectarent, quæ ab optimo quoq;, & fortiſſimo, domum remiſit.

De eorumdem incolarum origine pauca alia repetita.

Sed operæ pretium erit iiſdem de incolis alia repetere, & de corũ origine pauca memorare. Cum igitur LEGIONIS VINDONISSAE præfectus, ſiue Comes, vti ſupra oſtendimus, a Burgundis ſeſe tradidiſſet, (veluti alij pleriq; per vtramq; Germaniam, & alias prouincias, alijs, quæ tum Romanum Imperium inuaſerunt, & oppreſſerunt, nationibus,) militum alius alio euaſiſſent, non pauci cæli, ſoliq; adſuetudine, aut quia alia deerant, nam eodem tempore Italiam Gothi, Galliarum cetera, & Hiſpanias plurimæ, ſuper Vandalos, aliæ gentes barbaræ premebant, proximos campos occupauere, domosq;, & habitamenta conſtituerunt. Vtq; contubernijs diuerſi alteri ab alteris tranſegerant, ita plures vicos incoluere, moribus, inſtitutis, iure ſeparatos, & veluti tot communitates, aut reſpublicas, nullâ re aliâ inter ſe, aut aduerſus rerum potentes obnoxij, integri, ac liberi, ſolâ ab primo initio nominis Burgundici, Franciciq; reuerentiâ. Vnde libera officia vulgo nominati. Iam enim in conſuetudinem Theodoſij, ac Valentiniani Impp. lex valuerat, quæ milites agrorum in limitibus poſſeſſores, immunes, & collationum vacuos eſſe iuſſerat. Neq; Comites Vindoniſſenſes à principio moleſti eſſe, vt erga ciues, aut commilitones. Primus Guotramus fuit, veluti obſoletâ memoriâ, qui auderet, ſed hactenus, vt beneficijs illigaret, tum preces, & promiſſa adhiberet, adeo humanitate, &

a Lib. ij. cap. ij.

Cod. de fund. Limitroph. lib. 3.

te, & beniuolentiâ potius ſubijcere conaretur. Alia mens Landolo fuit, qui paterna vana reputans ad vim animum induxerat, niſi deditionem, vt diximus, accelerauiſſent. Ipſe primo facilis, mox, tamquam ex protectionis pacto, tributa exigere, poſtremo & collectas indicere, agris, tectisq; abnuentes, & contumaces deturbare, ſua eo mancipia, & pecua transferre, adeoq; eodem quo erga ſubditos, non clientes iure, & imperio vti. In hunc quidem modum Acta Murenſis monaſterij, ſi hanc partem vera, vbi de habitatoribus eius, vbi monaſterium, regionis. *Habuerunt vero hic quidam diuites, liberiq; homines curtim, quorum & ipſa Eccleſia fuit, qui rogauerunt* LANCELINVM COMITEM DE ALTENBVRG, *filium Guntrami Diuitis, vt eſſet defenſor ſuarum rerum, qui acquieſcens petitioni eorum, tamdiu illis in hoc præfuit, quouſq; totum in ſuam poteſtatem tam iuſte, quam iniuſte contraxit. Cuius potentiam ceteri ruſtici, qui erant liberi, & in ipſo vico conſtituti, intuentes, etiam ipſi ſua prædia in eius defenſionem, ſub legitimo cenſu, tradiderunt, ſicq; factum eſt, vt ipſe Comes pene locum ſubijceret, ac, effugatis proprijs heredibus, ſeruos, & ancillas ſuas cum eius, & pecoribus, & omnibus vtenſilibus ſuis hic faceret habitare vſq; ad mortem ſuã.* Durabat interim Hungarûm immanitas, rurſusq; Rhenum tranſmiſerant, Elſatiamq;, & Galliam populauerant, domumq; per Italiam redierant. b Poſtremo eorũ magna, & inaudita apud Vindelicorum Auguſtam, & flumen Licum facta ſtrages, c Othonis Cæſ. ductu, S. Vlrici epiſcopi meritis, cum tantâ multitudine domo exiſſent, vt niſi terra dehiſceret, vel cælum eos obrueret, ab aliquo ſe vinci poſſe negarent. Eâ victoriâ Imperio pax, & Europæ ſalus parta, die feſto D. Laurentij martyris. *Otho pater patriæ, & Imperator ab exercitu ſalutatus*. Pacatâ Germaniâ, Imperioq; ad decus priſtinum poſt multas tempeſtates redacto, Luitolfum

Landolus ſe erga eos dominum, non ſolum protectorem præſtat.

Acta Murenſium.

Hungari Allemanniam Elſatiam, Italiã populárũt.

b *A. D. N. CM. LIV.*

Apud Auguſtam pene internicione caduntur.

c *A. D. N. CM LV.*

Vitickindus lib iij. Herm. Contract. chr. Lamb. Schafn chr. Sigebert. chr.

tolfum filium, quem in gratiam dudum receptum pijſſimus parens primæ dignitati, & amori reſtituerat, in Italiam miſit, contra Beringarium ſemper perfidum, numquam quietum. Is, [d] primo impetu, hoſtem fugauit, mox prælio certare aggreſſum, cum copijs omnibus, pene internicione deleuit, Italiam vniuerſam ſubegit, & pacauit. Ne quietè, & in quem redegerat ſtatum diu prouincia agitare poſſet, ducis eximij mors obſuit. Obijt, immaturo exitu, & omnibus bonis lamentabili Plumbiæ. [e] Gulielmus frater archiepiſcopus Maguntiacũ tranſtulit, & multis cum lacrimis apud S. Albanum ſepeliuit. Ducatum Allemanniæ, quia Otho Luitolfi filius vnicus, tener admodum erat, commiſit Imperator Burcardo III. Burcardi II. filio, Itæ Luitolfi viduæ fratri vterino. Hinc, rebus Italiæ componendis, quæ, poſt filij obitum, acrius turbauerant, animum adijciens, Othonem ex Adelhaide natum ſeptem annorum puerum, Cæſarem deſignauit, & Aquis Grani inungendum curauit, die pentecoſtes, Brunoniq; fratri Colonienſi, & Gulielmo filio Maguntienſi archiepiſcopis educandum tradidit. [f] Inde Italiam Tridento petijt, Beringarium totâ Inſubriâ exagitauit, in montes, & loca abdita repulit. Romamq; profectus, comitante Cunrado rege ſororio, cum pleraq; Burgundiæ nobilitate, à Ioanne pontifice Romanorum Imperator coronatus eſt. [g] Conſtitutâ, & quietâ Italiâ, in Germaniam redijt, Othonem F. in finibus Galliæ, & Allemanniæ, ſiue in Elſatiâ, obuium habuit. [h] Neq; multo poſt, Langobardorũ defectione auditâ, & Romanorum aduerſus Ioannem iniurijs, rurſus in Italiam [i] *per Elſatiam, & Curiam* tranſcendit, Langobardos repreſſit, Ioannem pontificem reſtituit, filium Othonem Romæ coronandum curauit, [k] poſtea vitâ [l] ſolutus eumdem ſucceſſorem habuit. Imperatorem morte adſecutus

Luitolfi in Italiã expeditio. & acta.

d *A. D. N. CM. LVI. & ſeq.*

Eius mors immatura, & ſepultura.

e *A. D. N. CM. LVII.*

Burcardus III. dux Allem.

Otho deſignato filio Cæſare in Italiam quoq; proficiſcitur.

f *A. D. N. CM. LXI.*

g *Roma coronatur.*

A. D. N. CM. LXII.

h *In Germaniam reuertitur.*

A. D. N. CM. LXV.

Rurſus in Italiam expedit.

i *A. D. N. CM. LXVI.*

Langobardos reprimit. Ioannẽ pontif. reſtituit, qui Othonem II coronauit, qui ſucceſſit poſtea defuncto patri.

k *A. D. N. CM. LXVIII.*

l *A. D. N. CM. LXXIII.*

cutus

cutus Burcardus dux Allemanniæ. Otho II. ducatum commiſit Othoni ex fratre Luitolfo nepoti. Multa vero Othonis Cæſaris domi, foriſq; bella fuerunt, contra Heinricum Bauariæ ducem patruelem, quem ducatu etiam priuauit; [m] contra Lotharium Galliæ regem, Gerburgâ amitâ generatum, in quem in Lotharingiam exercitum duxit, eumq; ad Sequanam, & Pariſios vſq; profligauit, Lotharingiam, quam occupârat, recuperauit, regem ad pacem, & amicitiam reduxit. In Italiâ cum, variâ fortunâ, belligerâſſet, & Othone nepote mortuo, [n] Cunradum I. Allemanniæ ducem inſtituiſſet, Romæ IV. Eidus Decembris exſtinctus eſt. [o] Ex eius morte, & ſucceſſione lis orta inter principes, aliis Heinricum Bauariæ ducem legentibus. Qui Romæ tunc erant, Othonem tertium, ſecundi filium, Cæſarem nominauere, annos duodecim natum, Mirabilia mundi ex rerum geſtarum gloriâ dictum. Benedictus pontifex eorum iudicium probauit. Othonis adoleſcentis prima contra Bohemos, & eorum ducem Miſiconem bella fuere, mox in Saxones, & Brandeburgienſes rebelles. Quo pariter tempore defunctus Landolus, cum ferme omnibus regum, & Imperatorum ſui temporis expeditionibus interfuiſſet. Exceſſit. A. D. N. CM. XCI. IV. Nonas Aprilis. Ind IV. Sepultus eſt Sultzbergæ in æde Capituli veteris, quod monaſterium ſanctimonialium cum fratre Birchtilone condidit. Quidam etiam iuxta opidum poſuiſſe eodem nomine adfirmant, quamuis id potius ex ipſo poſtea monaſterio, vt plerumq;, natum exiſtimem. Fundationis literæ teſtantur illud monaſterium fundatum in villâ, cui nomen Mons ſalſuginis, in comitatu Adelberontis. Ex quo tamen non rectè quis arguat, Altenburgienſes in Briſiacâ non tenuiſſe dominatum. Etſi enimuero ducatus, & comitatus antiquitus hereditarij non eſſent, quod

Otho. I. dux Alleman.

Othonis II Cæſ geſtorum ſumma.

m A. D. N. CM. LXXVIII.

n A. D. N. CM. LXXXII.

Cunradus I. dux Allem. Imperatoris obitus.

o A. D. N. CM. LXXXIII.

Otho. III. Imp.

Landoli ſiue Bezzelini obitus, & ſepultura.

Sultzberg ſanctimonialiũ monaſt.

De Comitatuũ ratione notata quædam.

Digitized by Google

aliàs tetigimus; neq; ſecus, quam modo præfecturæ Imperiales, haberentur, ſæpius tamen reges, & Imperatores pleraq; eorumdem comitatuum dominia, & bona, ipſis, qui præſidebant, largiebantur, diuerſis ex cauſſis, ſæpius acceptæ pecuniæ pignora; alias ob præſtita belli, domiq; ſeruitia, adeoq; præter ſummum Imperium, & pauca fiſci regij priuilegia, in quibus erant vectigalia, portoria, alia nonnulla, quæ tamen etiam comites plerumq; ad ſe trahebant, quandoq; ſimul accipiebant, condonabant omnia. Ita, fiebat, vt cum Comites alij regionis ſolum, dominiumq; poſſiderent, fruerenturq;, alios tamen Comites ſuperimponerent, qui res fiſcales, tamquam curatores, diſponerent, ſæpius de controuerſijs cognoſcerent, præcipue criminalia iudicarent, ante omnia, vt Maieſtas Imperij obſeruaretur operâm, & curam adhiberent, haut ſecus ferme quam Romanorum Imperio apud ſocios, & confederatos, liberasq; ciuitates, Cæſarum procuratores. Inde eueniebat, vt cum ſuis ex poſſeſſionibus, & in ijs, monaſteria cōſtruerent Comites, plerumq; ea in alterius comitis comitatu, hoc eſt, præfecturâ Imperiali, p facere ſe inſtrumentis teſtentur. Poſtea tamen, & hoc ipſo pene ſub Othone III. Comitatus, & ducatus hereditarij ſunt facti. Quæ haut quaquam eo dixi, quaſi in Landtgrauiatu Briſiacæ plures Comites, Altenburgienſibus, veluti principibus, ſubiecti eſſe non potuerint, & inter eos Adelberontem, haut ſecus quam in Elſatiæ Landgrauiatu fuiſſe plures manifeſtum eſt, ſed vti diſcrimen Comitum fundi, fiſciq; demonſtrarem, rem, vt in tali materia, cognitu non indignam. Landolo ſiue Lancelino Latzius q *ex varijs vxoribus* in Commentarijs liberos tribuit mares quatuor, *Gebhardum ex monacho Hirſaugienſi Conſtantienſem præſulem: Rapatonem Ergouiæ Comitem ſtirpis propagatorem: Rudolfum Sundgouiæ comi-*

p *Vt ſupra fundatio S. Truberti, ſub Comite Vuoluuino.*

Quando Comitatus, & Ducatus hereditarij facti.

Varia de Lancelini liberis opiniones.

q *Comm. lib. i. cap. xi.*

comitem, auctorem Cœnobij S. Mariæ in Othmarſen, qui cum vxore Adelheide comitiſſâ à Froburg in S. Blaſio Nigræ ſiluæ tumulatus cernitur, Betzelinum Comitem, & Richenſam comiti à Lentzburg ad Arulam nuptam. At vero in Migrationibus [r] vxorem illi dat *Comitiſſam à Sonnenberg*, & ex eâ filios tres, *Vernerum antiſtitem Argentinenſem* &c. *Rudolfum qui Othmarsheim fundauit*, &c. *& Rapatonem fundatorem Muri monaſterij in Argouiâ*. &c. Gerhardus de [ſ] Rhoo filios illi parit ex varijs quoq; vxoribus ſeptem, *Gebhardum epiſcopum Conſtantienſem, Eberhardum Briſgouiæ Landgrauium, Berchtoldum Sueuiæ, & Carinthiæ ducem, Rudolfum Sundgouiæ Comitem, & Betzelinum Alſatiæ, Rapatonem Ergouiæ comites, & Cunradum dominũ in Stratchburg, & Scharpfenſtein.* Pontus Heuterus [t] à Latzij Commentarijs non recedit. Eintzingerus tres tantum ponit *Rãpatonem, Rudolfum, & Vernerum Epiſcopum*. Tres etiam ante omnes Iacobus Menlius conſtituit *Rudolfum Othomarsheim conditorem, Berchtoldum Barbatum primum Zeringiæ ducem, & Radepotonem*. Qui poſtremo chronica Heluetiæ, [u] & Elſatiæ [x] ſcripſere magis minuunt, *Rudolfum, & Rathbotonem* ſolos recenſent. Mihi ex monumentis Murenſibus compertum filios ſuſcepiſſe quatuor, RATHBOTVM, VERNERVM, RVDOLFVM, & LANDOLVM iuniorem. De filiâ cuius memoriam tenet inter Equeſtria eorum Ludicrorum ſcriptor nihil habeo dicere. Ex quibus, aut quâ vxore, non etiam eſt in promtu quod adfirmem. Liber antiquior Vitæ in Heremo Landoli, ſi hic Landolus, vxorem notat Luitgardim Eberhardi. Vnde haut ex vano fortè coniectura, eius Eberhardi filiam, qui Othoni I. Imp. rebellârit, & apud Andernacum ceciderit. Manlius ſepultam, quæcumq; fuerit, prope maritum ait, in eâdem veteris Capituli æde, videriq;, abſq; nomine, ſa-

r *Lib. vij.*

ſ *Lib. i. Annal. Auſtr.*

t *Libello de mig. cap. ij.*

u *Lib. vij. cap. xiij.*
x *Lib. ij. cap. xxiij.*

Digitized by Google

Eadem ex parte refutata.

xo ſculptam effigiem. Gebhardus Hirſaugiæ primò monachus, poſt Conſtantienſis epiſcopus, non ille Landoli filius fuit, ſed Berchtoldi primi Zeringiæ Comitis, Berchtoldi ſecundi ducis frater, de quibus poſtea pluria. Neq; Richenſa, quæ Lentzburgienſi nupſit, ex eo procreata, ſed

De Birchtilone Comite.

ex Rathboto neptis fuit. Hæc certa. Birchtilonis Lancelini fratris memoriam retinent quædam inſtrumenta ab Othone III. Vnum vidi quo Sliengam, notum Briſiacæ

Ex Archiuis Heremi ſingulari fauore & beniuolentia Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Abbatis Auguſtini nunc peculiari cum laude præſidentis.

vicum, donauit Hildebaldo Vormatienſi Epiſcopo. *Otto diuinâ clementiâ rex* &c. *Omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum nouerit ſollers induſtria quomodo nos ob petitionem & interuentum Hadeuuigis ducis noſtræ, ſcilicet dilectæ conſanguineæ*, &c. *dedimus ad Eccleſiam Vormatiæ in honore S. Petri Apoſtolorum principis conſtructam, cui modo vir venerabilis Hildebaldus epiſcopus præeſſe dignoſcitur quoddam noſtræ proprietatis prædium, Saleia dictum, atq; id ipſum prædium in pago Briſgouiæ dicto, & in Comitatu Birchtilonis Comitis ſitum.* &c. *Data* xiv. *Kal. Iulij Anno Dominicæ Incarnationis* CM. XC. *Ind.* iij. *Anno autem tertij Othonis regnantis ſeptimo. Actum Franckenfurt.* Alterum, quo mutationem, quam idem Hildebaldus epiſcopus cum Gregorio Heremitarum abbate fecerat eiuſdem prædij, confirmat. *Otho diuinâ fauente clementiâ rex.* &c. *Notum ſit omnibus* &c. *qualiter inter Hildebaldum Vormatienſis Eccleſiæ antiſtitem, & Gregorium monaſterij, quod Meginrades cella nuncupatur, venerabilem abbatem* &c. *prædiorum commutationem fieri placuit* &c. *Supramemoratus namq; Hildebaldus epiſcopus, cum conſenſu Eccleſiæ ſuæ clericorum, ſupraſcripto abbati, ac ſuis fratribus prædium ſuum Schelea nuncupatum, in Ducatu Allemannico, in pago Briſſachgouue, in comitatu Birichtilonis comitis ſito, cum omnibus* &c. *Data* v. *idus Decembris. an. Dn. Inc.* CM. XCV. *Ind.* viij. *Anno autem tertij Othonis regnantis* xij. *Actum Franckonefurt.*

neſurt. Neq; de Birchtilone aliud iam quidem occurrit. Omnes monaſterium ſanctimonialium quod poſtea in Canonicos mutauit, in honorem S. Margaritæ ad amnis Elſæ ripam, & Harciniam condidiſſe eum conſentiunt cui ex circumiectis ſiluis Vualdkirch manſit vocabulum, vixiſſeq; adhuc cum Gebhardo fratre A. D. N. CIↃ. VIII.

RATHBOT. COMES ALTENBVRGI, Elſatiæ, & Briſiacæ Landtgrauius. Cap. III.

VARIAE huius nominis inter ſcriptores, & veteres memorias declinationes. Acta Murenſia, & liber Vitarum Heremi Radepotonem ferme explicant, vti & Iacobus Menlius. Latzius Rapatonem: at Pontus Heuterus Rapatanim, alij Radebonem. Mihi liquet antiquum, & verum Germanicum vocabulũ illi fuiſſe RATHBOT ab conſilij acumine, & præſtantiâ, explicationeq;, qualia fermè fuere cetera per compoſitionem Germanorum nomina, quæ apud Cæſarem Iulium, Cornelium Tacitum, aliosq; vulgo leges, interpretari nihil ad hunc locum, aut meum inſtitutum pertinet, præſtiterunt alij, quorum coniecturis non inuideo. Ceterum poſtquam Landolus vitâ eſt egreſſus, filij, quos memoraui, paterna diuiſere. RATHBOT Vindoniſſam, & comitatum Altenburgienſem, RVDOLFVS quæ in Elſatiâ, & Sequanis, LANDOLVS Briſiacam obtinuit, ceterum tenerâ admodum ætate, ſed egregiâ indole, cum VERNERO fratre canonico Argentinæ ferme habitauit. Libera quæ vocant Officia indiuiſa manſere, ſiue communibus opibus magis continerentur, aut quia quiſq; ad ſe trahebat. Paucis poſt annis, y mortuus Cunradus rex Burgundię, regni quinquageſimo ſexto,

Nominis Rathbot variatio.

Diuiſio dominiorũ inter fratres.

y A. D. N. CM. XCIV.

Digitized by Google

Rudolfus III. rex Burgundiæ.

ſexto, relicto Rudolfo III. filio ſucceſſore, & ſuæ ſtirpis rege vltimo, quem nonnulli Fatuum, Hermannus Contractus Ignauum vocat, vtrumq; ex mentis vitio. Filiæ

Eiuſdem ſorores et coniugia.

præterea Cunradi fuere Berchta, quæ nupſit Othoni Campaniæ comiti, & Trecarum marchioni, Othonemq́; genuit: Giſela, quam duxit Heinricus dux Bauariæ cognomento Rixoſus, ex quâ Heinricus. II. Imp. & Geiburga, quæ collocata Hermanno comiti, quem, poſt Cunradum, Otho III. Imp. Allemanniæ ducem creauit, ex quâ Giſela Cun-

Othonis in Italiā expeditio, & coronatio.

radi II. vxor, & Heinrici III. Impp. mater. Profectus vero in Italiam Cæſar, Creſcentium domuit, Gregorium conſanguineum pontificem inſtituit, & ab eo Imperatoria or-

z A. D. N. CM. XCVI.

namenta accepit V. Eidus Iunij.[z] Inde in Germaniam re-

a Ex inſtr. ibidē datis.

ditum accelerauit, Belgij turbas placauit, Bruxellis[a] conuentum principum habuit, exeunte Octobri. Anno ſe-

Hermānus. II. dux Allemanniæ.
b A. D. N. CM. XCVII.

quenti,[b] cum, mortuo xiij. Kal. Septembris Cunrado, Allemanniæ ducatum commiſſet Hermanno comiti, eius nominis II. magnæ opulentiæ viro, Rudolfi regis, vt ſupra diximus, ſororio, in Italiam redijt, Creſcentium iterum rebellem in poteſtatem redegit, & cum coniuratis capite

c Ex inſtr. dato Romæ eodem die, et anno 998. quando Creſcentius decollatus ſuſpenſus fuit, verba ſunt diplomatis.
d A. D. N. CIↃ. II.
Contentio de Imperio poſt Othonis III. mortem.

plexum, patibulo adfixit. IV. Kal. Mai.[c] multiſq; rebus præclare, & fortiter geſtis vitam exuit, X. Kal. Februarij,[d] morbo, an veneno, dubium fuit, plures vim credidere. Sed poſteaquam Otho, magno ſui deſiderio, terris ereptus, nullo ex ſe herede, omnium exſpectationem, & vota fefellit, graue, & cruentum inter Hermannum Allemanniæ ducem, Heinricumq́; Bauarum de imperio certamen incidit. Ille viribus, & opulentiâ: hic etiam hereditate nitebatur, quod Heinrici Othonis M. fratris ex Heinrico filio nepos, eodem cum Othone III. gradu ſanguinis eſſet. Regni igitur inſignia per violentiam ab Heriberto Colonien-

Heinricus II. Imp.

ſi archiepiſcopo, qui ex Italiâ reportârat, extorſit, nonnul-

los mox

los mox principum conciliauit, poſtremo per Viligiſum Maguntiaci antiſtitem coronã ſibi impoſuit, magnumq; exercitum in Hermannum parauit. Ille validiſſimis Elſatarum, & totius Allemanniæ copijs factis, Argentinam è proximis ad Rhenum, Bauarum profiteri auſam, repentinâ clade adfecit, direptamq;, magnâ editâ cæde, poſtremo incendit. Mox totis viribus aduerſus Heinricum collatis, multo ſuorum ſanguine repulſus, & fugatus, dilabente milite, & fortunâ Bauari validiore, pacem petijt, & obtinuit. [e] Heinricus, pacatis Germaniæ rebus, in Italiam expeditionem habuit, [f] Ticinum, & in eo rebelles obſedit, captum, direptumq; inflamauit, Inſubres ſubiugauit. Poſt in Germaniam per Lepontios rediens Tiguri paullulum ſubſtitit. Ducatum Allemanniæ Hermanni II. morte quarto Nonas Mai. vacuum, conceſſit filio eius Hermanno III. ſuo conſobrino magnæ exſpectationis, & in vulgo fauoris adoleſcentulo. Abbatum ibidem Heremitarum, & S. Galli priuilegijs auctoritatem ſuam adiecit XV. *Iulij Ind.* II. *regni* III. qua tempeſtate, *fames & mortalitas tam grauiter per totum pene orbem inualuit, vt ſepelientium tædio viui adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis*, inquit Sigebertus. [g] At vero liberûm Officiorum, quos diximus, incolæ, cum longe aliter eueniſſe, quam præſumſerant, animaduerterent, ſeq; haut perinde in protectionem, quam ſeruitutem traditos, ægerrime pati, dominationisq; inſolentes, quiduis alud, quam imperantium faſtum, & cupidinem tolerare. *Reijciundum igitur iugum quod ſuis humeris humanæ lubidinis rudes impoſuerint, aut tyrannidem porro, & cetera victorum rebellione mereri. Prouidentiâ antè mala præſentia vitari potuiſſe; vires nunc, & arma opus eſſe. Et bello vinci, quam ſecordiâ perire eſſe acrioris animi. Idquoq; ad ſolatium vertere. Reliqua rerum haut æque, quam bella fortunam moderari. Poſterius, an* *grauiora*

Hermannus dux Argentinã vaſtat.

Infeliciter cũ Heinrico pugnat, & deditionem facit.

[e] *A. D. N. CIↃ III.*

Heinricus in Italiam tendit.

[f] *A. D. N. CIↃ IV.*

Hermannus III. dux Allemanniæ.

Ex inſtr. cõfirmat.

Magna vbiq; fames, & peſtilitas.

[g] *In chr. ad annũ D.N. CIↃ V ſicuti & Herman. Contractus.*

Libera officia contra Rathbotũ tumultuantur.

Digitized by Google

grauiora ab victoribus exſpectent, quam vt tectis, focis, agris præcipitentur, quorum iam quoq; vſum, & poſſeſſionem amiſerint? Mortem porro fortibus, precariâ vitâ potiorem. Non deerant vulgo mixti nobiles qui ardentes inflamarent Volenſes, Vilmeringenſes, Heideccij, Hilficenſes, alij, quorum facultates ex vicanorum bono. Igitur certi belli ad Rathbotum miſere, qui res repeterent, ſimul oſtenderent *Lancelino ſeſe parenti poteſtatem ſui feciſſe, non in abuſum, ſed vt conſeruaret, liberos eſſe à liberis progenitos. Comiti eum honorem iuiſſe habitum, vt, ante omnes, patronum, non dominum; defenſorem, non occupatorem rebus ſuis præficerent. Quod ſi eâ mente Rathbotus ſit, vt quid potius ſeſe deceat, & æquum poſtulet, quam ex lubidine parentis, animum inducat, poſſeſſoribus ablata reſtituat, amicè, & iuſtè cum ipſis conueniat, ſeſe porro protectorem alium non morari: in officio futuros; ſi ſecus animatus ſit; in armis refugium habere.* Neq; morati, Rathboti exercitum apud locum, cui Marbach vocabulum eſt, obuiam offendere, ſubitoq; congreſſi, irritatis vtrimq; animis; illis pro ſalute, & libertate; his pro laude, & gloriâ certantibus. Pulſi poſtremo agreſtes. Neq; incruenta Comiti victoria fuit, quo acerbius in victos conſuleret. Nam & ſeruitute haut paucos adfecit, & cæſorum bona ſuis mancipijs dedit, vtq; magis contineret, cum totâ familiâ, relicto in tempus Altenburgo, eo migrauit, arcemq; medio regionis, quæ ceruicibus omnium incumberet, collocauit, & Scharpfenſtein, ſiue Petram acutam vocauit, monimento ne quis impingeret, eo, vbi nunc Meyenberga eſt, loco, quod opidum baro Geſlerus [h] poſtea condidit. Acta Murenſia hæc paucis, poſt Landoli mortem, & quomodo libera Officia ſubieciſſet. *Cuius morte auditâ, heredes cupientes obtinere poſſeſſiones ſuas ſurrexerunt cum multo comitatu, & venerunt vſq; ad locum, qui dicitur Marbach, ibidemq; iuſſu Radeboto-*

Prælio certant.

Vincuntur, & ſubiugantur.

Scharpfenſtein arx condita. & quare.

[h] *Chron. Tugienſis.*

Acta Murenſ.

deboto-

debotonis filij ipſius Lancelini ab iſtius loci hominibus cum iniuriâ repulſi, redierunt in locum ſuum nec vlterius adpoſuerunt huc venire. Paullo poſt. *Repulſis igitur prioribus habitatoribus, quia nemo fuit qui contradiceret, Radeberto Comes iam pro hereditate poſſidens locum, & omnia ad eum pertinentia potẽtius, ac firmius quam pater ſibi ſubiecit, ac in ſuum dominium contraxit, adeo vt ſibimet etiam domum fabricaret, & cum omni familiâ ſuâ, ac ſupellectili hîc habitaret.* His tranſactis, haut vulgari fortitudinis, & opulentiæ opinione apud exteros, & vicinos, nam in multo maius id bellum, Comitisq; ex victoriâ potentiam fama diſperſerat, perſuaſeratq;, vxorem ſibi Rathbot optauit [i] ITAM, Friderici ſuperioris Lotharingiæ ad Moſellam Ducis, & Haduigis, Hugone Magno (à quo hodierni Frãciæ reges,) & Haduige Othonis I. Imp. ſorore genitæ, filiam, Theodorici, poſt patrem etiam ducis, & Adelberonis II. Mediomatricum, egregiâ eruditione, & ſanctitudine epiſcopi, ſororem germanam, Cunonis Rhinfeldæ Comitis vterinam, eiq; matrimonij nomine Libera Officia conſignauit. Acta. *Idem vero Radeboto cum ſibi congruum viſum eſt, vt vxorem duceret, accepit de partibus Lotharingorum vxorem nomine Itam ſororem Theodorici ducis, poſtpoſitisq; alijs prædijs ſuis, quæ rectius tenebat, dedit illi hunc locum in dotem.* Imperitè chronicon Lotharingiæ, & alij, eosq; inter Nicolaus Clemens Træleus, [k] Gozeli I. Auguſti, Gottfridi Barbati fratris; aut, vt reliqui volunt, Gotfridi eiuſdem filiam Itam tradidere, cum ex Sigeberto, & Contracto, & alijs, ſatis conſtet, per hæc tempora, non Gozelum, ſiue, vt nonnulli nominant, Gotezelum, ſed Fridericum, & Theodoricum præfuiſſe; Lotharingiam Gotzelum, haut paucis poſt annis, [l] pulſo Gerhardo, Theodorici filio, ſibi vindicauiſſe. Ceterum ex his quoq; quiuis intelligit Altenburgienſes comites magno in honore, potentiâ, & fauore

Rathbot ducit vxorem.

i *A.D.N.CIↄ.IX.*

Acta Murenſ.

Error ſcriptorũ in patre cõiugis Rhatboti.

k *Libello de Auſtraſia regib. & ducib.*

l *Anno ſcilicet. 1033. Sigeberto teſte.*

R fuiſſe,

Comitum Altenburgienſium magna hec queq; tempore potẽtia, factio, & auctoritas.

fuiſſe, vtpote maximis, & principalibus familijs ſanguine, & adfinitate coniunctos. Duxerat paullo ante Rudolfus frater Adelberonis Comitis Froburgienſis ad furaſſi dextrum latus, (Hauuenſtein inferius adcolæ vocant,) filiam ADELEIDIM, antiquiſſimâ, & nobiliſſimâ familiâ longe inſignem, eiuſq; precibus, & ſollicitatu tum condebat ſanctimonialium monaſterium in honorem, tutelamq; Deiparæ matris OTHMARSHEIMI, vico Elſatiæ ſuperioris, Romanis, & priſcis temporibus Martis delubro, & culturâ celebri. Breui poſt Rathboti nuptias, & eius auxilijs, obſedit Heinricus Cæſar Metas, Theodorici Lotharingiæ ducis ſuprà memorati cauſsâ, & precibus, quas Theodoricus Sigfridi palatini Comitis, & Kunigundæ reginæ frater, Cæſaris inimicus occupauerat. Adelberone enim fratre, Metenſium epiſcopo vitâ ſoluto, filium Theodoricus Dux ſubſtituerat, eiq; Theodoricum palatinum eiuſdem Eccleſiæ canonicum tutorem dederat. At ille, & Theodorici filium vrbe excluſit, & fraude patrem intercepit, cuſtodiaq; incluſit, Lotharingiâ, & ſimul epiſcopatu potitus eſt. Cæſar, vaſtatis circa omnibus, & deditione vrbis factâ, ſupplicio, qui meruerant, adfecit, Theodoricumq; in priſtinam libertatem, & dignitatem reſtituit.

Rudolfi matrimonium.

Othmarsheim monaſterium ſanctimonialium conditor.

Cæſaris in Lotharingiam expeditio.

Sigebert. chr.

Baſilicę Baſilienſis fundatio m A D N.CIↃ.X.

Hinc Baſileam rediens poſuit [m] mihi Cathedralis Eccleſiæ fundamenta poſt annos tres, & nonaginta, quam Hungari incenderant, profanârantq;. Hermanno quoq; III. duce abſq; ſubole Kal. Aprilis exſtincto, Allemanniæ ducatum dedit Erneſto I. comiti, qui Giſelam conſobrinam ſuam, Hermanni III. ſororem in matrimonio habebat, Adelberti Auſtriæ marchionis fratri vterino. Obijt eodem pariter tempore Aluicus Argentinenſis epiſcopus. In eius locum ſuffectus VERNERVS ALTENBVRGIENSIS, adnitenſibus maxime Rathboto, & Rudolfo,

Erneſtus I dux Alleman.

Vernerus Altenburgienſis Epiſcopus Argentinenſis.

Lando-

Landoloq; fratribus. Florebantq; nobilis familiæ res,opibuſq;, & auctoritate ante alios erant, grauis cum inter fratres diſcordia inceſſit. Iam ſæpius, & diu flagitauerat Rudolfus ſuo, & fratrum nomine partem Liberûm Officiorum; abnuerat ſemper Rathbotus, bello, & victoriâ ſibi parta prætendens. *Vt enim parenti ſubditi fuerint, neq; in partitionem venerint, rebellione omnium dominatum exuiſſe. Se ſuis opibus ſubegiſſe. Quæ ſolus quæſierit inique in commune vocari.* Aderant partibus fautores, Rudolfo præter ceteros ſocer Adelbero. Rathbotto comes Rhinfeldenſis Cuno. Medius Vlricus Comes Lentzburgienſis incedebat, Rathboto pronior. Sed Rudolfus, raptis vltra Vocetium copijs, antequam præueniretur, Pontem Arulæ diripuit, vicos incendit, Altenburgo fruſtra tentato, prædas abegit, & manipulos incruentos in Elſatiam reduxit. Paucis hæc notârunt Acta. *Fratre autem eius Radebotonis Rudolfo, qui Cellam Othmarsheim conſtruxit, dicente, vt diuiderent locum; ſicut & alias poſſeſſiones ſuas, & ipſo non conſentiente, ille autem fortiter inſtante, venit huc idem Rudolfus, hæc omnia incendio tradidit, ac prædatus eſt, quo facto, diſceſſit, ſed tamen à fratre ſuo nihil obtinere valuit.* Belli ſanguinolenti, & ſæui, acrioribus inter propinquos odijs, hoc tamen primordium, ſeminariumq; fuerat, niſi, Rudolfo paullo poſt exſtincto, ſcilicet anno. D.N. CIↃ.XIII. & interea inducijs factis, domui tranquillitas, pax ſubditis reueniſſet. Latzius, & Heuterus Rudolfum apud S. Blaſium Harciniæ ſiluæ ſepultum ferunt. Melius, & probabilius Iacobus Menlius qui Othmarsheim, in monaſterio quod conſtruxerat, vult conditum, in quo etiam reliquum vitæ, nullis ſuſceptis liberis, vxor Adelheid confecit. Eodem prope tempore, [n] Romæ Heinricus cum vxore Kunigundâ, coronam ab Benedicto VIII. accepit, VII. Kal. Mai. Imperator eo nomine primus.

Contentio belliſa inter fratres Altéburgienſes.

Vtrimq; auxiliares.

Rudolfus in Rathbotum prædatur, vaſtat.

Acta Murenſ.

Moritur.

Sepelitur.

Heinricus Romæ coronatus.

[n] *A. D. N. CIↃ. XIV.*

Eius abſentia in Germania turbæ.

Eius abſentiâ, vt plerumq;, turbandi nonnullis occaſionem aperuit. In primis Gerhardus fuit, Theodorico, qui paullo ante obierat, genitus, dux Lotharingiæ, inquieto animo, & impotenti, Itæ Altenburgienſis nepos. Is contra Imperium multa auſus proximos quoſq; vexare, premere, noua conſilia agitare, Cæſarianos vndiq; laceſſere, ferro poſt, & flamâ vaſtare, nihil penſi, aut æqui habere donec, iuſſu Imperatoris, Gotfridus, qui inferiorem Lotharingiam ad Moſam, etiam Ducis nomine tenebat, occurreret, acieq; ſuperaret, & totâ Lotharingiâ profligatum in ordinem redigeret. Ducatum Lotharingiæ ſuperioris dedit Imperator Friderico comiti, Gotfridi propinquo. Gerhardum comitatus auitus Egesheimij Elſatiæ recepit. Genuit Gerhardum II. qui Vlricum, & Stephanum Egeſheimenſes Comites. o Notat ea hoc tempore accidiſſe Sigebertus; Hermannus Contractus tertio ab hoc anno. p Non deſunt qui huic rebellioni fauiſſe, opesq; ſuppeditâſſe ſecretas, tamquam ex adfinitate, ſiue alia fuit cauſſa, Rathbotum, & Vernerum epiſcopum fratres prodidere. Illis diebus, q Erneſto I. inter venationem ab Adelberone Comite interfecto, Allemanniæ imperium ſuſcepit, gratiâ imperatoris, filius eius Erneſtus II. Sed Vernerus, vtcumq; cetera ſe habeant, dum hæc geruntur, veteri Eccleſiæ Cathedralis fabricâ diſſolutâ, ſiue eam de cælo ignis in cineres redegerat, Clodouei primi Frãcorum regum Chriſtiani, vt ferebant, opus, vt clarior reſurgeret, poſuit Argentinæ eius templi fundamenta, quod trecentos fermè poſt annos in eam amplitudinem, & pulcritudinem ſubcreuit, vt orbis, inter miracula merito numerari poſſit. Cētum Vernero fabri in eo exerciti decimo anno ſolo tenus molem eduxere. Inter illa quoq; oblata Itæ Rathboti ex conſcientiâ relligio. Cum enim accepiſſet Liberûm Officiorum

Concitore maxime Gerhardo Lotharingiæ duce. Rathboti adfini. Ipſo etiam, vt quidã voluerunt, conſcio, & auxiliario.

Ducatu exuitur, & Egesheimi auito comitatu reſtituitur.

o Geneſis Murenſis mon. fundatorum.

p A. D. N. CIↃ. XVII.

q A. D. N. CIↃ. XV. Erneſtus II. dux Allemanniæ.

Vernerus Cathedralis Eccleſiæ Argentinæ fundamenta poſuit ingenti animo, & ſumtu.

Eodem ſupr. an. Vimphelingius de Epiſcopis Argent. Gebuillerus Paneg. Carolina conuent.

ciorum conditionem, quibus ob matrimonium fruebatur, quaq; ratione ex liberis, ſuiq; iuris alieni, & ſerui facti eſſent, itaq; à ſe poſſideri, animo fluctuare, & de manu mittendis, reſtituendisq; ſæpe, multumq; cogitare. Sed nec quibus reſtitutionem faceret ſatis apparebat. Mutationes enim plures eueniſſe, alio alios migrâſſe, multos obijſſe, emtione, verſurâ alterum ab altero habere, pleroſq; incolas nouos eſſe, & poſtremo, ſi omnia paterent, maritum non permiſſurum. *Tandem*, ait Actorum ſcriptor, *inſpirata, vt creditur, à DEO, qui eiecit gentes, & plantauit vineam ſuam in terrâ promiſſionis tranſlatam de Aegypto, cogitauit vt ſibi talem heredem acquireret, cui nullus ſucceſſor inuideret*. Adſumto igitur in conſilium, & curarum partem Vernero Epiſcopo, cogitationes aperuit, locumq; condendo monaſterio aptiſſimum oſtendit, ad eam rem, ſi probaret, facultates, & opes habere, impedimentum à marito ſupereſſe. *Ille*, addit idem ſcriptor, *gauiſus in domino monuit, vt in hac voluntate perſiſteret, promiſitq; illi ſe in omnibus, quibus ipſe poſſet adiutorem*, ceteraq; quibus obſiſtere frater poſſet, curaturum. Id vero facile fore ſi Ita donationem propter nuptias remiſiſſet, ipſe pro paternæ hereditatis parte eam regionem obtinuiſſet. Gratiſſimum id Itæ accidit. Simul igitur fratribus ad ſe Argentinam vocatis, vna cum Itâ, & fratre eius Cunone, haut grauatim omnes impulit, vt ſuæ, & comitiſſæ petitioni acquieſcerent, libera officia pro parte ſibi traderent, inde Cœnobij origo eſſet, Rathbotus curam ædificandi, inſtituendi gereret; Cuno Romam deſtinaretur, qui *omnia ad altare ſancti Petri ſub legitimo cenſu pro libertate firmandâ contraderet*. Poſtremo & factum inſtrumentum quo prædia, familiæ, mancipia, cetera includerentur, quæ monaſterio cederent, idq; Cunoni, qui ſcilicet Romam perferret, traditum. Acta. *Tunc fecerunt ſcri-*

Chronog. Elſatiæ. lib. viij cap xiij.

Ita Rathboti coniugis de liberûm officiorum incolis conſultatio.

Et decretum. Acta Murenſ.

De condendo Murenſi Monaſterio.

Conſilio, & opera maxime Verneri Epiſcopi.

bichar-

Digitized by Google

bi chartam firmitatis in quâ compoſuerunt quæ, & quanta prædia, & quot miniſtros, vel familiam, vel aliam ſubſtantiam huc delegâſſent, & ſic omnia in manus Comitis Cunonis commendauerunt, eo pacto, quo ſuperius dictum eſt. Illâ tempeſtate venit Heinricus Tigurum, ibiq; Virandi abbatis Heremi priuilegia confirmauit IV. *Nonas Septembris Indict. I. regni XVII. Imp. V.* r Tiguro Baſileam tetendit, vbi Adelbero Epiſcopus baſilicam, quam Imperator regio ſumtu, & cenſu eâ in Ciuitate fecerat in honorem DEI genitricis, ſollennitate magnâ, & Epiſcoporum, & principum frequentiâ, V. Eidus Octobris ſ dedicauit, & conſecrauit. Inter alios, præter Imperatorem ipſum, & coniugem Kunigundam, adfuere Poppo Treuerenſis archiepiſcopus, Vernerus Argentinenſis, Ruthardus Conſtantienſis, Hugo Geneuenſis, Hugo Lauſanenſis, alijq; plures Epiſcopi. Rudolfum Burgundiæ regem multis contumelijs iam antea adfecerant Burgundi, ſuapte inſolentiâ, aut eius ingenij deſpicatu. Igitur cum eas non vltra perferre animum obfirmâſſet Heinricum Imp. Baſileæ moras facientem adijt, regnum, quod ex Imperatoris manu habebat, redditurus, aut contra arrogantiam ſuorum conſilium, & opem imploraturus. Heinricus, paratâ iam in Italiam expeditione, regem Vernero Epiſcopo commendauit, illiusq́; ſalutem, & dignitatem curæ habere iuſſit. Vernerus, collectis magnis copijs ſuorum, fratrumq́; Rathboti, & Landoli opibus, exercitum in Burgundiam duxit, rebellesq́;, & eorum ducem Guhelmum Comitem, ingenti prœlio, prope Geneuam ſuperauit, ſeditionis auctores puniuit, cuncta Rudolfo regi pacata, & quieta reddidit. t Quibus rebus non ſolum ſe, fratresq́; Epiſcopus ab Lotharingiæ coniurationis, de quâ ſuprà retulimus, opinione, aut ſuſpicione liberauit, ſed Imperatoris gratiam ſingularem omnibus parauit. Inde moribus

Heinricus Imp. Tiguri.

r *A. D. N. CIↃ XVIII. Baſilienſis Eccleſiæ dedicatio.*

ſ *A. D. N. CIↃ. XIX.*

Rudolfus rex Burg. opẽ ab Heinrico Imp petit contra ſuorum contumelias.

Eum Imperator Vernero commendat.

Qui ſuis & fratrũ copijs rebelles, & inſolẽtes ſubiugat.

t *A. D. N. CIↃ XX.*

Contract. chr. Sigebert.

Digitized by Google

ribus cleri reſtituendis animum intendens Concilio prouinciali, quod Aribo Maguntiacenſis antiſtes apud Selegeſtadium agitauit, interfuit. De quo chronicon Hirſaugienſe. *Anno 1023. Ind. 6. Aribo Maguntinus Archiepiſcopus idibus Auguſti ſynodum Epiſcoporum, & abbatum celebrauit in monaſterio SS. Marcellini, & Petri in SelgeStat, pro pace cleri, & vtilitate Eccleſiaſticâ, vbi multa, ſummâ prouidentiâ, fuerunt inſtituta. In hac ſynodo ſanctâ, ſicut ex geſtis eius legimus, fuerunt præſentes Burcardus epiſcopus Vormatienſis, Vernharius* [u] *epiſcopus Argentinenſis, Bruno Auguſtenſis frater Heinrici Imp. Euerardus epiſcopus Bambergenſis, Meginhardus epiſcopus Herbipolenſis; præter abbates plures, Fuldenſem, Hirsfeldenſem, Laurisheimenſem.* Heinricus poſtilla multis rebus præclare geſtis, ex Italiâ rediens fato functus eſt III. Eidus Iulij. *Conſulentibus principibus, ſucceſſorem Cunradum* [x] *deſtinauit, virum egregij generis, & egregiæ libertatis, quippe qui numquam ſubmiſerit ſe alicuius ſeruituti*, inquit Sigebertus. Egregij ſanè generis. Habuit enim patrem Heinricum, auum Othonem Allemanniæ, & Bauariæ ducem, proauum Luitolfum Othone primo Imp. generatum. Quod ideo adnotaui, quia de eius ſtirpe, nemo, quem nouerim, curatius inueſtigauit, aut quidquam certi tradidit. Regnandi initium, vt alias, principum diſcordiâ, & inuidiâ anceps, & turbidum. Rebellârunt enim continuo [y] Cunradus patruelis Carinthiæ dux, Erneſtus dux Allemanniæ ex Giſelâ coniuge priuignus, Velfo comes Altorffi, alijq́; &, fædere inito, totam pene Germaniam conciârunt. Eâ occaſione diſcordiæ, referunt Acta, *cum maximum placitum* totius nobilitatis Argouiæ, Turgouiæ, & vicinitatis, *fieret iuxta pontem fluuij, qui Glat* [z] *dicitur, venit illuc comes Radeboto, & accerſiuit de cella Sancti Meginradi abbatem venerabilem nomine Embricium, & eum rogauit, vt pro DEI amore ipſe faceret*

Chr Helu lib iv. cap xxxix
Chro. Elſ. lib. iv. cap xlvi.
Synodus Selgenſtadienſis.

[u] *Sic ſæpe legas apud Aimonē pro Vernero. ut apud Contractū & Rhenonem Valtarius pro Valtero: Guntharius pro Gunthero, alia ſexcenta apud ſcriptores illorum temporum. Magis mutârunt Itali qui Beringarios ſcripſerunt.*
[x] *Cunradus II. Imp.*

A. D. N. CIↃ XXIV.
De eius origine, & ſtirpe.
Contra eumdem rebellio.
[y] *A. D. N. CIↃ. XXV.*

[z] *Glat fl. prope Tigurum.*

ceret hîc monaſterium conſtrui, & cetera quæ fuiſſent neceſſaria habitacula monachis, & ſuos fratres ad hoc implendum deſtinaret; Cui cum ipſe abbas vix aſſenſum præberet, multis Comitis, & vxoris eius precibus motus, locum commendatum in ſuum magiſterium ſuſcipiens [a] *mox huc deſtinauit Reginboldum monachum in omnibus actibus eius laudabilem virum, qui nuper antea à Salodoro Caſtro ad conuerſionem venerat, & ei precepit, vt ipſe præpoſitus eſſet hic, & quidquid vtilitatis hic ordinare potuiſſet facere non differret. Miſit & alios fratres, qui eum adiuuarent, & liberos, quorum quidam adhuc hîc ſunt, & miſſales, & veſtes, & alias varias ſupellectiles. Et ſic primum huc venerunt monachi.* Conſtituta in hunc modum Monaſterij Murenſis fundamenta. Nomen loci, quod illic antiqui muri, ruderaq́;, & ædificiorum ruinæ. An ab Romanis, & Vindoniſsâ, & per eorum cultum? Acta. *Locus iſte qui inde quod agrum noſtrum, & agros ruſticorum hic iuxta ſuperiorem vicum ſubterranei muri antiquitus constructi inueniuntur, nominatur* MVRA. Multam vero in his omnibus Itæ præcipuè diligentiam, induſtriam, pietatem, liberalitatem, & curam, eadem teſtantur Acta. *Ad iſta autem omnia adiuuit eum* Reginboldum *ſatis bene Comitiſſa Ita in omnibus, quibus potuit, tam cæmentarios acquirendo, & illos hîc paſcendo, & mercedem dando, quam in veſtibus, & alijs in rebus huc dando.* Ceterum ſuperiorem in principum coniurationem nomen quoq; dediſſe ſuum Vernerum Argentinenſem, non abſq; conſcijs fratribus, traditum ferunt chronico Eberſheimenſi, & annalibus Elſatiæ, qui, comperto, proinde à ſe Cæſaris animum alienatum, poſſeq; ſede deturbari, opibus ſuis, fratrumq́; firmandis animum intenderit, plura Epiſcopatus beneficia, &, ſi quæ vacua erant, ijs tradiderit, arces, opida, vicos, agros, iura, iudicia: Rathboto quoq; ingentem pecuniæ vim, Caſtro, & munimento inexpugna-

Embricius V. Heremi abbas Murēſis Monaſt. curam ſuſcipit rogatu Rathboti, et eius vxoris.
a *A. D N. CIↃ XXVI.*

Reginboldus primus Muri præpoſitus.

Eiuſdem monaſterij denominatio.

Egregia in eo perficiendo Ita pietas, & liberalitas.

Superioris rebellionis pars, vt volūt, Vernerus, & fratres.

Igitur ſuas, & eorum opes præcipue confirmat.

expugnabili, paterno in ſolo, conſtituendo, cui HABESBVRG eſſet nomen, quod eo habentiam ſuam conferre deſtinaret. In Vindoniſſenſi Comitatu pauca per ea tempora munimenta erant, quæ vim maiorem tolerarent. Vindoniſſa in ruinâ: Caſtrum Vindoniſſenſe, ſiue Altenburg, loco plano, & patenti, niſi qua flumine Arulâ Amigitur, murorum quidem mole ingenti, ſed per ætatem fluxa, & præcipiti. Arouia, Pons Arulę, Biberſtein opida parum firma, Arcem Roræ foſſæ muniebant, ſitu deſtituebatur, molli cliuo, & acceſſibili. Collis ſupra Altenburgum paullo erectior, Vuildbesberg vulgo nominabant, ab Arulâ, prope ad Vrſam, per paſſus circiter mille, clementi iugo, & ferme æquali, ſeſe porrigebat, qua Arulam, & Occidentem reſpicit aliquantum ſublimior. Eius collis verticem, quà maxime ab flumine attollitur, Rathbotus capere conſtituit, ibiq; HABSBVRGVM, fratris ſui nomine, ponere, rudi opere, ſed ad vim impenetrabili. Vnus aditus verſus Aquilonem aderat, cetera rupium ingentia præcipitia claudebant, eum aditum duplici foſsâ occupauit, propugnamentisq́;, vt adhuc rudera, & lapidum congeſti ad ingreſſum cumuli oſtendunt, firmauit. Interiora arcis, & eius pars magna ſupereſt nunc etiam, coliturq́;. Mulier anus, & exitâ ætate nobis ad ea loca viſentibus mira recenſebat, quæ à maioribus accepiſſet, monſtrabatq́; comitum ſeptem, vt ipſa adfirmabat, in eodem arcis ambitu diſiuncta habitamenta, ſiue totidem familiarum ſeparatas ſedes. Et eſſe potuit. Cum pluribus annis ſimul vixerint Rudolfus, qui poſtea imperauit, & fratres Albertus, & Hartmannis, itemq́; omnium pater Albertus, Rudolfus, quoq; auus, vna cum Rudolfo patruo, & liberis eius. Sed neq; ſic fore omnia tuta Rathbotus ducens, niſi, qui nouam munitionem tuerentur, pariter adeſſent,

Rathboto magnam pecuniam cōdendæ arci tradit.

Habsburgi etymū.

Pauca in Comitatu Vindoniſſenſi loca munita.

Habsburgi fundatio, & ſitus.

Plurium comitum Habsburgi olim habitatio.

Rathbotus ſibi vicinam nobilitatem variis conciliat.

S omnem

omnem pene vicinam nobilitatã Argouiæ, Turgouiæ, Frickgouiæ, Hegouiæ, & Cletgouiæ, Rheniq́;, & Allemanniæ conciuit, largitione, præmijs, promiſſis. Poſtremo in ſuâ, fratrumq́; voluntate futuros ſacramento pleroſq́; adegit. Nec multo poſt Habsburgum Vernerus tetendit ſperans ex pecuniarum ſummâ, locum, vt ante omnes fortiſſimum, ita pulcherrimum inuenturum. Cuncta, vt diximus, prope informia fuere, & præter ſitum, ſaxorumq́; ingentem congeriem, & rude cæmentum, delectabile nihil, aut amœnum. Rogatus Rathbotus quo tantas opes profudiſſet, poſterâ ſeſe die rationem daturum reſpondit. Igitur omnem vicinam nobilitatem per noctem collem ex plano, quà potuit, circumuenire iuſſit, primoq́; mane in armis eſſe. Nox ita, vti iuſſerat, tranſacta. Cœptâ luce, cum forte arcem manu militum, armisq́;, ad exortum ſolem late coruſcantibus, circumdari Vernerus animaduertiſſet, depræhenſum ſe, & inimicas eſſe cohortes ratus, ingenti metu trepidare, protſusq́; in hoſtium poteſtatem veniſſe arbitrari. Nam neq; adhuc propugnamenta erant, quibus in longum reſiſterent, & commeatus, vt re nouâ, non ſuppetebant, arcem niſi in paucos dies teneri poſſe compertum omnibus erat. Rathbot deniq; anguſtias exoluit, ademitq́;, vtriuſq; amicos & auxiliarios, & clientes eſſe dictitans, illâ, quam requireret, pecuniâ emtos, & obnoxios. Mox intromiſſos omnes epiſcopo honorem habere iuſſit. Ille admiratus fratris prudentiam, & induſtriam, probatoq́; eius maximo opere conſilio, vultu hilaro ſuccedentes accepit, muneribusq́; alijs alios adfectos, lætos, lubentesq́; domos quemq; ſuas dimiſit. Hoc HABSBVRGI certum, & principium primum. Et illud idem forte eſt, quod Albertus Argentinenſis voluit. [b] Nã eius Vernerum epiſcopum Argentinenſem conditorem, aucto-

Vernerus Habsburgum venit.

Egregio ſtrategemate ſumtus factos requirentem Rathbotus ludit.

Laudem prudentiæ inde reportat.

b *Eius verba poſuimus ſupra lib.2. cap.1.*

auctoremq; ,ex ipſius mox teſtimonio oſtendemus, vt nugas, & deliramenta tandem relinquamus, quæ Latzius, quæq; alij ſuper hac re prodidere, conditorem ſcilicet Rapatonem nomen ab Auendo, quod Ottobertus poſuerit; aut ab Auentino Vrbis monte, vt Volaterranus, & Arnoldus Vion ſumſiſſe, qui Auendum, aut Auentinum viderit numquam, nec forte audiuerit, certe numquam poſſederit. Multo tempore in hunc modum tranſacto, neq; adhuc Comes Cuno iter Romam ſuſceperat, inſtigantibus licet, & monentibus aſſiduò ſorore,& Rathboto,neq; promiſſa exequuturus videbatur. *Poſtremo*, inquit Actorum ſcriptor, *pigritiâ victus, venit ad Talluyl villam, quæ eſt iuxta Turicinum locum, & huc ſine dubio pertinet, & ibi locum, & omnia ſibi commendata DEO, & ſanctæ genitrici illius* MARIAE, *& ſancto Petro, & omnibus ſanctis DEI tradidit, ſeq; ita pacto, de quo adiuratus fuerat, abſoluit*. Non longa Cunoni ex eo vita fuit, magnis per ea tempora opibus, & inſigni inter Imperij proceres auctoritate. Habuit vxorem Richuaram Cunonis Oeningæ [c] comitis, & Richlindis, Othone I. Imp. & Adelheide genitæ, filiam, quæ Rudolfum Rhinfeldæ Comitem, & Allemanniæ ducem, poſtremo contra Heinricum IV. electum Romanorum regem, peperit; & Adelberonem Vormatiæ epiſcopum. Erat ante conditum Monaſterium vico Muri paroecia, presbyterumq; tum quidem Voconem decumæ alebant: Eâ Eccleſiâ, & reditibus an frui monachi poſſent, in conditionem, vt illi tamen ſecum ſecularem presbyterum haberent, qui populo præeſſet, Rathbot, & Reginboldus profecti Conſtantiam Varmannum epiſcopum conſuluere. *Ille deuotioni eius congaudens*, adiungit Actorum conditor, *cum conſilio prudentium virorum omnia, quæ voluit, conceſſit, dicens Eccleſiam inde non deſtrui, ſed potius conſtrui; centum homines*

Cuno comes ſe voto Romā eundi, & Murenſe monaſt. DEO, & D. Petro offerendi Talwilla vico ad lacum Tigurinum, eo vſque Rhinfeldā profectus, liberauit.

Eiuſdem Cunonis mors vxor, liberi.

[c] *Ad lacum Conſtantienſem.*

Rathbot Conſtantiam profectus obtinet ab Varmanno Epiſcopo vt Murēſes monachi eius loci paroeciam poſſidere poſſint, conditione.

maius ſeruitium DEO exhibere poſſe, quam vnum, ſe numquam velle laudem DEI minuere, ſed augere magis. Hac licentiâ, & conſolatione acceptâ, iterum idem Comes Radepoto, ſuadente dominâ Itâ vxore ſuâ, eumdem presbyterum, cum iſtam Eccleſiam Epiſcopo reddidiſſet, alio conſtituit eſſe, eiq; duas alias delegauit, vnam ad Etickouen, alteram ad Eſickouen. Sicq; domino Reginboldo, & omnibus ſequacibus ſuis, qui ſunt monachi, Epiſcopo concedente, & Radebotone tradente, ſine vllâ contradictione, liber aditus, & ingreſſus patefactus eſt, vt nemo eis neq; in ſpiritalibus, nec ſecularibus præſit, nec obſit, nec opprimat, nec oppugnet, ſed in illorum poteſtate omnia conſiſtant, & regant. Hæc autem facta pene omnia ſuaſu, & ſtimulis Itæ idem ſcriptor ſæpius adnuit, qui ob ea, alio in loco, rationem reddit, cur potius fundatio monaſterij Epiſcopo Vernero; quam Itæ tribuatur, aut Rathboto. *Hoc enim*, ait, *propterea ſapientibus viris viſum eſt melius, quia ipſe in his tribus perſonis potior inuentus eſt, vt eo firmior, ac validior ſententia ſit, quam ſi à femina conſtructum eſſe diceretur.* Sed Ita breui poſtea defecit. Obijt eodem A. D. N. CIↃ. XXVI. X. Kal. Auguſti, & Muri ſepulta eſt. Eius quoq; apud Heremitas per plura beneficia grata memoria, exceſſusq; eius libro Vitæ in hunc modum notatus. X. KALENDAS AVGVSTI OBIIT ITA COMITISSA VXOR COMITIS RADEBOTONIS DE VINDONISSA. Proditum chronico Ebersheimenſi eius monaſterij abbatem hoc tépore Vernerum epiſcopum, apud Cunradum Cæſarem detuliſſe, quod cum multa, quæ Epiſcopatus eſſent, fratribus indulſiſſet, ſui quoq; monaſterij, cuius aduocatus, & patronus erat, vicos nonnullos, Sultz, Burchheim, Nordhauſe, Hundesheim, alios, ad eoſdem transferre conaretur. Cæſarem Vernero, fratribusq; reſcripſiſſe, bonis monaſterij abſtinerent, ſi quæ per vim poſſideant, reſtituerent,

Vernerus fundator Murenſis monaſt. dictus. Quare.

Ita mors, & ſepultura.

De Verners apud Cunradum Cæſ. querella.

gratiam

gratiam ſi ſuam, & Imperij vellent, Inde in Italiam abijſſe, neq; per eius abſentiam monachos quidquam obtinere potuiſſe. Vxorem paucis menſibus Rathbot Comes Altenburgi morte ſecutus. Deſijt eſſe A. D. N. CIƆ. XXVII. feriâ VI. Chriſti Vindicis, & ſeruatoris noſtri nece, & ciuitatibus, annuâ memoriâ, omnibus pijs lamentabili. Ea in A. D. IX. Kal. Aprilis inciderat. Corpus ad Murenſe monaſterium detulere, ibiq; ſepeliere. Acta. *Interea vero, mortuo Radeboto Comite, corpus eius tranſlatum eſt huc, & ſepultum ante altare S. Crucis.* Illum Latzius, & Heuterus filios procreâſſe quatuor adſerunt, *Vernerum ſucceſſorem, auctorē cænobij Vettingenſis prope Baden in Heluetijs. &c. Theodoricum ex Lotharingiæ duce expulſo, auctorem comitum Rhinfeldenſium, Albertum, & Beringerum, qui ante diem iuuenes obierant, & Itam Rapatoni Comiti ab Altenburg collocatam.* Quâ in re multiplici erratione inuoluuntur. Nam de Vettingenſis monaſterij origine, alibi dictum, & ſub Friderico II. Imp. A. D. N. CIƆ. CC. XXVII. conditum ex inſtrumentis fundationis oſtendimus. Neq; eius auctorem eſſe Vernerum, ſed Heinricum Raperſuillæ Comitem, cui ex pluribus peregrinationibus Vuandelbare cognomentum. Neq; Theodoricus vmquam Radeboti, & Itæ filius; ſed huius frater, illius adfinis; aut ipſe Lotharingiâ vmquam priuatus, ſed Gerhardus illius filius. Comites quoq; Rhinfeldenſes non ex eo, ſed ex Cunone eius, & Itæ fratre vterino, quam Itam Rapatoni comiti ab Altenburg collocatam dum adſerit, recte ſentit; dum Rathboti filiam Rapatoni comiti ab Altenburg matrimonio datam ſcribit; ſolitum ſe præbuit. Obſeruantior, an prudentior in Migrationibus Rathboti filios tres tantum ponit, Albertum, Vernerum, & Othonem, & Richenſam filiam. Eos fuiſſe, præter ceteros ſcriptores, qui eadem tradidere, Acta quoq; confirmant,

Rathboti obitus, et ſepultura.

Latzij & aliorum de eius liberis opinio. Commen. lib. i. cap. xi.

Et alucinationes.

Lib. vij. migrat.

Digitized by Google

firmant, morte Rathboti narratâ. *Poſt eius obitum filij eius* OTHO, ADELBERTVS, & VERNERVS *diuiſerunt ſibi locum iſtum, prout ijs placuit*. Habuit etiam filiam RICHENSAM quæ Vldarico, Vldarici, cognomento Diuitis, F. Comiti Lentzburgienſi nupſit. Adoleſcentes autem, & teneræ admodum ætatis fuiſſe ijſdem chartis proditum. Othonem annorum quindecim, Adelbertum tredecim, Vernerum decem, Richenſam biennem. Omnibus tutorem Landolum patruum relictum, vti patrimonij Verneri epiſcopi adminiſtrum, & procuratorem. Ijſdem diebus

Cunradus Romæ coronatur.

vij. ſcilicet Kal. Aprilis, feſto die paſcatis, Cunradus II. à Ioanne XX. Imperatorium titulum, eo nomine primus accepit, latera ſtipantibus Contone Angliæ, [d] & Rudolfo Burgundiæ regibus. Mox, rebus Italiæ conſtitutis, in Heluetiam, & Tigurum venit. Embricij Heremitarum abbatis priuilegia confirmauit, XIV. Kal. Septembris Ind. X. regni III. Imp. I. Chronicon Ebersheimenſe ſæpius memoratum ad eamdem quoq; vrbem eius monaſterij abbatem veniſſe tradidit, nouis de Vernero epiſcopo ad Cunradum querellis, ſed inter alia ſpretam Imperatoris reuerentiam, contemta mandata, ſuperbiam, inſolentiam, pro maximis ſceleribus ingeminâſſe. Motum Imperatorem. Sed cùm Epiſcopi contra opulentiam, Comitumq; Vindoniſſenſium factionem ſecum putaret, animo anxium, & per incerta tractum. Nam neq; principem virum, magnâ dignitate, maximis opibus, ſine turbâ publicè puniri, & ob vnius querimoniam, forte an parum certam, tot offenſiones incidere graue pariter, & periculoſum arbitrabatur. Tota enim ferme Allemanniæ, Elſatiæ, & Heluetiæ, Briſiacæq; nobilitas ſanguine, & adfinitate, poſtremo & beneficijs, & amicitiâ, aut fœdere Vindoniſſenſibus adnexa. Comites inprimis Lentzburgienſes Egesheimenſes, Rhinfelden-

d Gotfridus Viterbienſis parte xvij.

Tigurum venit.

Nouas de Vernero Epiſcopo querellas accipit.

Quas anxie ſecum perpendit.

Vindoniſſenſiũ Comitum adfinitates & coniunctiones.

feldenſes, Rupenſes Burgundi, Ferretæ. Kiburgi, Nellenburgi, alij. Hac perplexitudine, de principum quorumdam conſilio per ſpeciem legationis Conſtantinopolin Vernerum mittere decreuiſſe, occultis ad Orientis Imperatorem nuncijs, rebellem, & regiæ Maieſtatis contemtorem perpetuis vinculis attineret, aut inſulâ includeret. In Inſulâ paullo poſt tædio, & mœrore exſulem diſtabuiſſe. Hæc in chronico Ebersheimenſi, vt dixi, obſeruata, maliuolentiane, & falſo; an ex veritate, & meritis, apud auctorem fides ſit. Acta ſane Murenſia, & Hermannus Contractus qui tum viuebat, neq; quæ gerebantur ignorare poterat Conſtantinopolin miſſu Imperatoris Vernerum profectum, ibiq; natalitijs diebus eodem hoc anno, aut ſequenti, vitâ functum, ſed abſq; vi tradiderunt. *Confirmatis his pactis*, inquit Actorum ſcriptor, *Vernerus Epiſcopus iuſſione Cunradi Imperatoris ad Conſtantinopolitanam vrbem abijt, ibidemq; defunctus eſt, anno domini noſtri milleſimo, vigeſimo ſeptimo, dominicâ Incarnationis, indictione decimâ.* Contractus ad eumdem annum. *Vuerinharius Argentinæ præſul Conſtantinopolin ab Imperatore legatus dirigitur, ibiq; in ſequenti anno defunctus Vuilhelmum ſucceſſorem accepit.* Vtcumq; ea ſint, in legationem abiturus Vernerus teſtamentum condidit, HABSBVRGIENSES COMITES, qui ætate præcederent, HABSBVRGVMq; poſſiderent, Murenſis Monaſterij aduocatos, & protectores inſtituit, illudq; in eâdem, quâ ipſum iure, & libertate relinquebat, tuerentur, & defenderent iniunxit, multa ad monaſterium priuilegia addidit. Acta hæc Argentinæ Nonis Septembris. Quibus de omnibus iſtuc ſumſi ex ipſo autographo exemplum. NE QVA *ingeniorum peruicaciâ, quæ ordinauimus, peruertantur, vel tranſeuntibus ætatibus obliuioni tradantur, præſenti teſtamento tam præſentium, quam ſuccedentium generationum memoriæ*

Conſtantinopolin Vernerus legatus mittitur.

Vbi diem ſuũ obit.

Antequam abiret teſtamentum condidit Habsburgi Comites à ſe conditi Murenſis monaſt aduocatos inſtituit. Multa monaſterio priuilegia dedit.

Teſtamẽti apographum ex ipſo autographo ſumtũ conſenſu, & beniuolentia Reuerendiſſ. D Ioannis Iodoci Murenſis abbatis digniſſ.

moriæ commendamus, qualiter ego VERNARIVS *Straſburgenſis Epiſcopus, & caſtri, quod dicitur* HABESBVRG, *fundator, monaſterium in patrimonio meo, in loco, qui* MVRE *dicitur, in pago Argoia, in Comitatu Rore, in honore ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, & ſanctæ* DEI *genitricis* MARIÆ, *omniumq; ſanctorum conſtruxi, quod titulo beati Martini epiſcopi in perpetuum dicaui, cui prædia, quæ hereditario iure mihi contigerant, per manum germani fratris mei* LANCELINI, *qui, vtpote militiæ cingulo præditus, defenſor patrimonij mei extiterat, cum legitimâ poſſeſſione villarum, familiarum, agrorum, ſiluarum, pratorum, montium, omniumq; appendicium contradidi. Statuimus etiam vt fratres inibi ſub monachicâ vitâ, ſecundum regulam beati Benedicti, degentes, abbatem ſibi liberâ electione, ſiue de ſuâ, ſiue de aliâ congregatione præſtituant. Quod ſi eligendo quandoq;, quod* DEVS *abnuat, fratres diſcordes fuerint, pars ſanioris conſilij quem elegerit, vnanimiter omnes obtineant, qui nõ ſuperfluitate, vel morum improbitate, ſeu tyrannicâ dominatione, diſſipare, ſed prauidâ ordinatione, & induſtri ſagacitate res monaſterij, vt fidelis diſpenſator, ſtudeat diſponere. Nec cuiquam in beneficium, ſed pro legitimo reditu præſtare præſumat. Ipſe autem abbas, communicato fratrum conſilio, aduocatum de meâ poſteritate, quæ præfato Caſtro* HABESBVRG *dominetur, qui maior natu fuerit, tali conditione eligat, vt ſi quas oppreſſiones intolerabiles monaſterio intulerit, & inde ſecundò, & tertiò commonitus incorrigibilis extiterit, eo abiecto, alius de eâdem progenie, qui in eodem ſit Caſtro* HABESBVRG, *ſine contradictione, ſubrogetur, hoc adiecto, vt ſi maſculinus ſexus in noſtrâ generatione defecerit, mulier eiuſdem generis, quæ eidem Caſtro* HABESBVRG *hereditario iure præſideat, aduocatiam à manu abbatis ſuſcipiat, quã aduocatiam, nec ab rege, nec ab aliâ pſonâ, niſi à ſolo abbate, cuiquã ſuſcipere liceat. Et ſi quis aliter ad eam acceſſerit, ipsâ, quã illicitè vſurpauerat, omnimodis priuetur.*

uetur. Porro nec ipſe abbas eamdem aduocatiam, vt beneficium, ſed vt quamdam commendationem, & monaſterij tuitionem cuiquam committat. Sed nec ipſe, qui præſtitutus fuerit aduocatus, quidquam de rebus monaſterij, ſiue in fundis, ſiue in mancipijs, ſiue de ipsâ aduocatiâ, cuiquam præſtare audeat. Ad ampliorem etiam eiuſdem monaſterij honorem, & vtilitatem, perpetuâ lege ſancimus, vt ſi quis de noſtris miniſterialibus, cuiuſq; ſexus, quidquam de rebus ſuis, ſiue in agris, ſiue in mancipijs, ſanus, aut in ægritudine poſitus, illuc dare voluerit, ſine manu, ſiue reſpectu domini ſui, ſine cuiuſlibet perſonæ reclamatione, liberâ hoc faciat facultate, & quod tradiderit poſtmodum, nec dominus, nec coniunx, aut filius, aut filia, aut quiſquam aliquo modo abalienare præſumat. Minor autem familia eiuſdem monaſterij, & familia dominorum, qui Caſtro HABESBVRG præſident, eodem iure, ac lege, & ſua teneant, & penſum ſeruitutis reddant. Si quis demum huic noſtræ conſcriptioni aliquâ temeritate contra ire niſus fuerit, eum vinculo anathematis innodatum vſq; ad condignam ſatisfactionem pontificali auctoritate damnamus, ſigilli [e] quoq; noſtri impreſſione hanc chartam, vt quod continet ratum permaneat, ſignamus. ANNO AB INCARNATIONE DOMINI MILLESIMO VIGESIMO SEPTIMO INDICTIONE DECIMA REGNANTE CVNRADO IMPERATORE AVGVSTO SCRIPTA SVNT HÆC. Atq; hic, vt ſupra diximus, HABESBVRGI auctor, hæc origo vera, certaq́;, & deinceps qui VINDONISSENSES ſeſe primò Comites, aut ALTENBVRGIENSES nominauerant, poſtremo omnes ſe HABSBVRGIENSES dixere, HABSBVRGIENSIVMq́; inde, & AVSTRIACORVM, toto terrarum orbe, fama, & gloria. Vanitas hinc quoq; Vionis [f] clara, & manifeſta qui ſub Friderico Ahenobarbo Imp. à Perleonibus montis Auenti-

e Sigillum è cerâ, ſed ætate in fruſta pluria & particellas.

Habsburgi vera hæc origo.

f Paragrapho. v.

ni Comitibus Habsburgum, quaſi Auentini burgum con-ditum, vti ſæpe memorauimus, g & ab illis exſulibus, & rebellibus Habsburgienſes Comites, & Auſtriæ Duces, & Archiduces porro deriuat. Poſtquam legationem Vernerus epiſcopus inijt, Landolus, quem, vti prius patrem, Bezelinum alij, & Lancelinum, Vecelinumq́; nonnulli vocant, non ſolum Rathboti fratris filiorum tutelam ſuſcepit, ſed etiam, donec nepotes adoleſcerent, Murenſis monaſterij aduocationem, quamuis de eo nulla in Actis mentio, ſiue quia illi non adeo multorum deinceps annorum vita fuit, aut potius quatenus ad aliud monaſterium, vt videbimus, opes ſuas, & curas conuertit, & in Elſatiâ ferè, & Briſiacâ agitauit. Imperator Tiguro Vlmam profectus, conuentum ibi principum habuit, Heinricumq́; filium ex Giſelâ, conſenſu procerum Cæſarem deſignauit, qui ab eo ordinationis annos ſuis diplomatis numerare cœpit. Inde exercitum in Erneſtum Allemanniæ ducem priuignum, & Velſonem ſecundo rebelles, Vernerumq́; Kiburgienſem comitem, quem ſibi adiunxerant, vere ineunte, miſit: illum ducatu, alterum comitatu exuit, Kiburgum, & in eo Vernerum obſedit, & poſt menſem tertium, dilapſo furtim Comite, expugnauit, & diruit. Poſtremo deditionem omnes fecere, factorumq́; gratiam precibus Giſelæ, quæ pro Erneſto filio præcipue calidiſſimas fuderat, obtinuere. Mox Cunrado per Hungaricũ, & Polonicum bellum implicito, tertiò rebelles caſtrum Valckenſtain ad Harciniam ſiluam Mangoldi Nellenburgienſis Comitis Cunrado fidi, & à ſecretis, obſedere. Mangoldus ſuos liberaturus quas potuit eo copias duxit. Acie xvi. Kal. Septembris h certatum. Interfecti Erneſtus dux, & comes Vernerus, ceteri fuſi. Mangoldo victoria, & ſimul ex vulnere mors relicta. Ducatum Allemanniæ Hermanno IV. alteri pri-uigno

g Lib. 3. cap. i. & ij.

Lancelinus aduocatus Monaſt. Murenſis, vti nepotũ ex Rathboto fratre tutor, & curator.

Conuentus vlmæ. A. D. N. CIↃ XXVIII. Heinricus III. Cæſ.

Rebelles Cunradus perſequitur.

Kiburgum expugnatum.

Deditioně faciũt.

Iterum rebellant, & cæduntur. h A. D. N. CIↃ. XXX.

Digitized by Google

uigno conceſſit Imperator. Per eadem tempora Rudolfus Burgundiæ rex tædio, morboq́;, & ætate, cum nullis legitimis ſuſceptis liberis, ſibi extrema adeſſe ſentiret, coronam, ſceptrumq́;, & cetera regni, ad Cunradum Imp. miſit, [i] Heinricumq́; Cæſarem, ex nepti Giſelâ pronepotem, (Giſelæ enim Gerburgâ ſorore Rudolfi, & Hermanno Allemanniæ duce generatæ mariti tres. primus fuit Bruno Marchio Saxoniæ, ex familiâ Aucupis, alter Erneſtus I. dux Allemanniæ, tertius Cunradus II. Imp. Heinrici III. pater) heredem ex aſſe inſtituit: Othonem Campaniæ Comitem ex ſorore Berchtâ nepotem excluſit, alijs de cauſſis, maximè quod regnum, inſitâ mortalibus cupidine, ante habere, quam exſpectare maluiſſet, popularium factiones, & in regem rebelliones conciuiſſet, fouiſſetq́;. Sed Comes Otho, tamquam ex inofficioſo, arma ſumſit, breuiq́; Burgundiæ Minoris, & totius regni, nemine reſiſtente, potitus eſt. Interea incepit Landolus, adſumto in ſocietatem Cadeloco iuniore Aragouiæ Comite, Cadeloci ſenioris, de quo diximus, [k] filio, Rhinfeldâ opido haut procul, in valle reductâ, Feraq́; fluuio irriguâ, condere nobilium feminarum monaſterium quod MONTEMCHRISTI nuncupauit, vulgo Oelsberg nominant, quatenus vallis illa refert illius ſimilitudinem, quam apud Hieroſolyma Hortus oliuarum, ſecretæq́; Chriſti liberatoris noſtri, & frequentes in eo preces reddunt celebrem. Illud Landolus pater, prælio Hungarico haut procul inde pugnato, vouerat, ſpoliaq́;, & manubias eius gentis, & victoriæ eo deſtinarat. Ceterum Cunradus Imp. audito quæ in Burgundiâ aderant, ineunte hieme ex Poloniâ, exercitum victorem contra Othonem in Heluetiam, & Burgundiam Minorem duxit, Muratum, & Neoburgum opida per frigoris aſperitatem fruſtra tentauit. [l] Hibernis igitur Conſtantiæ exa-

Hermannus IV. dux Allem.

Rudolfus rex Burgundiæ inſtituto herede Heinrico Cæſ. eſſe deſinit, & familiam ſuam finit

i A. D. N. CIↃ XXXII.

Giſela mariti.

Otho Campaniæ Comes pene Burgũdiâ potitur.

k Cap. i. huius lib.

Landolus Oelsbergæ prope Rhinfeldã conditor, cum Cadeloco.

Cunradus contra Othonem in Burgundiam venit aliquot caſtella fruſtra tentauit

l A. D. N. CIↃ. XXXIII.

Digitized by Google

ctis, anni inſequentis vere primo, Tigurum profectus ibi Ageltrudem viduam reginam, Humbertum primũ Maurienna Comitem, alioſq; Burgundiæ proceres obuiam habuit, quibus benigne acceptis, dimiſſiſq;, Baſileam tendit, in eâ Giſelam coniugem per bellum ſepoſuit.

Othonem poſtremo pellit. & Burgundiam recipit.

Hinc in Burgundiam mouit, Othonem toto regno expulit, & quidquid eius eſt, Ararim vſq; recuperauit:

A. D. N. CIↃ. XXXIV. Geneua coronatur.

Geneuæ ab Heriberto Mediolanenſium archiepiſcopo, qui eo forte ab Imperatore petitum auxilia venerat, inſignia, & coronam regni Burgundici ſollenniter accepit, nomine Heinrici Cæſ. F. Burgundiæ proceres, exemplo Burcardi Lugdunenſis antiſtitis, Imperatoris dicto audientes fuere, præſidia ſuis munitionibus acceperunt, obſides dedere.

Burgundia iuris Germanici facta.

Ita Burgundia poſt centeſimum quadrageſimum quartum, quam regnum eſſe cæperat, annum, Rudolfi primi auſpicijs, iuris, & ditionis Germanicæ facta.

Eius in multos principatus ſiue Comitatus diuiſio.

Quamuis ſub ipſis iam regibus in multos principatus diſſecta eſſet, qui ſuis Comitibus propritim parebant, regebanturq;, licet eos ſe è regum manu, ſicuti poſtea Cæſarum, & Imperatorum, & eorum beneficio, tenere, fruiq; faterentur.

Hermãnus Contr. Marianus Scotus. Lambertus Schafnab. Otho Friſing. Sigebertus. Recentiores Paradinus, Pingonius, Golluſius, Chronici Burgundici ſcriptor.

Maior enim Alpinarum gentium pars ſub Humberti I. Maurienna Comitis regimine conſtituta erat; Guidonem vero, cui Craſſi Cognomentum, comitatum Viennenſem, nunc Delphinatus eſt, obtinuiſſe, Arelatenſem quoq; prouinciam ſuos Comites habuiſſe, omnes conſentiunt. Sunt pariter qui Veſontionenſem Burgundiam, quæ Comitatus Burgundiæ titulum hactenus retinuit, in ditionem Othonis Comitis, de quo ſupra egimus, & eius poſterûm perueniſſe adfirment, cum alij Burgundionum Comitum genus ad Viennenſes Comites referant.

Comites minoris Burgundiæ.

Iam in Burgundiâ minore præcipuæ nobilitatis, & famæ Comites de Glanâ, qui ſe quoq; ex comitibus Viennenſibus ortos adſerebant,

Digitized by Google

bant, præter Grueriēnſes, Neoburgienſes, Lentzburgienſes, Froburgienſes, Vindoniſſenſes, ſiue Altenburgienſes. Atq; illi omnes in obſequio, & fide Germaniæ Cæſarum, & regum ad Heinricum vſq; IV. permanſiſſe videntur, quibus poſtea temporibus, occaſione bellorum ciuilium, & diſcidiorum, poteſtatem Germanorum principum pleriq; excuſſerunt, ditionesq́;, quas quiſq; tenebat, ſuo, non alieno iure, & auſpicijs regere cæperunt. Pauci, maximè tractus Vindoniſſenſis, obſeruatâ in ſpeciem Romani Imperij, & nominis maieſtate Cæſaribus obſequentes remanſere. Cunradus Geneuâ in Italiam profectus, [m] agreſtes, qui in nobilitatem arma cæperant, multis leuibus prœlijs fregit, & ad officium redegit, mox in Germaniam contra Sclauos Leutizos, qui Saxoniam vaſtabant, redijt, Leutizorum fines vaſtauit, multos cecidit. Hinc in Italiam exercitum reduxit. Sub id tempus defunctus eſt Landolus. A. D. N. CIↃ. XXXVI. Bellis, quæ Heinricus I. Imp. & Cunradus multa geſſerunt, pleriſq; interfuit, ab ijs ob præclara facinora militiæ cingulum, ſiue equeſtrem, vt nunc vocant, dignitatem, in honorem, & famam accepit. Reliquit ex AGNETE Burgundâ, Rupenſium, vt quidam volunt, Comitum ſtirpe oriundâ, BERCHTOLDVM F. Is eſt Berchtoldus, cui BARBATO faciunt cognomentum, qui primus arcem ZERINGAM, prope vicum cognominem, condidit in Briſiacâ, quæ illi, & poſteris in partem, ex Altenburgienſium Comitum hereditate auitâ, ceſſit, & inde Zeringenſem Comitem, haut ſecus, atq; Habsburgienſes ab Habsburgo nouo caſtro patrueles Rhatboto nati, ſe primum nominauit, Zeringenſiumq́; famam, & potentiam princeps fundauit, & euexit. De quibus quæcumq; ſe per curam, & diligentem veterum ſcriptorum inueſtigationē obtulerunt, haut inferiori ſtudio referam, non diuiſim quidem,

Cunradus rebelles in Italia cōpeſcit.

[m] *A. D. N. CIↃ XXXVI.*

Itemq́; Slauos reprimit.

Lancelini obitus.

Equeſtri dignitate decoratus.

Vxor, filius.

Berchtoldus. I. Barbatus.

Zeringæ arcis conditor, a quo Zeringēſes duces et Burgundiæ rectores.

quidem, & capitatim, tamen cum fide, & ſingillatim, ſuper ſanguinis cum Habsburgienſibus communionem, geſta coniuncta, & mixtam gloriam, priuatim quoq; illis deuinctus, & deuotus, quatinus vtrumq; Heluetiorum FRIBVRGVM, & Briſiacorum vrbes clariſſimas condidere, quarum altera mea, altera meæ patria eſt, & ſolum natale. Scio pleroſq; Bezelini ſenioris filium Berchtoldum credidiſſe, tradidiſſeq;, iunioris fratrem, ſed chronologia, & ratio temporis haut perinde conuenit. Gebuillerus [n] Gebezone natum ſcribit, Becelini fratre, cui contradicunt monumenta S. Petri ad Harciniam, qui clare Berchtoldi Barbati patrem Becelinum nominant. Latzij [o] nugas, & ſequacium memorare, an explodere nihil attinet. Agnes mater monaſterio à marito fundato ſe abdidit, ibiq; profeſſa ſanctimonialem magno virginum nobilium cœtui præfuit. Othonis, & Adelberti Rathboti filiorum, quorum curam, & tutelam Landolus geſſit, mortis, & vitæ annus incertus. De vtroq; ita Actorum Murenſium conditor, cum diuiſionem inter fratres narrâſſet. *Poſt multos autem dies occiſus eſt Otho comes ab Erinliero quodam milite. Sepultus eſt in Argentinâ ciuitate, ante altare S. Laurentij, pro cuius animâ dedit huc Comes Vernarius, frater eius, prædium ſuum quod habuit ad Chuſnach; Frater quoq; Adelbertus cum moriturus eſſet ad Hœninge, remiſit tertiam partem ſuam, quam poſſederat in loco iſto, & ſic defunctus eſt. Cuius corpus huc delatum, poſitum eſt in ſepulcrum patris ſui Radebotonis, cum cuius corpore venit etiam candelabrum iſtud magnum huc, & ſericum pallium, quod in feſtiuis diebus iacet ſuper altare Sanctæ MARIÆ.* Habuerint vxores id quoq; parum manifeſtum. Liberos non reliquiſſe, & in omnem hereditatem VERNERVM fratrum minimum conceſſiſſe, & ſtirpem continuâſſe, illud vero indubitatum. De eo igitur

[n] *Lib. v. Epitome.*

[o] *Lib. i. cap. ix. Comm.*

De Othone, & Adelberto Rathboti filijs, eorum morte, & ſepulturâ.

Digitized by Google

igitur pergamus, & cum eo Comites Habsburgienſes, cum ſuperis proſperantibus aggrediamur.

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACVM,

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

Liber Quinctus.

VERNERVS. I. COMES HABSBVRGI, & Elſatiæ Landtgrauius. Cognomento Pius. Caput. I.

ETSI vero Othonem, & Adelbertum, forte an etiam Landolum iunionem HABSBVRGIENSES ſeſe COMITES indigitâſſe probabile, primus tamen eſt VERNERVS quem publicis monumentis hoc inſignem titulo reperio. Is mihi igitur libri huius primordium illuſtrabit; neq; eâ tantum ratione, ſed quia is maxime fuit qui ex ſe ſtemma, & HABSBVRGIENSIVM claritudinem, & memoriam prouexit, & celebrauit, & vero etiam adeo ſupremi Numinis amore, & rerum diuinarum ſtudio conflagrauit, vt Pij cognomentum apud poſteros meruerit, retinueritq́;, ornamentum, & decus rarius, & memorabilius, quanto fuerunt ea, quibus interfuit, tempora fœdiora,

Digitized by Google

Othonis Campaniæ Comitis fœda facinora.

fædiora, magis impia, ſæua, & ſacrilega. Sed iam narrationis filum inſequemur. Otho Campaniæ Comes, non contentus Burgundiam, per Cunradi Imp. in Italiâ impedimenta, vaſtâſſe, ferroq;, & igni omnia miſcuiſſe, nullâ in re furori, & vecordiæ modum conſtituiſſe, Lotharingiam quoq; Imperialem, Imperatoris in deſpectum, popolabundus peruaſit, Tullum expugnauit, & diruit, Barum quoq; obſedit, & captum incendit.

Et cædes.

Ibi eum ſecordius caſtra habentem, Gotelo, quem poſt Friderici mortem vtriq; Lotharingiæ præeſſe iuſſerat Cunradus, ſubitâ manu circumuenit, acieq; victum in fuga confodit, pluriumq; annorum bello finem impoſuit.

[a] A. D. N. CIↃ. XXX. VII. Cunradi in Italia geſta.

[a] At vero Cunradus Mediolanenſes Heriberti archiepiſcopi factione rebellantes, multis cladibus adfecit, vrbem obſedit, villas, & ſuburbana omnia populatus, ad deditionem coegit, victis leges dedit, alios in exilium relegauit, præcipuè epiſcopos Placentiæ, Cremonæ, & Vercellarum. Peragrato hinc Latio, per Adriatici litoris oram dum in Germaniam reditum parat, peſtilentia in exercitu, per æſtum, & aeris grauitatem, orta, magnam mortalium ſtragem fecit. Hermannus dux ex eo contagio Tridentum cum adpuliſſet, vitam quoq; exuit, ibiq;, multis Allemannorum lacrimis, ſepultus eſt.

Heinricus III. Caſ. dux Allemanniæ.
[b] A. D. N. CIↃ. XXXVIII.
Patris quoq; mortui ſucceſſor.
[c] A. D. N. CIↃ. XXXIX.

Cunradus Heinrico filio ducatum Allemanniæ commiſit, [b] quo pacto Heluetia omnis, cis, & vltra Vrſam vnius dominationi conceſſit, vti & Elſatia. Anno ſequenti, cum Traiecti III. Nonas Iunij pater obijſſet, obtinuit imperium. [c] Heinricus primo Conſtantiæ conuentum habuit, vbi, *cunctis qui contra ſe deliquerant, primum ipſe debitum omne dimiſit; deinde precibus, & adhortationibus omnes præſẽtes Sueuigenas, poſtea in alijs regni ſui prouincijs idem actum iri ſatagens, dimiſſis debitis, & inimicitijs ſibi inuicem reconciliauit, pacemq; multis ſeculis inauditam efficiens per edi-*

Eiuſdem factum memorabile, & imitabile.

ctum

ctum confirmauit, inquit Hermannus Contractus, [d] qui haur procul aberat. Laudabili exemplo,& imitabili. Inde Rheno ſecundo Ingelheim conceſſit,& Agneten Gulielmi Pictauiæ comitis F. Maguntiaci prius coronatam, ſibi matrimonio copulauit, nuptiasq; regia pompâ celebrauit, in quibus tamen, *in vano hiſtrionum fauore nihili pendendo, vtile cunctis exemplum, vacuos eos, & mærentes dimittendo, propoſuit*, notat idem Contractus. Interea contra eum arma ſumſerunt Burgundiæ duo principes viri Reginaldus reginæ Agnetis auunculus,& Geroldus. Reginaldus Montem bellicardi obſidione cinxit, & oppugnauit, [e] expugnâſſetq;, niſi Ludouicus Comes, eruptione factâ, repuliſſet, profligâſſetq;. Heinricus contra rebelles, antequam copijs adoleſcerent, eundum ratus, exercitum Salodurum vſq; tulit, omnem belli molem in Burgundiæ Comitatû,quem occupauerat Reginaldus, ſiue ab Othone patre acceperat, tracturus. Sed Agnes auunculum adduxit, pacem, quam bellum mallet. Deditionem igitur fecit Saloduri X. Kal. Februarij. [f] Conceſſus illi Burgundiæ Comitatus. Antuates, Auenticenſes, Vindoniſſenſes, reliqua ferme eius regni ad flumen Vrſam, in prouinciæ formam redacta; vnde & poſtea *Prouinciam Burgundiam*, non Burgundiæ regnum, ſuis diplomatis, & priuilegijs reges,& Imperatores dixere. Et huius etiam magnam partem Reginaldi poſteri obtinuerunt. In Saxoniam hinc Heinricus profectus, Goſlare Othoni palatino à Vietelsbach ducatum Almanniæ conceſſit, res Germaniæ amplius conſtituit. Quibus paratis, exercitum in Italiam duxit, [g] tres de pontificiâ dignitate contendentes Bonifacium, Gregorium, Silueſtrum repulit; Suidigerum epiſcopum Bambergenſem, Sutrinâ Synodo, pontificem, & Clementem II. nominauit. Abeo, anno ſequenti ingrediente, [h] Imperia-

d A. D. N. CIↃ.XLIII.

Nuptiæ cū Agnete.

Rebellio Burgundionum.

e A. D. N. CIↃ XLIV.

Burgundi Cæſari in poteſtatem veniunt.

f A. D. N. CIↃ.XLV.

Qui Minorem Burgundiam in prouinciæ formam redegit, Comitatum Reginaldo cōmittit.

Otho. II. dux Allem.

Cæſar in Italiam duxit.

g A. D. N. CIↃ.XLVI.

Eius in ea acta. Coronatio.

h A. D. N. CIↃ.XLVII.

lem accepit. Dum hæc, aliaq; fiunt, nupſit Richenſa, Verneri ſoror, Vldarico comiti Lentzburgienſi, Arnoldi filio, Vldarici Diuitis nepoti, Arnoldi, & Hemmæ Adelrici Curiæ Comitis vltimi filiæ, pronepoti, quæ ei peperit Vldaricum, Arnoldum, ſiue Arnolfum, & Rudolfum.

Richenſa Habsburgienſis Vlrico Comiti Lenſzburgienſi collocata.

Plerumq; Aquis morabatur Vldaricus, quem etiam Comitatum Lentzburgienſes poſſidebant, cum fratres, maior natu Arnolfus, & minor Rudolfus Lentzburgi agitarent. Inde eorum error, qui Richenſam duobus diuerſis collocatam ferunt; alteri Lentzburgienſi; alteri Aquenſi, ſiue Badenſi.

Error quorumdam in Richenſæ matrimonio.

Heinricus ex Italiâ in Germaniam redux Vlmæ frequentem principum conuentum habuit, mortuoq; Othoni à Vitelsbach in Allemanniæ ducatu [i] Othonem marchionem Schuinfurtenſem Francum ſubſtituit.

Otho III. dux Allemann.
i A. D. N. CIↃ.XLVIII.

Nondum omnino Burgundia quieuerat, ſuperabant, quæ eam, tamquam, incerto gubernatore, nauim, agitarent. Igitur Heinricus Imp. cetera controuerſa expediturus Salodurum venit, ibiq; Rogationum dies peregit, cum Burgundis colloquium habuit. Ex ijs offenſi quidam cum abſceſſiſſent, poſtea gratiam repetierunt.

Heinricus cũ Burgũdis Saloduri colloquitur.

Saloduro Tigurum redijt, pentecoſten illic celebrauit. Poſt Tribuariæ comitia principum fecit, & ab ijs, vt Heinricum F. triennem Cæſarem recipiant, Eidibus Decembris impetrauit. [k] Eumdem anno proximo Aquiſgrani coronandum curauit.

Eodem an.

Filium Heinricum Cæſarem deſignat.

k A. D. N. CIↃ.LIII.

Inde in Italiam redijt, breuiq; reueniens, natalitia inſequentis anni Tiguri egit, ibidemq; Heinrico F. etſi quintum annum non excederet, Othonis Montisferrati filiam Berchtam, etiam infantem, matrimonio coniunxit, poſtremo eſſe deſijt, III. Nonas octobris. [l] Succeſſit, vt petierat, Heinricus IV. F. ſub tutelâ matris Agnetis. Imperatoris mortem breui ſecutus Otho III. dux Allemāniæ marchio Schuinfurti. Heinricus Cæſar de conſilio matris, ducatum dedit Rudolfo

Heinrici III. obitus, & Heinrici IV. ſucceſſio.
l A. D. N. CIↃ.LVI.

Rudolfus I. dux Allemanniæ.

dolfo comiti Rhinfeldenſi, Cunonis Verneri auunculi filio; fruſtra repugnante, & contra tendente Berchtoldo Briſiacæ Comite, patruele, cui virtutis præmium, & ſpectatæ indolis eumdem ducatum Heinricus III· pater, viuo adhuc othone Schuinfurtenſi, promiſerat, dato in pignus, & memoriam anulo. Rudolfus non ſolum Ducatum obtinuit, ſed etiam Mathildem Cæſaris ſororem, abbate Vrsbergenſi auctore, & teſte. Scribit enim. [m] *Otho de Schuinfurt dux Sueuorum IV. Kal. Octobris obijt, & Rudolfus de Rhinfelden, qui poſtea rex eſſe contendit, ducatum accepit. Quod magnum fuit ſeminarium earum quibus regnum perturbabatur commotionum. Eundem enim ducatum, viuente adhuc Othone duce, Heinricus Imp. Berchtoldo comiti, qui poſt Carinthiorum accepit ducatum, promiſerat, eiq; anulum ſuum, veluti eius rei commonitorium dederat. Quem ille diligenter ſeruans poſt amborum obitum Imperatoris ſcilicet, & ducis, Impetratrici Agneti, Imperium tunc diſponenti, obtulit, eamq; anulum agnoſcentem pro ducatu ſibi promiſſo commonuit. Sed quia prædictus Rudolfus, mox poſt Imperatoris obitum, filiam eius Rumoldo Conſtantienſi epiſcopo commendatam, (veterum conſilio raptam, an dolo, neſcitur) vxorem duxit, receptum iam in gratiam eumdem ducatum illi cum filiâ Imperatrix dedit. Quod animum Berchtoldi non parum commouit, pro quâ commotione lenienda ducatus Carinthiorum ei promittitur, quem poſtea filio ſuo æquiuoco, ipſius rogatu, Heinricus rex commiſit.* Surgebat interea omni apparatu, & frequentiâ Monaſterium Muri. Etenim non monachos ſolum ad pietatem præpoſitus Reginboldus, ſed *pueros nobiles quamplurimos*, vt teſtantur Acta, ibidem liberalibus diſciplinis imbuebat, magnusq; ad eum concurſus erat. Iamq; eo eduxerat templum, vt dedicari poſſet, niſi mors anteueniſſet. Vernerus, Reginboldi obitu cognito, ſumtis ſecum aliquot ex monachis, ad Heremum

Contra Berchtoldum Comitem Zeringiæ.

m In ſuo chr.

Murenſis Monaſterij incrementa, & diſciplina.

Vernerus ſecundū Præpoſitum Muri ab Hermanno Heremitarum abbate obtinet.

Deiparæ matris ſe contulit, ſucceſſoremq́; ab abbate Hermãno,(erat is ex Comitibus Vitoduranis) Burcardũ tenuit, cuius multa finiendis, quæ cæperat Reginboldus, cura, & diligentia fuit. Acta poſt Reginboldi mortem. *Poſt cuius depoſitionem Vernarius Comes filius Radebotonis, qui ſibi penitus* poſt fratrum obitum, *locum vindicauerat, pergens cum fratribus quibuſdam, qui hîc congregati fuerant, ad Cellam Heremitarum, obtinuit ab abbate Hermanno, vt huc alius præpoſitus, pro eo, mitteretur, id eſt Burcardus valde reuerendus vir, qui erat natus de Goſſouuâ, ad Heremitas ante à principio nutritus. Qui cum huc veniſſet, quidquid adhuc in monaſterio imperfectum inuenit,* &c. *perfecit, & compleuit, nec non libros, qui nondum perſcriptierant, perfecit.* &c. *quantum boni facere potuit in omnibus inſtituit,* &c. *Emit etiam prædia quædam, id eſt, Alicken, & ad Brunuill, ad Vthinhauſen, ad Rheinfridſuil.* Eâdem tempeſtate obijt Cunradus dux Carinthiæ. Heinricus Cæſar in lenimentum, & amicitiam ducatum Berchtoldo comiti Zeringiæ, paullo ante à ſe conditæ, conſignauit.
Zeringiæ Comites inter Duces. A. D. N. CIↃ. LXI. Ex eo Zeringenſes inter duces. Poſtremo, paratis omnibus, quæ neceſſitas poſcere videbatur, Vernerus Rumoldum Conſtantienſem Epiſcopum accerſiuit, qui Muri templum dedicaret, perfecitq́; V. Eidus Octobris. [n] De hac re Acta pluribus. *Vernarius comes, & idem Burcardus præpoſitus congregauerunt frumentum, & vinum, & carnes, & omnia quæ neceſſaria erant, & aduocarunt Epiſcopum, & fecerunt dedicari hanc Eccleſiam, quinto idus Octobris, feriâ ſecundâ, lunâ viceſimâ ſextâ, à Rumoldo Conſtantienſi Epiſcopo, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo, ſexageſimo quarto, indictione ſecundâ, anno decemnouennalis circuli primo biſſextili, Vernario comite, Burcardo præpoſito, cum alijs pluribus nobilibus, & feminis coram adſtantibus, Dedicata eſt autem hæc baſilica in honorem Domini noſtri IESV*

Dedicatio Murenſis Eccleſiæ, & monaſterij.

n *A. D. N. CIↃ. LVIV.*

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTI, deinde in honorem ſanctiſſimi MARTINI Turonorum Epiſcopi. Continentur autem in iſto altari reliquiæ eiuſdem ſancti Martini, Briccij, Silueſtri, Stephani papæ, ſancti Vldarici Epiſcopi, Galli, Magni, Othmari. In ipsâ autem dedicationis die, manifeſtata, & collocata, & data ſunt, & confirmata à Varnario comite ſuper altare S. Martini omnia prædia, quæ dominus Reginboldus huc emit, & adquiſiuit, ſiue quæ ex aliorum donationibus collata ſunt, cum dote, & decimâ prioris Eccleſiæ, quam ipſe pater reuerendus Reginboldus cum monachis ante deſtruxit, ac Epiſcopi legitimo banno confirmata, cum miniſtris, ſeruis, ancillis, ac famulis, & omnia ad hæc pertinentibus. Hæc quidem Acta. Dedicatum autem hoc templum, & monaſterium præcipue titulo, & memoriæ S. Martini, quod is communis omnium Vindoniſſenſium patronus, & maximè ſemper ab Comitibus Vindoniſſenſibus cultus, & obſeruatus, vtpote qui Vindoniſſæ, tamquam capitali, dum in Italiam itat, aut redit, de fide, & Chriſtianâ pietate verba feciſſe tradatur, veluti & apud Vranios, & Suitios eidem Epiſcopatui Vindoniſſenſi, vt nunc Conſtantienſi, ſubiectos, qui eumdem Diuum pro tutelari hactenus etiam coluere. Ceterum timens Vernerus, ne, ſecundo iam inde præpoſito petito, ſibi aliquid Heremitæ dominatus Muri vindicarent, &, ex eâ conſuetudine, ius quærerent, auctor monachis fuit, abbatem inter ſe creandi. Lectus Burcardus præpoſitus, annos ſeptem abbatis dignitate præfuit. Acta. *Explicatum eſt abbatem Hermannum hoc anno,* milleſimo ſexageſimo ſexto, ° ſexto idus Aprilis, *mortuum. Timens ergo Vernarius comes quod fratres de Heremitis vellent poſtea aliquid, vel poteſtatem habere in iſtum locum, conſilio habito, electus eſt à fratribus ij ſe Burcardus in abbatem.* ᵖ *Hic fuit primus abbas iſtius loci. Cumq; fuiſſet abbas factus, ſicuti antea conſueuit facere, ita & tunc fecit, locum in omnibus ornando, & confir-*

Quare conſecratio facta ſit titulo S. Martini Epiſcopi.

° Ita annales, & veteres memoria Heremi.

Burcardus ex ſecundo Præpoſito, primus Murenſis abbas, [illegible] ſignis virtute.

ᵖ A. D. N. CIↃ. LXVI.

confirmando, & regularem vitam fratribus inſtituendo, ipſamq; congregationem augendo. Qui cum ſeptem annis, & aliquid pluris huic loco præfuiſſet, idibus Ianuarij feliciter receſſit ex hoc ſeculo, ſepultusq; eſt ante monaſterium iſtud, ſicut ipſe rogauerat, vt in dominicis diebus fratres ſepulcrum eius cum proceſſione circumirent.

Heinrici Caſ vita, regimen, & molimina.

Heinricus Cæſar interea per lubidinem omnia patrare, nullum erga Deum, aduerſus homines iniuriæ, inſolentiæ, auaritiæ genus omittere, pleraq; vi, non iure meditari. Epiſcopatus, abbatias, ſacerdotia, palam nundinari,

A. D. N. CIↃ. LXIX.

opima cœnobiorum prædia ſectatoribus ſuis, hiſtrionibus, & adulatoribus, turpi largitione, tribuere, diuortium etiam cum Berchtâ coniuge cogitare. Ante omnia regni principes parui facere, deprimere, nouos, & viles attollere, nobilium eoſdem matrimonijs miſcere, prorſus nihil relinquere, vnde maliuolentiam, & iram, principumq; rebellionem, & ſubditorum in ſe concitaret.

Burcardi obitus.

q A. D. N. CIↃ. LXXII.

Defuncto abbate primo, q bienniumin de finiundo monaſterio impetrauit ab Vernero fratrum vnus Venelo, antequam ſuccederetur. Acta. *Poſt cuius obitum manſit locus iſte duobus annis ſine abbate, quia Venelo frater noſtræ congregationis petijt hoc à Comite vſq; dum perficeret clauſtrum.*

Vldaricus abbas. II.

Quod poſtquam compleuit elegerunt fratres Vldaricum quemdam Diſertinenſis monaſterij monachum in abbatem. At vero Cæſar deteriora conſilia proſecutus, cum forte Bambergæ natalitios dies celebraret, r Berchtoldo ducatum Carinthiæ ademit, nullâ idoneâ cauſsâ, illumq; Marquardo ſuo propinquo tradidit.

Heinricus Caſ. Berchtoldum Zering. ducat: Carinthia exuit petulanter.

r. A. D. N. CIↃ. LXXIII.

Saxonia rebellio.

In ſuo chr. ad eund. an. Otho Fr ſiſi. l. i. cap. vi. de geſt. Frid.

Tota tum quoq; pene Saxonia contra regis iniurias arma ſumſit, ad millia ſexaginta pugnatorum, vnde in Allemanniam tranſijt. *Berchtoldo de iniuriâ querenti, quam ſanctis obteſtationibus,* inquit Lambertus, doctus monachus, & eorum temporum æqualis, *ſe purgauit, quod ducatum eius nulli alij tradidiſſet, ſed Marquardus, priuatâ præſumtione, ho-*

nores

nores publicos homo ineptiſſimus temerâſſet. Ille licet hæc ficta eſſe ſciret, & regis malitiam, non tam voluntate, quam fortunæ violentiâ correctam eſſe, tamen ſuſcepit ſatisfactionem, promiſitq́; operam ſuam reipublicæ vtilitatibus nuſquam defuturam. Hunc igitur, quia vir erat ſummæ prudentiæ, & popularis eloquentiæ, cum duobus epiſcopis rex legatum miſit ad Saxones. Nihil obtinuere. Vnde ingens exercitus in Saxoniam ductus. Adfuerunt enim ſuper Berchtoldum duces Zuendibaldus Bohemiæ, Velfo Bauariæ, Rudolfus Allemanniæ, Gotfridus Lotharingiæ, is qui poſtea, immortali gloriâ, regnum Hieroſolymorum armis recuperauit, inſtigatore omnium acerrimo Rudolfo Allemanno, non tam regis amore, aut iuſtitiâ cauſſæ, quam quod anno ſuperiori regni affectati inſimulatus ſuſpicionem hanc, nouis erga regem ſtudijs, abſtergere cupidiſſime volebat. Data illi acies prima, antiquo Sueuorum priuilegio, pugnatumq́; horis nouem continuis, & poſtremo victi Saxones. *Nec tamen facile exiſtimari poterat, quot hac, aut illâ acie, cæſa eſſent millia; hoc tamen palam conſtante, plus hic nobilium, plus illic cecidiſſe plebeiæ multitudinis, & propter amiſſionem clariſſimorum virorum maius victores, quam victos tuliſſe diſpendium.* Nouam cum in eoſdem Saxones, menſe Octobri, pararet expeditionem, *Rudolfus dux Sueuorum, Velf dux Boiariorum Berchtoldus dux Carentinorum regi auxilium petenti denegauerunt, pœnitentes, vt aiebant, ſuperiori in expeditione in irritum fuſi tanti ſanguinis, offenſi & regis immiti, & implacabili ingenio, cuius iracundiæ incendium nec lacrimæ Saxonum, nec inundantes campis Thuringiæ riui ſanguinis reſtinguere potuiſſent.* Scripſerant interim Romam Germaniæ Epiſcopi de Cęſaris in conſtituendis Epiſcopis, dandisq́;, & adimendis ſacerdotijs, & officijs Eccleſiaſticis, temero abuſu, ſimoniaq́;, & nundinationibus; Multi quoq; imperij principes querellas ſuas ſingillatim

Berchtoldi egregia integritas.

Et laudatio.

Expeditio in Saxoniam.

Exercitus duces.

Prælio ingenti ſuperantur Saxones.

A. D. N. CIↃ. LXXV.

Idem ſcriptor mehercle bonus: Vrsbergenſis. Nauclerus gen. xxxvi.

Varia apud pontificem de Cæſare querella.

latim addiderant, quibus regis imperium per iniurias, ſæuitatem, diſſolutionem, luxum, & lubidinem intolerabile, & indecorum videbatur. Impulerunt poſtremo Gregorium VII. pontif. cum fruſtra ante meliora ſuaſiſſet, officijq́; , & dignitatis admonuiſſet, ad legatos Goſlariam, vbi tum concilium principum erat, mittendos, qui nunciarent *regi, vt, ſecundâ feriâ, ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſimâ, ad ſynodum Romæ occurreret, criminibus, quæ obijcerentur, cauſſam dicturus, alioquin ſciret ſe, abſq; omni procraſtinatione, eodem die, de corpore ſanctæ Eccleſiæ, apoſtolico anathemate, abſcindendum eſſe*, quam legationem cum ægerrimè Heinricus accepiſſet, legatos male habuiſſet, pontificis in ludibrium, & contemtum Vormatiæ omnium Germaniæ Epiſcoporum, & antiſtitum conuentum indixit A. D. IX. Kal. Februarij, vtq́; Gregorium vitio creatum pronunciarent, vanaq́; eſſe, & irrita quæ decerneret, multis pollicitationibus, ſed antè, propter cælibatus ab eo latas leges, eidem infenſis, pleriſq; perſuaſit. Gregorius contrà in concilio Romæ viij. Kal. Martij Heinricum regio Germaniæ, & Italiæ titulo, iuratoq́; principum, & ſubditorum obſequio priuauit, mox cum factione vniuerſâ piorum cætu, & meritis excluſit. *Ipſo tempore, Rudolfus dux Sueuorum, Velf dux Boiariorum, Berchtoldus dux Carentinorum, Adelbero epiſcopus Virtzburgenſis, Hermannus epiſcopus Metenſis, & alij pleriq; principes, conuenientes in vnum, conſilia conferebant, in tantis calamitatibus, quibus reſpublica vexabatur, quid facto opus eſſet. Regem poſt bellum Saxonicum eumdem permanere qui fuerat, nihil eum de leuitate, de crudelitate, de peſſimorum hominum conuictu, & familiaritate mutâſſe. Ad hoc tantùm tam inſignem ſuam aduerſus Saxones victoriam profeciſſe, vt ille ſui omnium ſanguinis ius, poteſtatemq́; acciperet, & ad perniciem bonorum omnium, & ad omne, quod animo concepiſſet, flagitium, impunitâ*

Qui ad ipſum legatos mittit & ad Concilium Romam vocat.

At is Concilium Epiſcoporum Germaniæ celebrat, qui Gregorium pontif. condamnãt.

A. D. N. CIↃ. LXXVI.

Heinricum Gregorius regia dignitate, & piorum conſortio priuat.

Principum pro republica cõtra eũd. Heinricũ conſilia.

nitâ libertate, graſſaretur. Nihil ſibi deinceps ſpei, nihil præſidij reliquum eſſe, ſi fortè, vt ſunt humana, ipſum offendiſſent, cum in deditiios, contra iuſiurandum, contra fidem principum, tam fœda, tam crudelia exercuiſſet. Hæc cauſſa, non ſolum ipſos, ſed etiam cunctos regni principes vehementer commouerat. Facta eſt igitur conſpiratio non modica, & magis, ac magis indies roborabatur. Igitur, *hi, aliiq; quos reipublicæ calamitas mouebat, Vlmæ conuentu habito, ſtatuerunt, vt omnes, quicumq; reipublicæ conſultum vellent, xvij. Kal. Nouembres, Tribuariam conuenirent, &, varijs cladibus, quibus per multos iam annos pax Eccleſiaſtica turbabatur, tandem aliquando malorum pertæſi, finem facerent.* Iiſdem diebus Othonem Conſtantienſem Epiſcopum Heinrici partes acriter tutantem dux Rudolfus epiſcopatu eiecit, & quem nominarât Summus pontifex Altmannum Bataulj Epiſcopum Conſtantiæ quoq; præſidere iuſſit. Tempore condicto, & conuentu principum, ſuper reliqua Heinrici, ab tenerâ ætate, flagitia, eius imperio oſtenſum, *Eccleſias, & monaſteria deſtructa; victualia ſeruorum DEI, verſa eſſe in ſtipendia militum; ſtudium relligionis, & rerum Eccleſiaſticarum, tranſiſſe ad arma militaria, & ad communitiones exſtruendas; non quibus vis, & impetus arceatur barbarorum, ſed quibus patriæ tranquillitas eripiatur, vt liberæ gentis ceruicibus iugum ſeruitutis imponatur. Nullum vſquam eſſe viduis, & orphanis ſolatium; nullum oppreſſis, & calumniam ſuſtinentibus refugium; non legibus reuerentiam; non moribus diſciplinam; non Eccleſiæ auctoritatem; ſuam non reipublicæ manere dignitatem. Ita vnius hominis temeritate ſacra, & profana, diuina, & humana, faſq;, nefaſq; confuſa eſſe, & implicita.* Tenuit tamen dux Rudolfus, cum ceteri fermè principes omnino exuendum regno cenſerent, vt ad proximum Purificationis diem conuentus alius Auguſtæ Vindelicorum haberetur, cui præſideret pontifex.

Epiſcopus Conſtantienſ. eiectus.

Conuetus Tribuarienſis.

Heinrici Imperio flagitioſe facta, & admiſſa.

Contra ipſum principum decreta.

Idem cognitor, & iudex Heinrici criminum eſſet. Ab eodem, intra annum, piorum ſocietati reſtituatur; ſecus; perpetuo tùm cauſsâ, & regno excidat; deniq; in eius ſe poteſtate fore polliceatur; Excommunicatos à ſe remoueat, neq; comitatu alio, quam ſtatuerint principes, vtatur: priuatam vitam agat tantiſper, nullâ regni apparatus pompâ, nullis dignitatis inſignibus, Eccleſijs, & rebus publicis abſtineat. Hæc, aliaq; id genus fuerunt regni principum, conuentu Tribuarienſi poſtremo, decreta. Heinricus igitur iudicij, & accuſatorum ſeueritatem reueritus, nihil prius habuit, quam vt diem anteueniret, & ab Gregorio, quocumq; modo, & conditione, abſolutionem obtineret.

Ipſe ad extrema redactus in Italiam properat petenda abſolutionis.

Itaq; in Italiam, nullo ingenuo comitatu, profectus, Canuſſij, agri Rhegij caſtello, vbi, eius aduentu audito, ſubſtiterat Gregorius, cum ad comitia Auguſtam tenderet, multis pœnitudinis ſignis, ingentibus promiſſis, eâ conditione. IX. Kal. Februarij anathemate ſolutus eſt, ſ ſi Germanorum principum in concilio ſe ſiſteret, & criminibus, quæ obijcerentur, ipſo, ſi è republ. videretur, anquirente pontifice, reſponderet, obiecta refelleret, illo iudicio ſtaret, omnibus interea regiæ dignitatis poſitis ornamentis, & reipublicæ adminiſtratione interpoſitâ. Non paruit. Sed variâ, & ancipiti primò tergiuerſatione, poſtremo, omnibus humanis, & diuinis legibus, quibus ſe pontifici, & principibus obſtrinxerat, poſthabitis, contemtis, & proculcatis, efferatâ aduerſus Gregorium lubidine, debacchari cæpit, ſeditiones conciuit, & ne Canuſſio, aut in Vrbem redire, aut in Germaniam ad Comitia proficiſci poſſet, aditus omnes, & exitus occupauit: mox, quibus eius conſuetudine interdictum, epiſcopos adſciuit Dietmarum Bremenſem, Burcardum Lauſanenſem, Bennonem Oſnaburgienſem, Burcardum Baſilienſem, Othonem Conſtantienſem,

Quam obtinet certis conditionibus.
ſ A. D. N. CIↃ. LXXVII.

Promiſſa, & fidem deſerit, noua conſilia capit, contra pontificem. contra principes coniunctos.

Google

tienſem, alios Germaniæ, tum etiam Italiæ primores concitauit, exercitus, & copias vndiquaq; fecit. His cognitis, Germaniæ proceres, auctoribus maxime Maguntiacenſi antiſtite, epiſcopis Metenſi, & Herbipolitano; ducibusq;, Othone quondam Bauariæ, Berchtoldo Carinthiæ, ſiue Zeringiæ, Rudolfo Allemanniæ, Velfone tum Bauariæ, plurimisq; alijs, Comitijs Forchtheimi factis, Heinricum depoſuerunt; regnum, & Imperij dignitatem in Rudolfum Allemanniæ ducem tranſtulerunt. III. Eidus Martij. Is Forchtheimio recta Maguntiacum profectus coronam, & reliqua inſignia regni ab Sigfrido archiepiſcopo accepit. XII. Kal. Aprilis: mox Conſtantiâ Othonem, quem Heinricus reſtituerat, iterum depulit, Bataulenſem regere iuſſit. Conſtantiâ Auguſtam aductus, pentecoſtes ſollennitatem ibidem fecit. Vbi Heinricus interim de Rudolfo rege nuncium accepit, magnis itineribus, in Germaniam accelerauit. Quia cetera viarum, & montium inſederant Velfo, & Berchtoldus, Luitolfi Carinthiæ ducis, Marquardo nati ope, & ductibus, vere adulto, Salisburgienſem agrum, mox Ratisbonam, armatâ manu, tenuit, militem in Rudolfum duxit, eumq; Sigmaringâ opido ad Danubium, poſt, totâ Allemanniâ, in Saxoniam reiecit, Sueuiam, & quidquid amicum Rudolfo, vaſtauit, opida diruit, arces incendit, maximum terrorem, & ſtragem Germaniæ ſuperiori attulit. Crebra hinc per metum, an leuitate, vitio, ciuilibus bellis, ſollemni, ab Rudolfo diſceſſio, plures Heinricus donis, & promiſſis corrupit. In ijs Vlricus Lentzburgienſis Richenſæ Habsburgię maritus, potens, factioſus; itemq; Hermannus Comes palatinus, alij. Contra Burcardus Nellenburgienſis, & eius frater Augiæ Eberhardus abbas, itemq; Hugo Montisfortis, præterea Kiburgi comites, S. Gallenſes, Tigurini, & maior Hel-

Germaniæ principes regno, & Imperio priuant.

Rudolfum All. ducem regnare iubēt.

Qui Maguntiacī coronatur.

Heinricus ad hanc nouitatem in Germaniam properat.

Rudolfum depellit.

Allemanniam vaſtat.

Plures metu, donis, pmiſſis in partes traducit.

Vernerus & alij haut pauci Rudolfo ad ultima fidi.

uetiæ, Briſiacæ, & Elſatiæ pars, in primis Vernerus Habsburgienſis, tamquam matruelem, Rudolfum ad extrema prope tutauere. Ante omnes Berchtoldus Zeringus eâ ſanguinis, quâ Vernerus, cum Rudolfo coniunctione, & acerrimo aduerſus Heinricianos odio. Sed cum proſperare cœpta Heinrici animaduerteret, adeoq́; præter Saxoniam, Rudolfo ſatis tutum nihil, aut fidele, ita animo, & valetudine Berchtoldus defecit, vt paucos intra dies, mente alienatâ, Limburgi occiderit, A. D. N. CIↃ. LXXVIII. magno partis, quam fortiter defenderat, detrimento. Habuit vxores duas RICHVARAM, cuius ſtirpis, aut conditionis, me fugit, & ex eâ filios BERCHTOLDVM II. qui ſucceſſit, & HERMANNVM I. marchionem quem Vrsbergenſis abbas quatriennio ante patrem obijſſe notat Cluniaci monachũ, dubito an verè. † Videtur enim patri ſuperfuiſſe. Altera fuit BEATRIX Ludouici Comit. F. quæ GEBHARDVM Hirſaugiæ monachum, poſtea Conſtantienſem epiſcopum, & legatum Apoſtolicum genuit, de quo Trithemius, vbi nobiles narrat, qui ſub. S. Gulielmo abbate relligionem Hirſaugiæ inierunt. *Gebhardus filius ducis Allemanniæ, & frater Ducis Berchtoldi, vir non ſolum nobilitate ſanguinis clarus, ſed etiam ſapientiâ, facundiâ, & eruditione ſcripturarum inſignis, contemto ſeculo, pro DEI amore, ſub ſancto patre Gulielmo in hoc noſtro cœnobio monachus factus eſt. Hinc poſtea Conſtantienſis epiſcopus ordinatus multa huic monaſterio Hirſaugienſi, vnà cum fratre duce Berchtoldo, bona fecit.* Sepultus eſt Berchtoldus I. cũ Richuara, eodem Hirſaugiæ monaſterio, quod multis beneficijs, vt teſtatur idem Trithemius, adfecerat, locupletâratq́;. Cognomen illi faciunt BARBATI. primus caſtrum, vt ſupra diximus, in Briſiacâ ZERINGAM condidit, indeq́; ſibi, & poſteris cognomen ſumſit, quamuis Menlius tradat, fuiſſe Berchtoldum

Berchtoldi Zeringi mors vxor. liberi. Vrsberg chr.

A. D. N. CIↃ. LXXVIII.

† Ex literis ad me ſcriptis Reuerẽdiſſimi, & ampliſs. D. Io. Piſtorij D.

Gebhardi laus Chronico Hirſaug.

Zeringa Briſiacæ caſtrum à quo duces Zeringenſes.

toldum II. filium, qui Zeringam poſuerit Briſiacenſem; Berchtoldum primum in arce Carinthiæ Zeringâ ſedem habuiſſe, cum eum ab Heinrico IV. ducatum accepiſſet, & inde Ducem Zeringenſem nominatum vulgò. Ego præter Ducis titulum ex Carinthiâ, & in eâ, nihil habuiſſe Berchtoldum pene mihi perſuadeo. Quam de Comite Kiburgienſi, à quo ſolum condendo caſtro emiſſe volunt Albertus Argentinenſis, & Gebuillerus, referunt hiſtoriâ, fabulam quoq; arbitror. Cum ſatis clarum ſit Kiburgienſes Comites in Turgouiâ dominatum habuiſſe, & Kiburgum in eâ arcem, multo ante quam Briſiacâ, vt ſcribunt, Comites Kiburgienſes eijcere potuerit Berchtoldus, conditam, habitamq; fuiſſe. Ceterum pontifex Gregorius, vbi mutatam Heinrici mentem expertus eſt, legatos ſubito in Germaniam miſit Bernardum Cardinalem, & *Bernardum abbatem de Maſſiliâ, virum eximiæ conuerſationis, & multarum in Chriſto virtutum*, qui acta principes edocerent, ſimul pacem, ſi quâ poſſent, & res Imperij componerent. Eos, cum ad Vindoniſſenſis comitatus fines perueniſſent, iuſſu Cæſaris, Vlricus Lentzburgienſis intercepit, Lentzburgumq; tractos diu vinculis continuit. Exeunte Auguſto, rurſum Heinricus in Allemanniam inuaſit, cuncta obuia diripuit, & exſcidit, præcipue quæ Hugonis Montisfortis erant. Poſtea, totâ pene Germaniâ, ortæ cædes, ſtrages, incendia, funera. Contra Berchtoldum Zeringenſem maximum exercitum Vernerus Argentinæ, & Burcardus Baſileæ Epiſcopi, eduxere, eiusq; in Briſiacis incenſis vicis, aciem contulerunt. Pugnatum pluſquam ciuili bello. Poſtremo fuſi epiſcopi, victoria penes Zeringenſem fuit. Is victores manipulos, adſcito in ſocietatem Velfone Bauaro, contra Heinricum porro traducturus, dum properat, manus vtrumq; regem miſcuiſſe accepit, longaq;, & cruentâ

Lambertus Schafnab. chr.

Vlricus Letzburgienſi. legatos pontificios in vincula conycit.

Heinricus rurſus Allemanniam adfligit.

Zeringenſis pugna & victoria contra Argentina. & Baſilea Epiſcopos.

Digitized by Google

Vernerus & alij haut pauci Rudolfo ad vltima fidi.

uetiæ, Briſiacæ, & Elſatiæ pars, in primis Vernerus Habsburgienſis, tamquam matruelem, Rudolfum ad extrema prope tutauere. Ante omnes Berchtoldus Zeringus eâ ſanguinis, quâ Vernerus, cum Rudolfo coniunctione, & acerrimo aduerſus Heinricianos odio. Sed cum proſperare cœpta Heinrici animaduerteret, adeoq́; præter Saxoniam, Rudolfo ſatis tutum nihil, aut fidele, ita animo, & valetudine Berchtoldus defecit, vt paucos intra dies, mente alienatâ, Limburgi occiderit, A. D. N. CIↃ. LXXVIII. magno partis, quam fortiter defenderat, detrimento. Habuit vxores duas RICHVARAM, cuius ſtirpis, aut conditionis, me fugit, & ex eâ filios BERCHTOLDVM II. qui ſucceſſit, & HERMANNVM I. marchionem quem Vrsbergenſis abbas quatriennio ante patrem obijſſe notat Cluniaci monachũ, dubito an verè. [t] Videtur enim patri ſuperfuiſſe. Altera fuit BEATRIX Ludouici Comit. F. quæ GEBHARDVM Hirſaugiæ monachum, poſtea Conſtantienſem epiſcopum, & legatum Apoſtolicum genuit, de quo Trithemius, vbi nobiles narrat, qui ſub. S. Gulielmo abbate relligionem Hirſaugiæ inierunt. *Gebhardus filius ducis Allemanniæ, & frater Ducis Berchtoldi, vir non ſolum nobilitate ſanguinis clarus, ſed etiam ſapientiâ, facundiâ, & eruditione ſcripturarum inſignis, contemto ſeculo, pro DEI amore, ſub ſancto patre Gulielmo in hoc noſtro cœnobio monachus factus eſt. Hinc poſtea Conſtantienſis epiſcopus ordinatus multa huic monaſterio Hirſaugienſi, vnà cum fratre duce Berchtoldo, bona fecit.* Sepultus eſt Berchtoldus I. cũ Richuara, eodem Hirſaugiæ monaſterio, quod multis beneficijs, vt teſtatur idem Trithemius, adfecerat, locupletâratq́;. Cognomen illi faciunt BARBATI. primus caſtrum, vt ſupra diximus, in Briſiacâ ZERINGAM condidit, indeq́; ſibi, & poſteris cognomen ſumſit, quamuis Menlius tradat, fuiſſe Berchtoldum

Berchtoldi Zeringi mors vxor. liberi. Vrsberg chr.

A. D. N. CIↃ. LXXVIII.

[t] Ex literis ad me ſcriptis Reuerẽdiſſimi, & ampliſs. D. Io. Piſtorij D.

Gebhardi laus Chronico Hirſaug.

Zeringa Briſiacæ caſtrum à qua duces Zeringenſes.

toldum II. filium, qui Zeringam poſuerit Briſiacenſem; Berchtoldum primum in arce Carinthiæ Zeringâ ſedem habuiſſe, cum eum ab Heinrico IV. ducatum accepiſſet, & inde Ducem Zeringenſem nominatum vulgò. Ego præter Ducis titulum ex Carinthiâ, & in eâ, nihil habuiſſe Berchtoldum pene mihi perſuadeo. Quam de Comite Kiburgienſi, à quo ſolum condendo caſtro emiſſe volunt Albertus Argentinenſis, & Gebuillerus, referunt hiſtoriã, fabulam quoq; arbitror. Cum ſatis clarum ſit Kiburgienſes Comites in Turgouiâ dominatum habuiſſe, & Kiburgum in eâ arcem, multo ante quam Briſiacâ, vt ſcribunt, Comites Kiburgienſes eijcere potuerit Berchtoldus, conditam, habitamq́; fuiſſe. Ceterum pontifex Gregorius, vbi mutatam Heinrici mentem expertus eſt, legatos ſubito in Germaniam miſit Bernardum Cardinalem, & *Bernardum abbatem de Maſſiliâ, virum eximiæ conuerſationis, & multarum in Chriſto virtutum*, qui acta principes edocerent, ſimul pacem, ſi quâ poſſent, & res Imperij componerent. Eos, cum ad Vindoniſſenſis comitatus fines perueniſſent, iuſſu Cæſaris, Vlricus Lentzburgienſis intercepit, Lentzburgumq́; tractos diu vinculis continuit. Exeunte Auguſto, rurſum Heinricus in Allemanniam inuaſit, cuncta obuia diripuit, & exſcidit, præcipue quæ Hugonis Montisfortis erant. Poſtea, totâ pene Germaniâ, ortæ cædes, ſtrages, incendia, funera. Contra Berchtoldum Zeringenſem maximum exercitum Vernerus Argentinæ, & Burcardus Baſileæ Epiſcopi, eduxere, eiusq́; in Briſiacis incenſis vicis, aciem contulerunt. Pugnatum pluſquam ciuili bello. Poſtremo fuſi epiſcopi, victoria penes Zeringenſem fuit. Is victores manipulos, adſcito in ſocietatem Velfone Bauaro, contra Heinricum porro traducturus, dum properat, manus vtrumq; regem miſcuiſſe accepit, longaq́; , & cruentâ

Lambertus Schafnab. chr.

Vlricus Lẽtzburgienſis legatos pontificios in vincula conycit.

Heinricus rurſus Allemanniam adfligit.

Zeringenſis pugna & victoria contra Argentina, & Baſilea Epiſcopos.

Pugna Vſtrotenſis.

cruentâ apud Vſtrotum flumen pugnâ, vtrimq; fugam initam, victoriam in medio manſiſſe; Rudolfum in Saxoniã redijſſe.

Heinricus Allemãniã tertio vaſtat, Hugonem comitem Montis fortis ſubiugat.

At Heinricus, licet attritis viribus, Allemanniã tertio adflixit, nec tamen virorum principum quemquam domare, aut ad partes traducere potuit, extra Hugonem Monfortenſem, qui, amiſſis deniq; omnibus, deditionem fecit.

Zeringenſis alia geſta.

A. D. N. CIↃ. LXXIX.

Germaniæ tunc potentiſſimi milite, pecuniâ, auxilijs, Berchtoldus, & Velfo. Et Berchtoldus Viſſenacum S. Galli caſtrum expugnauit, quod Vlricus abbas Heinricum tuebatur, itemq; Cimberium, vtrumq; ad Harciniam: Harciniæ adcolas omnes ſubegit, eos, & quoſcumq; nactus, Heinricum eiurare coegit, Vecelinum Burglenſem baronem, quia obnitebatur, interfecit, reditus S. Galli omnes ſuos apud ſubditos intercepit, & ne quid abbati pręſtarent, inhibuit. Idem fecere Velfo Bauarus, circa Altorffum, & Rauensburgum, Otho Marckdorffi, Marquardus Brigantij, Hermannus Kiburgi Comites, multiq; alij, Heinrici partibus hoſtes, & infeſti.

Item Velfonis Bauari.

Velfo quoq; Rhetiæ deditionem cæde, & flamâ vlctus eſt: Othonem Curiæ comitem debellauit, Rudolfiq; obſequio reddidit.

Heinricus ducatũ Allemanniæ Friderico Hohenſtauffæ Comiti cum filia dedit, à quo poſtremi Sueuiæ Duces.

Heinricus interea conuentum ſuorum fecit, Rudolfum ducatu Allemanniæ priuauit, eumq; Friderico Hohenſtauffæ, Vormatiam inter, & Spiram ſitæ, Comiti, belli artibus, & diuitijs inſigni commiſit, quoq; magis adligaret, Agneten, Vrsbergenſis abbas vocat Adelheidem, filiam vna tradidit.

Qui fruſtra totam affectauit.

Sed neq; is, magnis licet opibus, & Imperatoris auxilijs, Allemanniæ totius potuit vnquam potiri. Obſtitit fortiter Rudolfus, Berchtoldo, & Velfone ducibus, quamdiu vita ſuppeditauit; Vbi exſtinctus; eam tamen ſolum Allemanniæ partem tenuit, quam Sueui antiquitus inſederant.

Magnam partem Zeringenſibus retinentibus.

Cetera Allemanniæ, Harciniam, Neckargouiam, Turgouiam, Briſiacam, Mortnouiam fruſtra ipſe, poſteriq; tentârunt.

târunt. Obtinuit Berchtoldus Zeringenſis, & qui ab eo. Vnde Sueuiæ ſe, non Allemanniæ duces ferme dixerunt; aboleuitq́; Allemanniæ prope, eâ de cauſsâ, nomen. Ineunte hieme, rurſum reges apud vicum Feldheim congreſſi ſunt. Vtraq; parte per laſſitudinem collabente, Cuno comes inopinatò, recenti manu Rudolfenſes inuaſit, pepulitq́;. Multi Saxonum inter fugiendum, per nebulas Heinrici caſtris illati, cæſis, qui cuſtodiebant, impedimenta diripuere, prædamq́; ingentem fecerunt. Sed ab eius pugnæ euentu Heinricianis animi aucti, firmatiq́;. Rudolfus rurſus in Saxoniam, Heinricus in Franconiam receſſit. Eodem tempore, duxit Berchtoldus Zeringenſis Agneten Rudolfi regis ex tribus filiam vnicã ſuperſtitem, dotemq́; Allemanniæ ducatum, & comitatum auitum Rhinfeldenſem accepit. Poſt paullum, Gregorius, ex concilij ſententiâ, in Laterano, Heinricum iterum imperio abdicauit, Rudolfum confirmauit, Imperialemq́; coronam tranſmiſit, & ad vindicandam acriter contra Heinricum Eccleſiæ libertatem animauit. Heinricus viciſſim ſynodum quorumdam Germaniæ epiſcoporum pridie Kal. Iunij habuit, vtq́; Gregorium pontificiâ dignitate, ſuis ſententijs, indignum iudicarent, Imperijq́;, & reipublicæ perturbatorem adfirmarent, impetrauit. Eodem quoq; Epiſcopos Italiæ triginta, quos Brixiæ, vij. Kal. Iulij conuenire iuſſerat, perpulit. Lectus ab vtroq; conciliabulo, contra Gregorium, Vigbertus Rauennæ archiepiſcopus, qui ſe Clementem III. nominauit, nullo in numero. Paucis hinc menſibus Imperij ſummam caſui permittere regibus placuit. Eidus Octobris prœlio dictæ, prouincia Miſnia, locus Elleſtrami fluminis planities. Pugnatum in noctem: lux vtroſq;, non arma, aut animus deſeruere. Certaminis præmium, & honos, mortuo, die ſequenti, ex vulnere Rudolfo, Heinrici

Regum ſecundus cõgreſſus, & Heinrici victoria.

Zeringenſis ducit filiam Rudolfi regis vnicam magna dote.

Pontifex Heinricũ iterum excommunicat, & regno priuatum declarat. Rudolfum confirmat.

A. D. N. CIↃ. LXXX.

Priuatus et ipſe ab Heinrico, & ſuis Epiſcopis declaratur, ſubſtituto Vigberto.

Vltimum regũ prœlium, & Rudolfi mors.

Eius vxor, & liberi.

Digitized by Google

rici fuit. Suſcepit Rudolfus ex Adelheide Othonis Marchionis Montisferrati filià, (alij Froburgienſem tradidere) Berchtæ Heinrici coniugis ſorore, filios duos Berchtoldũ, & Othonem, quorum ille in pueritiâ, hic adoleſcens, & iam dux Allemanniæ defunctus eſt. Filias tres Agneten Berchtoldi Zeringenſis vxorem, Adelheidem Colomanno regi Hungariæ nuptam, & Mathildam Auſtriæ marchioni, Menlius Erneſtum vocat, matrimonio iunctam, qui contra ſocerum Heinrici ſectator prælio Vſtrutenſi cecidit. Rudolfus Mersburgi Saxoniæ ſepultus eſt. Adelheid vero vxor cum per multas miſerias, & animi dolores vitam Tiguri, bellis vndiq; ſtrepentibus, tolerauiſſet, indeq; Rhinfeldam ſe recepiſſet, paucis menſibus, dilectum coniugem ſubſecuta eſt, & apud S. Blaſium, regiâ tamen pompâ, tumulata, quemq; adeo honorem viuens obtinere nõ potuit, poſt mortem, exoletâ, & exſtinctâ æmulatione, & inuidiâ, vltro detulere. Inter tanta, quæ Germaniam ferme vniuerſam, per ea tempora, oppreſſerunt mala, quidquid liberum ab hoſtibus, & bello, pacatumq; fuit, id omne temporis Vernerus Habsburgienſis pietati, & relligioni tribuit. Itaq; vt Monaſterio ſuo Murenſi melius proſpiceret, nihilq; non moliretur, vnde monachis erga locum amor, & voluntas gliſceret, relligionisq; incrementum, & fama accederet, Vilibertũ Hirſaugiæ, & Sigfridum Schafhauſiæ abbates accerſiuit, &, vt de ſitu iudicarent, ceteraq;, quæ vſus poſtulare videretur, conſtituerẽt, rogauit, adeoq; locum eorum arbitrio, lociq; libertatem tradidit, agerent, compararent, quæq; fratribus vtilia, quæq; monaſterio decora arbitrarentur. Acta, narratis alijs. *Rogatu Vernarij Comitis venerunt huc abbates, id eſt, Viliberd Hirſaugiæ abbas, & Sigfridus de Schafhuſe, & inſpexerunt locum, placuitq; eis locus iſte, reuerſiq; ad eumdem Comitem monuerunt eum, vt*

Sunt qui Adelheidem anno præcedenti, & viuente adhuc marito, mortuam tradunt.

Vernerus inter publica mala pietati, et relligioni ſtudet.

Abbates præſtantes ad conſtituendum Murenſe monaſterium accerſit.

pro

pro ſalute animæ ſuæ dimitteret locum liberum, ac ruſticos, & miniſtros ſuos ſepararet à Cellâ. Quos ille benigne, & prudenter in hoc audiuit, dixitq́; eis, vt ipſi componerent, ac dictarent chartam libertatis ſecundum quod optimum, & vtiliſſimum fore ſcirent, vt ipſe eam poſtea rege, & principibus, ac populo corroboret, & confirmet. Exſtincto capite vno ciuilis belli, non tamen incendium quoq; conſedit, pertinaci Rudolfenſium aduerſus Heinricianos contentione, & inuidiâ. Sed præcipue per Allemanniam belli licentia graſſabatur. Illam Berchtoldus propter vxorem vindicabat; eiusq́; magnam partem armis tenebat. Fridericus ab Hohenſtauffâ contrà Heinrici ſoceri donatione, & titulo nitebatur, cetera eiuſdem fauore, & ope reciperaturũ confidebat. Hinc vtrimq; ſuper partium ſtudia cædes, & vaſtitates, Zeringenſi opibus, militum famâ, & frequentiâ, belliq́; artibus ſuperiore. Sed Heinrico in Italiam cum exercitu profecturo, præcipuum componendæ Germaniæ ſtudium fuit. Id fruſtra, & inane erat, durante ducem inter vtrumq; diſcidio. Quamobrem, adſcitis in conſilium, arbitriumq́; nonnullis regni primotibus, pacis, & concordiæ has vtriq; leges dixit, & edidit. Fridericus, quam tenebat Sueuiam regeret, & quia Sueuia Allemanniæ pars maior, Allemanniæ quoq; titulum, ſi vellet, ferret: Berchtoldi eſſent cetera ad Rhenum, & Harciniæ, Turgouiæq́;, & Briſiacorum, & Mortnouiæ, Neckargouiæ, in primis Tigurum, & præfecturam Tigurinam, & quidquid in eâ iuris, & aduocationis Imperialis eſt, ipſe, poſteriq́; poſſiderent. Honos etiam additus, Zeringæ ſe Ducem nominare poſſet, Zeringaq́; ex Comitatu in ducatum euecta. Non tamen Berchtoldum propterea Heinricus placauit, aut in partes traduxit. His nihilominus conſtitutis, vere ineunte in Italiam abijt, Romam ferme per biennium obſeſſam habuit. At Vernerus

Bellum in Allemãniâ etiam poſt Rudolfi necem inter partes, ducesq́.

Heinricus componit, & prouinciam inter vtrumq; Zeringenſem, & Fridericum diuidit.
A. D. N. CIↃ LXXXI.
Otho Friſing. lib. i. cap. viij & ix. de geſt.
Zeringa in Ducatum erecta.

In Italiam inde proficiſcitur Sigonius de reg lib. ix Naucl generat. xxxvij.

cum in ſuo nouo Monaſterio pluria ſupereſſe, fieriq́;, quæ haut perinde probaret, largamq́; Vlrici abbatis licentiâ diſciplinam animaduerteret, ſimul audiſſet, qui in Harciniâ ad D. Blaſij agitabant monachi, nouam, & ſinceriorem vitæ rationem inſtituiſſe, Vlrico, vt eo tenderet, fratresq́; nonnullos, qui eum imbiberent morem, & vitæ conſuetudinem ſecum duceret eo, ſuaſit. Cum is abnuiſſet, veritus illam aſperitatem diſciplinæ, Muraq́; relictâ, Diſertinum, vnde venerat, ſe recepiſſet, iter ipſe Comes, negotiumq́; ſuſcepit, & ab Giſelberto abbate monachos quatuor, quos ei rei maxime idoneos cenſuerat, obtinuit. Acta. *Contigit autem interim vt fratres de Cellâ S. Blaſij, quæ anteà vocabatur Alba, de fluuio, qui præterfluit, mutarent ſuam priorem conſuetudinem, audiensq́; Comes Vernarius multa inde laudabilia, hinc autem, id eſt, ab iſto loco, multa quæ ſibi diſplicerent, cogitare cæpit, vt & hic faceret illam conſuetudinem, vocauitq́; eumdem Vldaricum, qui, ſub nomine abbatis, quamuis non eſſet benedictus, iam multis annis præfuit, dixitq́; ei, & conſiliatus eſt, vt & ipſe illuc pergeret, & duceret ſecum de fratribus, quos vellet, vt illic diſcerent illam conſuetudinem, & hic obſeruarent. Ille nolens acquieſcere tali conſilio, timens illam conſuetudinem, dimiſit abbatiam, & omnem poteſtatem, quam habebat, tradiditq́; in manus eius, ac reuerſus eſt in locum ſuum vnde venerat huc prius, id eſt, Diſertinenſe monaſterium. Sic ipſe Comes pergens ad ſupradictam Cellam Albam obtinuit ab abbate illo, qui vocabatur Giſelbertus, vt mitteret huc fratres ſuos, quorum iſta ſunt nomina Ruprecht, qui poſtea factus eſt hic abbas, Obrecht, Heinrath, Sigfrid.* Eodem tempore, & Heinrico abſente, Saxoniæ, Allemanniæq́;, & Rheni principes Hermannum Lucemburgi Comitem regem nominauere, ſtrenuum, & priuatis opibus magni nominis virum, ſed imperio breui, & infelici. Iam vero Vilibertus Hirſaugiæ, & Sigfridus Schafhau-

Vernerus diſciplina, & fama monachica cupidiſſimus ab S. Blaſij monaſterio monachos vocat, & adducit qui Murenſe ſtabiliāt.

Hermannus comes Lucemburgi, rex contra Heinricum nominatus.

Schafhauſiæ abbates libertatis Murenſis leges condiderāt, aliaq́;, quæ in decus, & in bonum monaſterij verterent, comparauerant. Igitur ea ad Vernerum, vt iuſſerat, detulere, vtq́; reciperet, & probaret rogauerunt. Quibus lubens, meritoq́; cum annuiſſet, adfines, propinquosq́;, in primis Giſelbertum abbatem, comites Rudolfum à Thierſtein ex Itâ filiâ generum, Burcardū à Nellenburgo propter Regulindam ſororem adfinem, aliosq́; viros principes, & amicos acceſſiuit, pridieq́; Eidus Nouembres ad monaſterium ſe contulit, ibiq́; S. Martini tutelaris loci feſtum diē, magnâ frequentiâ, & ſollennitate peregit. Poſtero die, in eorumdem omnium præſentiâ, ad templi primum altare Monaſterium, & quidquid eius ſunt, e manu ſuâ, & poteſtate miſit, DEO, & Virgini matri, Petro Apoſtolorum principi, & Martino patrono in perpetuum dedit, & conſignauit, dedicauitq́;, monachis quem mallent cumq; aduocatum legendi, & adminiſtrandi licentiam reliquit. Quibus de rebus Actorum hæc ampliora. *Vernarius, congregatis principibus ſuis, & miniſtris, venit huc in vigiliâ S. Martini, vna cum Giſelberto abbate de Cellâ S. Blaſij, & fratribus illis, quos ſupra memoraui, & ijſdem abbatibus, alijs quoq; principibus, id eſt Rudolfo de Thierſtein, necnon Burcardo comite de Nellenburg, multisq́; alijs, tam liberis, quam ſeruis, fuitq́; hic in eodem feſto die, &, poſt feſtum, acceſſit ad primare altare, & dimiſit locum liberum penitus, ac perfectè, vt nullus poſterorum ſuorum, vel heredum poſſet vllam rationem habere, vel excogitare ad iſtum locum. Tradiditq́; domino DEO, ſanctæ MARIÆ, ſancto Petro, ſancto Martino, in conſpectu principum, quos ſupra recenſuimus, & in conſpectu miniſtrorum, ac ſeruorum, tam ſuorum, quam Eccleſiæ iſtius, iuſſitq́: recitari eamdem chartam libertatis. Quæ cum perlecta eſſet, & populo expoſita, ipſe accepit eam, & commendauit in poteſtatem Giſelberti*

Vernerus Murenſe Monaſterium ſui iuris fecit & de ſuâ poteſtate dimiſit, magnâ principum, cognatorum, & ſubditorum frequentiâ.

A. D. N. CIↃ LXXXII.

abbatis, & fratrum eius, qui huc deſtinati fuerant, vt ipſi ſeruarent, ac cuſtodirent, & tractarent locum, & omnia pertinentia ad eum taliter, qualiter voluiſſent Domino DEO in die iudicij reddere rationem. Poſtea monuit idem Comes ſeruos Eccleſiæ, vt indicarent ſibi, cuius Eccleſiæ liberæ ius voluiſſent habere, ac illi elegerunt ius Eccleſiæ de Lucerâ. Quòd ille eis benigne ſtatim conceſſit, iuſſitq; fratribus, vt eligerent ipſum aduocatum quemcumq; vellent. Iuſſit deinde libros, & omnem ſupellectilem monaſterij ſupra tapetem ponere ante altare, interrogauitq; fratres qui ſub anteriori conſuetudine hic fuerunt, ſi vellent obedire fratribus, quos huc adduxit. Quorum cum quidam reſiſterent, & contradicerent, dixit eis, vt, aut obedirent eis, aut hinc diſcederent, & ſinerent iſtos quietè viuere. Et ſic, commendatis omnibus rebus monaſterij, infra, & extra fratribus, qui huc de Cellâ Albâ venerant, ab altare receſſum eſt. Hæc autem omnia facta ſunt Anno milleſimo octogeſimo ſecundo Dominicæ Incarnationis, indictione quintâ. De prioribus ergo fratribus qui hic fuerant, quidam diſceſſerunt, quidam autem manſerunt. Fratres autem qui huc venerunt, præpoſuerunt ſibi Rupertum ad priorem, ac diſiunxerunt, & ſepararunt ruſticos, ac miniſtros Comitis Vernarij, à Cellâ ipsà, Vernario fideliter eos in hoc adiuuando, aut mutuantes prædia Eccleſiæ, cum miniſtris Comitis Vernarij, aut ruſticos prædijs Eccleſiæ præponentes. At vero Hermannus marchio Berchtoldi Zeringenſis frater, haut inferiori rerum diuinarum amore, & ſtudio, & eiuſdem tempeſtatis adeo fœdæ, turbidæ, profanæ, & impiæ tædio, & deſpectu, quam potuit ſecretiſſimè, nullis omnino, præter coniugem, quæ illi Hermannum II. filium, & ſucceſſorem genuerat, à quo hodierni marchiones Badenſes, & Hachbergenſes, conſcijs, & arbitris, cum eidem ſua, & communem ſubolem commendâſſet, Cluniacum in Burgundiam ſe ſurripuit, monachumq; induit. De eo hæc Trithemij intelligo, vitâ S.

Hermannus marchio frater Berchtoldi Cluniacum ſecedit, fitq; ibi monachus ſucceſſore filio Hermanno. II.

Gulielmi

Gulielmi abbatis Hirſaugienſis, ſanctitate, & miraculis præſtabilis. *Fuit, eodem tempore,* [u] *quidam marchio potens, & diues, nomine Hermannus, qui diuino ſpiritu attractus, mundum, pro DEI amore, cum omnibus rebus, & pompis contemnens, occulteq́; fugiens, nemine, præter vxorem, ſciente, ad monaſterium Cluniacenſe diuertit incognitus, aſſumteq́; à S. Hugone abbate, ſanctæ conuerſationis habitu, pro ſummi paſtoris amore, paſtor pecorum monaſterij eiuſdem factus eſt. Huius præſtantiſſimi viri vxor, poſt coniugis præfati exceſſum, Deum bonorum ſuorum volens inſtituere heredem, ſumtus, & impenſas Sancto Gulielmo abbati, ad nouum conſtruendum monaſterium inchoatum præſtitit. Quæ tandem, neſcio quâ ex cauſsâ, vſq; adeo fuit offenſa, vt ſanctum opus intermitteret, &, retractis manibus, relinqueret imperfectum. Ex his tamen, quæ antea contulerat, tantum ſuperfuit impenſarum, vt reliquum pene totum, quod reſtabat, perficeretur.* Hæc de Hermanno, & coniuge Trithemius. Ceterum vereor vtne ſint, quibus id mirum videatur, & nouum, quod ab hoc Hermanno, & eius filio cognomine, Marchiones Badenſes, & Hachbergenſes, qui hodie in magnis opibus, & claritudine agitant, oriundos tradimus. Enimuero pleriq; omnes, qui nos ſcribendo de eorum origine anteceſſerunt, diuerſum ſentiunt, traduntq́; Hermannum Veronæ marchionem ab Friderico Imp. I. Ahenobarbo, cui obſes traditus erat, his primum regionibus impoſitũ, eumdemq́; Imperatorẽ ex Comitatu Badenſi conſtituiſſe Marchionatũ, &, vti diximus, Hermannum Veronenſem marchionem primũ. Quæ ſane contra veterum monumentorum fidem, & auctoritatem ab ijs ficta, & repertia ſunt, qui Principes ad inopina quæq; attẽtos, & curioſos, nouitatis illecebris adulabundi eo gratiores, & ingenioſiores ſe fore confidunt, quo ab eorum origine, & quam habent regione longius exortos, & propagatos prædicant.

[u] Chronic Hirſaug. ad eumdem an. 1082.

De marchionum Badenſiũ, et Hachbergenſium origine.

Aliorum opinamẽta.

Coſmogr Sebaſt. li. iij Volf Latz us lib viij. migrat. alij.

dicant. Etenim Hermannum III. Hermanni II. F. Hermãni I. monachi Cluniacenſis N. multo prius, quam Fridericus Ahenobarbus ad Imperium venit, aut in Italiam iter habuit, Badenſem fuiſſe marchionem manifeſto oſtendit Cunradi II. Imp. diploma, in quo expreſſim eum *Hermannum marchionem de Batha* nominat. Ait enim, A. D. N. CIↃ. C. XXXIX. ſe priuilegia Vicrami Fabariæ abbatis confirmare, *in præſentiâ Alberonis archiepiſcopi Treuirenſis, Ortliebi epiſcopi Baſilienſis, Friderici ducis, Cunradi ducis, Matthæi ducis, Hermanni marchionis de Batha, Adelberti Comitis de Habesburg. &c.* Sed Fridericus ipſe Imp. I. nonne donationem ab antiſtitâ Eriſteinenſi factam Hermanno eidem marchioni curtis Baſinckheim, quam marchiones Badenſes nunc quoq; poſſident, confirmauit anno regni ſecundo? Clarum ex eius diplomate facto eodem loco *Ernſtein IV. Idus Iulij, anno dominicæ Incarnationis M. C. LIII. Ind. XIV. regni*, vt diximus, *ſecundo*. quo tempore nondum Italiam cum exercitu intrauerat, nec proinde Hermannum obſidem inde tranſportauerat, multo minus Marchiæ Badenſi præfecerat. Imò an non veriſimile eſt Berchtoldum I. Barbatum in filios, aut ipſos inter ſe hereditatẽ diuiſiſſe, Berchtoldo II. ducis titulum, & maiorem partem: Hermanno marchionis tamquam minori, & dignitate proximo, cum non pœnitendâ ditione attribui potuiſſe, imo debuiſſe? Nugator enim, vt pleraq;, Latzius, qui Hochbergenſium marchionum ditionem Berchtoldo, & Cunrado Zeringis ademtam, Marchionibus Veronenſibus ab Friderico I. traditam memorat, cum ducem vtrumq; ob rebellionem proſcripſiſſet. Duxit vero Hermannus II. Iuditham Badenſem, quæ cum ad eum dominium Badæ detuliſſet, vulgo dedit cauſſam vocandi Marchionis Badenſis, cum prius marchionem ſe, nullo addito alio titulo, indigitaret, quem

Quæ refelluntur.

Eodem lib. vij. migr.

Badenſes dicti ex coniugio.

poſtea

poſtea titulum Hermannus III. Iudithâ genitus, adſumtis quoq; maternis armorum inſignibus, maxime celebrauit, & ad poſteros tranſportauit. Neq; tamen negauerim Hermannum IV. Hermanni III. F. ſub eodem Friderico, Marchionem ſe quoq; Veronenſem ſcripſiſſe, & dominum Badæ. Sed gubernationis ea denominatio fuit, non originis. Fridericum enim Imp. euerſo funditus Mediolano, domitaq; Langobardiâ, & in plures partes diuisâ, ſingulis partibus, imo pene vrbibus, Germaniæ proceres præfeciſſe teſtantur Italici ſcriptores, in primis Bernardinus Corius. Quo tempore Hermannum marchionem Badenſem Veronæ impoſitum, tamquam in beneficium arbitror, & plane mihi perſuadeo, quam deinceps in titulum adhibuit, & pauci poſt eum retinuerunt, magis memoriæ, quam poſſeſſionis. Sed hoc quoq; haut leue pretium erit, nobiliſſimam familiam ab externorum iniurijs, & varijs ingeniorum ludibrijs vindicauiſſe, tandemq;, veluti poſtliminio, antiquæ, & auitæ origini, & dignitati, hoc eſt, ſibi, reſtituiſſe. Iam eo, vnde receſſimus, redeamus. Heinricus poſtremò, poſt longam obſidionem, Vaticanum tandem expugnauit, IV. Nonas Iunij, Gregorio, cum paucis Cardinalibus, in arcem elapſo. Eamdem omnibus copijs circumſedit. Romani ad extrema redacti diem tranſigendi cum rege petiere. Kalendas Nouembres dedit. Eo die, cum ſe Gregorius præſentiæ committere eius, qui tot exſecrationibus deuotus eſſet, nec ſuæ, neq; Apoſtolicæ dignitatis exiſtimaret, conuentum recuſauit. Romani deditionem fecere. Ipſe Salernum euaſit. Hoc eodem anno ſumſerunt aduocatum monachi Murenſes, & prior Rupertus Luitolfum baronem à Regensbergâ nobilem, eaq; tempeſtate potentem. Is tunc etiam aduocationem S. Galli obibat. Eadem Acta. *Conſilio autem inito, omnis congregatio elegerunt*

Quomodo dicti fuerint marchiones Veronenſes.

Parte I. hiſt. Med. parte E. ad annum 1162.

Heinricus Romam expugnauit, Gregorium depulit.
A. D. N. CIↃ. LXXXIII.
Sigebert. Vrsberg. Nauclerus, Sigonius.

Murenſes monachi Luitolfum à Regenſberga aduocatum capiunt.

runt ſibi eſſe aduocatum, ſecundum ſcita priuilegij, Lutolfum, patrem Lutolfi à Regensberg, & Othonis. Huic commendauerunt illi locum, & omnia ad eum pertinentia. Heinricus, ſubactis Romanis, in Vrbe natalitia egit. Campaniam inde, & Apuliæ partem peruaſit. Hinc XI. Kal. Aprilis in Laterano conuentum Epiſcoporum habuit, Gregorium abdicauit, Clementem verum pontificem, licet falsò, pronunciauit. Ab eo Imperatoris III. nomen, & coronam accepit pridie Kal. eiuſdem menſis. Deniq; in Germaniam redijt, relicto Romæ, cum valido præſidio, Clemente. Aeſtate, quæ ſecuta eſt, adeo atrox peſtilentia inuaſit, vt, inter cetera, præſidium Germanicum funditus hauſerit. Et Romani, captâ occaſione, ſiue ſolitâ mobilitate, & libertatis lubidine, Clementem expulere. Durabat graue, & cruentum inter Egkhardum Augiæ, & Vlricum S. Galli abbates bellum. Sed, hoc tempore, hic Othonem epiſcopum Conſtantienſem; ille Berchtoldum Zeringum auxiliares habuere. Berchtoldus ſuas, & Augienſis copias bifariam diuiſit, expediuitq́;, partem Adelgezoni ſtrenuo militi, ac militiæ duci, tradidit, qui Turgouiæ ſuprema, & quidquid S. Gallenſium ſiniſtrâ Acronij eſt, Goſſouiam, Heriſſouiam, reliqua Rheticarum alpium, Vrnacum vſq;, populatus, villas, vicosq; incendit, prædam maximam inde expulit. Ab alterâ laci ripâ paria exſecuti Berchtoldus, & Egkhardus, vſq; ab Brigantio Conſtantiam, Lentienſium tractū, Epiſcopo haut mediocria damna fecerunt, nihilq́; intactum reliquerunt, Marckdorffo quoq; direpto, & incenſo. Nec multo poſt, quidquid reliqui fuit, Burcardus Nellenburgienſis, in Egkhardi fratris gratiam, exſcidit, & corrupit. Eâdem tempeſtate, obijt Vlricus comes Lentzburgienſis, etiam diues, vt auus, cognominatus. Et ſane eius amplæ & raræ tunc temporis opes. Tenebat enim comitatus

Heinricus Romæ coronatur ab Clemẽte antipapa.

A. D. N. CIↃ LXXXIV.

In Germaniam redit, præſidio Romæ relicto, quod peſtilentia breui exſtinguit & Clemens expellitur.

Bellum inter abbates S Galli, & Augiæ, & huius auxiliator Berchtoldus.

Vrsbergenſis abb. Chronica Augiæ, S Galli, Mart mst.

Vlrici Comitis Lentzburgenſis, et Richenſæ Habsburgenſis mors.

mitatus duos Lentzburgienſem, & Aquenſem, ſiue Badenſem, præter opida Surbſe, Sempacum, Tugium, cum externâ iuriſdictione. Eum ſecuta paucis poſt diebus vxor Richenſa Habsburgienſis.

Lentzburgiorum potentia.

Succeſſerunt filij Vlricus Lentzburgi, Arnoldus Badæ, Rudolfus Tugij comites. Tradit chronicon Murenſe, hoc ipſo tempore, Sueuiæ militem in Heluetiam tranſiſſe, & Berchtoldi in Burgundiâ caſtrum, quod Cæſariani obſidebant, non fortiter ſolum liberâſſe, ſed hoſtium deinde aliquot arces expugnauiſſe, prorſus cum prædâ, & gloriâ ad Zeringum reuerſos eſſe.

Berchtoldus Othonem Conſtãtiâ expulit. Gebhardum fratrem, Hirſaugiæ monachum Epiſcopum, eius nominis III. inſtituit conſenſu Hermanni regis, ad probatione pontificis.

Exeunte anno, auctoritate, & gratiâ Hermanni regis, & ducis Velfonis ope, expulit Berchtoldus Othonem Conſtantiæ epiſcopum, Gebhardumq; fratrem, qui Hirſaugiæ monachum agebat, inſtituit, XI. Kal. Ianuarij. Ipſum Gregorius pontif. confirmauit per Cardinalem Oſtienſem tum in Germaniâ legatum. Otho in exſilio naturæ conceſſit.

Conuentus Quinctilyburgienſis.

At vero Germaniæ Catholici epiſcopi, præſidente eodem legato Oſtienſi, Quinctilijburgi, primo Clementem, dein Heinricum, & omnes eius Epiſcopos, & ſectatores, anathematis damnârunt: Conuentus, vice versâ, Maguntiaci præſente Heinrico, Gregorium, & Hermannum, falſum pontificem, regemq; declarauit.

A. D. N. CIↃ.LXXXV.

Variæ inde, vt ante, ſed contentiones atrociores. Et eatenus Vernerum inter, & nepotes Lentzburgienſes pax, & amicitia ſtetit, ſiue matris Richenſæ reuerentia, & preces continuerant.

Bellum Lentzburgienſium nepotum contra Vernerum.

Vbi ea morte defuncta eſt, nepotes auunculo bellum intulere, maternæ hereditatis obtentu, quam, mortuis ante Adelberto, & Othone fratribus, pro parte fraudâſſe arguebant. Sed cauſſa præcipua, quæ tum Imperium totum exercebant, factiones erant; his Heinricum ſectantibus: Vernero auxilia Zeringo agnato, contra Hermanni regis hoſtes, ſuppeditante, qui eius ſectatorum fortiſſimus, & opulentiſſimus.

Vaſtata primo impetu quæ dederat fors. Poſtremò Vernerus paci, & pietati, quam bello, & diſcordijs pronior, ſatisfecit. Miſcuerat ſeſe bello, Habsburgienſis in gratiam, Luitolfus Regensbergenſis. Ne ideo detrimentum aliquod monaſterio Muri inde, & eius contentionis occaſione, adueniret, aduocationem reliquerat, monachisq́; legendi alium aduocatum poteſtatem. Subſtituerunt, ſequenti anno, baronem Richuinum à Ruſſeckuicinum. Acta de Luitolfo. *Qui cum paruo tempore, hoc in loco præfuiſſet, propter bellum, quod fuit inter Vernarium Comitem, & nepotes eius de Lentzburg dimiſit aduocatiam, monuitq́; fratres, vt ſibi alium aduocatum prouiderent. Illi autem alium ſibi accerſiuerunt in aduocatum, ſcilicet Richuinum de Ruſſecâ.* Obierat Gregorius conſtantiſſimus pontificum, illiq́; Victor ſucceſſerat, & breui diſceſſerat. Eo mortuo, Vrbanum II. pontif. ſublegere, qui rebus Eccleſiæ reſtituendis quamprimum inuigilandum ratus, in Apuliam ad conuentus agendos cum Cardinalibus abijt, Melphisq́; primum concilium habuit. Ibi Clementem, & Heinricum, ceterosq́; eorum fautores, confirmatis Gregorij, & Victoris decretis, eſt deteſtatus. Exſtat epiſtola ad Gebhardum Conſtantienſem epiſcopũ, in quâ inter cetera ait, *ſe primùm Rauennatem antiſtitem, ſedis Apoſtolicæ inuaſorem diris deuouiſſe, deinde eos qui armis, pecuniâ, conſilio, aut obedientiâ Eccleſiaſticos honores ab ijs accipiendo, ſocios ſe ſceleris fecere; tum eos qui eorum congreſſu vtantur, ſine pœnitentiâ in ſocietatem non eſſe recipiendos cenſuiſſe.* Quinq; tantum per ea tempora Catholici in Germaniâ epiſcopi, Gebhardus Conſtantienſis, Hermannus Mediomatricum, Altmannus Bataulj, Adelbero Herbipolitanus, & Vernerus Mersburgienſis. Dum hæc fermè fiunt, Zeringenſis cognitâ Vlrici abbatis, quem Aquileiæ Heinricus, Luitolfi Carinthiæ ducis, & Marquardi Iſtriæ marchionis

Gregorij pontif. mors, & ſucceſſio.

Vrbanus II. Gregorij, & Victoris pont. f. decreta contra Heinricũ &c. confirmauit.

A. D N. CIↃ.LXXXVI.

Nauclerus. Sigonius.

Catholici Epiſcopi in Germaniâ.

Zeringenſis S. Galli monaſterium, & quidquid pene eius fuit vaſtauit.

chionis fratrum precibus, patriarcham inſtituerat, abſentiâ, inſito, & perpetuo erga fratres, ob eumdem Carinthiæ ducatum odio, Monaſterium S. Galli oppreſſit, diripuit, incẽdit, Roſacum quoq;, & proximos vicos populatus eſt. Heinricus vero in Italiam contra Vrbanum exercitum duxit, ibiq; annos fermè ſeptem, variâ fortunâ, egit. Cum Mantuam veniſſet Arnoldum S. Galli monachum, contra Gebhardum Zeringenſem Conſtantiæ epiſcopum inſtituit, Vlrico abbati per vim, ſi aliter nequiret, Conſtantiâ, & Epiſcopatu potiatur, imperauit. Ciues vrbem, cum milite adequitantem, telis, fundiſq; repulere. Igitur quæ ante mœnia erant diripuit Vlricus, & incendit. Cum prædâ recedentes inſecuti Conſtantienſes, quidquid S. Gallenſium fuit, ad ipſorum vſq; opidum, inflamauere. Eoſdem mox S. Gallenſes ſpolijs onuſtos, & vindictâ lætos, incurioſoſq;, apud Taurum flumen oppreſſerunt. Multi interfecti, alij capti, & in S. Galli opidum rapti. Exciuit ea clades in fratris opem Berchtoldum, qui, ſubitâ manu, non ſolum quæ abbatis erant, vt ſæpius antea, ſed etiam ciuium bona, & villas incendit, & exſcidit, nihilq; non hoſtile exercuit. Agitârant hactenus Murenſes monachi Ruperto priore, ſine abbatis titulo, & dignitate, creueratq; monaſterium opulentiâ, libertate, priuilegijs, vt eo honore dignuum arbitrarentur. Quamobrem Comitem Vernerum deprecati ſunt, eâ in re, vti in ceteris, auctorem ſe, & adiutorem præberet. Quod cum annuiſſet, ad Giſelbertum ſcripſit, qui Gotfridum ſecundum abbatem miſit. Acta. *Fratres autem qui hic fuerunt dicentes locum liberum eſſe, hic debere eſſe abbatem, rogauerunt ſupra dictum Comitem, vt adiuuaret eos, quatenus poſſent ipſimet habere abbatem. Cuius obtentu venit huc tunc Gotfridus à Cellâ S. Blaſij. Hic fuit ſecundus abbas iſtius loci, vir valde relligioſus, ac*

A. D. N. CIƆ. LXXXVII.

Heinricus in Italiam redijt, Arnoldum S Galli monachum contra Gebhardum Conſtantiæ epiſcopum inſtituit.

Qui fruſtra armis vrbem tentauit. A. D N. CIƆ.LXXXVIII. Chron. S Galli, & Muri. ms.

Gotfridus Muri abbas II. ope, & auctoritate Verneri. A. D N. CIƆ. LXXXIX.

monaſticæ vitæ inſtitutor probatiſſimus. Ingraueſcentibus hinc magis, ac magis per Germaniam, & Heluetiam, Elſatiamq; factionibus, & Imperatore abſente, bellis: cum haut æquè, quam neceſſitas poſcebat, Richuino baroni aduocato facultates protegendi ſuppeterent, querellasq; frequentes ad Vernerum monachi ferrent, ipſum etiam iam alienationis pœniteret Richuino in remunerationem Schuartzenberg dedit; aduocationem reſumſit. Poſtremo multis Regulindæ vxoris precibus, & monitis, Nonis Februarij, Oltingam liberos Othonem, Adelbertum, Itamq;, & eius maritum Rudolfum à Thierſtein, nepotes etiam Lentzburgienſes Comites Vlricum, Arnoldum, & Rudolfum, alios totius regionis viros principes plurimos adſciuit, horumq;, & in primis Regulindæ coniugis conſenſu, & voluntate Murenſe Monaſterium ſecundò manumiſit, & in eam conditionem libertate donauit, vt ius aduocationis eius, & poſterorum eſſet. Illam natu maior Habsburgienſis ſtirpis, vti iam ab initio Vernerus epiſcopus conſtituerat, ab abbate acciperet, non vindicaret, vt hereditariam. Eâ formâ inſtrumentum factum, omniumq; ſigillis munitum Egkhardo baroni à Kuſnach ad lacum Tigurinum tradidit, qui porro Romam portaret, ſuoq;, & ſuorum nomine ad D. Petri Apoſtolorum principis altare conſecraret, daret, dicaret. Nulla in Egkhardo mora fuit. Romam vectus pontificem non offendit. Vrbanus enim II. per Italiæ turbas, & factiones, & Cæſaris odium, perſecutionemq; in Galliam receſſerat, & apud Clarum Montem Aruerniæ concilium indixerat. Cardinales qui ad Vrbem erant Egkhardum benignè accepere, laudataq; inter tot impia per Italiam, & Germaniam facinora, probra, ſacrilegia, Comitis Verneri egregiâ pietate, & integritudine, ſumtoq; in protectionem S. R.Ec-

Vernerus aduocationem Murenſem ab Richuino recipit.

Monaſterium iterum liberum pronũciat. aduocationem ſibi, & poſteris retinet.

A. D. N. CIↃ.XCI.

Echardum baronẽ à Cuſnach qui D. Petro conſecraret Romam miſit.

Cardinales qui in Vrbe Monaſterium in S R. Eccleſia protectionem ſuſceperunt in eamq; rem baroni literas dederunt.

R. Eccleſiæ monaſterio, cum literis, quibus tranſacta teſtabantur, baronem domum remiſere. Sed his ſuper negotijs poſtremo audiamus ſcriptorem Actorum. *Richuing itaq; aduocatus, cum non admodum poſſet tueri locum, fratres vero ſæpiſſimè Vernario cauſſas ſuas, & neceſſitates conquererentur, cum non poſſet eorum ferre inſtantiam, pœnituiſſet quoq; eum locum iſtum à ſe penitus ſeparâſſe, tam hortatu, & rogatu fratrum, quam etiam ſuâ voluntate, dedit prædium quoddam, quod vocatur Schuartzenberg, eidem Richuino, recepitq; ab eo aduocatiam in ſuam poteſtatem. Deinde cum ad villam Oltingen x perueniſſent pene cuncti comprouinciales principes, venit illuc cum Luitfrido abbate, & eius quibuſdam monachis, conſtituitq; ibidem, & confirmauit, in conſpectu omnium, vt qui ſenior ſit in filijs ſuis aduocatiam accipiat ab abbate; non pro aliquo proprio iure, vel hereditate, ſed ſecundum ſcita priuilegij cuncta accipiat, cuncta faciat, cuncta defendat. Cumq; hoc firmâſſet, commendauit idem Comes locum, & omnia ad ipſum pertinentia in manus cuiuſdam nobilis viri, nomine Eghardi de Kuſnach, caſtello quodam, quod eſt eſt iuxta Turicinum lacum, vt ipſe ſuper altare S. Petri Romæ omnia traderet, eo pacto, vt, ſingulis annis, circa medium Quadrageſimæ aureus nummus, qui duos nummos, & dimidium monetæ de Thurego appendat, perſoluatur. Qui cum Romam veniſſet, neſcio quid cauſſæ extiterit, quod non potuit adire papam, ſed ipſe omnia, ſicuti ſibi commendatum fuit, impleuit, ac cenſum perſoluit, intimauitq; cuncta ritè, & perfectè Cardinalibus, qui tunc Romæ fuerunt: Cumq; hoc audiſſent, gauiſi ſunt valdè, ſcripſeruntq; chartam libertatis, & miſerunt huc, quæ ita ſe habet.* IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. *Nos Cardinales Romanæ Eccleſiæ notum facimus omnibus CHRISTI fidelibus, quod egregius Comes VERNHARIVS DE HABSBVRG cum vxore, & filijs ſuis, monaſterium, quod Mure dicitur,*

x Vicus eſt dextro Vocetij latere.

Exemplum literarum R. protectionis.

tur,

tur, in honore S. Martini conſtructum, de iuris ſui dictione, in ius ſedis Apoſtolicæ emancipauit, ipſumq; cum omnibus ad hoc pertinentibus, per manus Eghardi nobilis viri, ſuper altare beati Petri, vt moris eſt, contradidit legitimè; videlicet pro redemtione peccatorum ſuorum, & vxoris ſuæ REGVLINDÆ, & filiorum, parentumq; omnium. Eâ autem conditione, prædictus Comes hanc traditionem fecit, vt idem monaſterium ſub ditione, et in defenſione ſedis Apoſtolicæ maneat in perpetuum, omni eâ libertate, quâ & alia huiuſmodi libera ſunt monaſteria. Ita tamen vt ſingulis annis deinceps aureus denarius in tributum, de eodem monaſterio, Apoſtolicæ ſedi perſoluatur. Hoc factum eſt, Nonis Februarij, per Comitem VERNHARIVM in manus prædicti viri nobilis Eghardi, adſtantibus viris nobilibus, Vldarico Comite, fratribusq; eius Arnolpho, & Rudolfo, alijsq; quam pluribus. Eo quidem pacto facta eſt hæc donatio, & traditio, vt iam dictus Eghardus petitionem dicti Comitis adimpleret, & eamdem traditionem, quam ſcribi fecerat, ſuper altare Sancti Petri, quod & factum eſt, poneret. Notificamus autem omnibus, vt nullus vmquam, temerario auſu, hoc donum audeat contraire. Quod ſi, quod abſit, euenerit, quiſquis ille ſit, ſuper ſe Omnipotentis iram DEI ſentiat, & perpetuò beati Petri, & noſtram maledictionem. Contrario, fauentibus, & volentibus per auctoritatem beati Petri datam diuinitùs perpetuam benedictionem.

AMEN. Atq; hactenus quidem Acta, ſiue Actorum, quod ſupereſt fragmentum. Cetera deſunt, ſi quæ ſunt. Nam vix multo vltra progreſſum reor. Quæ, etſi ſtilo qualem tempora ferebant, interſerenda putaui, antiquitatis cauſsâ, ſimul in argumentum, contra tot HABSBVRGIENSIS familiæ, & AVSTRIAE DVCVM, & ARCHIDVCVM originis nouos architectones, qui optimos Principes, ſuâ vaniloquentiâ, temerè huc vſq;, varijs eorum de ortu, & ſtirpe figmentis, & ſomnijs, an adulamentis,

tis, induxiſſe, & circumduxiſſe, quiq; dum dicerent, & gratiam pararent, & pretium, quæ dicerent, & vnde, ſusq́;, deq́; habuiſſe videntur. Deniq; pietatis mercedem vti oſtenderem, quando ex hoc Murenſi monaſterio, & Heremitarum antiquiſſima, certe tutiſſima, HABSBVRGIENSIVM COMITVM memoria. Vrbanus pontifex, Concilio Claromontano, inter alia, clarâ, & memorabili oratione, expeditionem Syriacam, & bellum ſacrum contra Saracenos ſuaſit, & perſuaſit, auctore, & concitore Petro Heremitâ Hiſpano. y Cui bello ne nomen daret, opesq́; conferret Vernerus Habsburgienſis mors obſtitit. Sed cum deniq; finem adeſſe cognouit, adſcitis ex Elſatiâ, vbi tum fere morabantur, filijs, pauca de exitu ſuo præfatus, extremo, quia Othonis turbidum ingenium, contra Adelberti modeſtiam, ſuſpectabat, de concordiâ multa addidit, ſimul temporis admonuit. Imperij, & Germaniæ graues motus oſtendit, qui aduerſum conſtantes, & inter ſe fidos fruſtra eſſent, vtrumq;, ſi diſcordarent, facile opprimerent. Pronis auribus, abſq; ijs, quæ de exceſſu erant, omnia fratres accepere, ſpemq́; magnam ex ſe patri reliquerunt. Ipſe paucis poſt diebus mortuus eſt. A. D. N. CIↃ.XCVI. Aetatis nono, & ſeptuageſimo, & Muri ſepultus. III Eidus Nouemb. Vernero in Commẽtarijs Latzius z Hildegardim Ferretenſem dat vxorem. Eamdem Pontus Heuterus, & de Rhoo attribuunt, nominantq́;. At clarum ex ſupradictis, REGVLINDAM vocari Verneri coniugem, de gente, vt controuerſum ſit. Quod ſi in hoc hiſtorico conſeſſu arbitrari liceat, NELLENBVRGIENSEM credam fuiſſe. Argumentum habeo, quod cum Vernerus monaſterium Muri manumiſſurus, vt ad eam rem oſtendimus, liberos, cognatos, & adfines adſciuiſſet, videam quoq; adfuiſſe Burcardum Comitem Nellenburgi, Re-

Vrbanus pontif ſacram expeditionem perſuaſit.
A. D. N. CIↃ XCV.
Gulielmus Tyrius lib. i. cap xv.
Cõtinuator Aimonis lib. v. cap. xlviij.
Paull. Aemilius lib iv.
Ioannes Mariana de reb Hiſp lib x. cap v.
y Albertus abb. Stadenſis chr.
Genebrardus lib. 4. chronolog.
Trith. chr. Hirſ.

Verneri mors & ſepultura.

z Lib. viij.

De eius vxore errores.

gi, Regulindæ patrem, aut potius fratrem. Filium præter Othonem, & Adelbertum, adiungunt ijdem Lazius, de Rhoo, chronicaq; Heluetiæ, & Elſatiæ, Vernerum Argentinæ epiſcopum. Probabilius, quam Heuterus, qui ipſum Comitem, de quo huc vſq; egimus, Vernerum, poſt vxoris interitum, ſacris initiatum, & Epiſcopum Argentinenſem deinceps factum adſerit, quamuis etiam chronicon Elſatiæ cum priore Vernero miſcet, & confundit. Sed nullus hoc tẽpore catalogo epiſcoporum Argentinenſium Vernerus. Vana igitur, & confuſa vtriuſq; opinatio eſt. Quod etiã Lazius, & ex illo Eintzingerus, & Heuterus, Vettingenſis monaſterij auctorem ferunt hunc comitem Habsburgienſem, in eodem hærent. Compertum quando eſt centum viginti poſt annis de illâ Vettingenſi fabricâ primum cogitatum, Heinricum vero Comitem Raperuillæ poſuiſſe, quod ſupra etiam oſtendimus, & alibi probauimus. Sed præter OTHONEM, & ADELBERTVM. I. filia quoq; illi nata ITA quam Rudolfo Comiti à Thierſtein, non Bernardo, vti putat Menlius, nuptum datam diximus.

Item Argentinenſi epiſcopatu.

Et Vettingenſi fundatione.

Liberi eiuſdem.





OTHO

OTHO II. COMES HABSBVRGI, Elſatiæ Landtgrauius. Cap. II.

PRIMVS annus OTHONIS nobilis fuit per expeditionem Occidentalium principum in Aſiam, & tranſmarinas prouincias, recuperandis locis, terriſq;, quos veſtigio, ſuaq; præſentiâ, vitâ, & ſanguine illuſtrâſſe ante omnes, & conſecrâſſe Chriſtus ſeruator noſter piè creditur, ducibus maximè Hugone Magno Philippi Francorum regis fratre, & Gotfrido duce Bullionij, Bohemundoq; Apuliæ principe. Illi multis terrâ, mariq; periculis, ingentibus prœlijs, vrbium inſignium expugnationibus, captis poſtremo Hieroſolymis, Chriſtianæ pietatis hoſtes Syriâ, poſt annum expeditionis quartum expulere, regemq; primum Orientis Gotfridum iuſſere, XVII. Kal. Auguſti. [a] Heinricus interea tantæ gloriæ, & regnorum expers, ex Italiâ, quam diu adflixerat, Ratisbonam, inde Maguntiacum venit, vbi cum principibus paucis conſilia pacis agitauit. Poſtea Heinricum filium, contra Cunradum natu maiorem, qui numquam ab Vrbani pontif. & Catholicorum principum auctoritate, & conſilijs diſceſſerat, Aquiſgrani Cæſarem coronandum curauit. [b] Ea iniuria ita Cunradum adfecit, vt paullo poſt extabuerit. Pleriq; venenum ſuſpexere. Conuentu rurſum ſuæ ſectæ principum Maguntiaci celebrato, concilium generale indixit ad Kal. Februarias anni ſequentis, cuncta poſtremo componendi, quæ inter ipſum, Romanoſq; pontifices intercederent. Deſiderium quoq; oſtendit, relicto in Germaniâ Heinrico, traducendi in Syriam exercitus. Quæ præclara in ſpeciem, mox, occultis, & contrarijs conſilijs, corrupit. Die enim conſilij neq; ipſe interfuit, nec expeditionis tranſmarinæ curam habuit, principeſq; com-

Principum Chriſtianorum nobilis, & glorioſa in Orientem expeditio.

Gotfridus primus Hieroſolymorum rex.

[a] A. D. N. CIↃ. XCIX.

Heinricus Heinricum F. Cæſarem deſignauit.

[b] A. D. N. CIↃ. C. I. Vrsberg. Nauclerus, Sigonius.

Maguntiacenſis conuentus, & in eo Heinrici deliberata.

Vana, & perfida.

Perpetuo anathemate reprobatur. c *A. D. N. CIↃ.C.II.*

plures, quos ad itineris ſocietatem incenderat, ſolitâ perfidiâ, eluſit. At Epiſcopi Italiæ, pleriq; Germaniæ, cum ad vij. Kal. Aprilis c fruſtra exſpectauiſſent, ſacris deniq; perpetuo interdixere, ſuperiorumq́; pontificum cenſuras, & anathemata confirmauere. Cum igitur Heinricus ſenior omnia humana, & diuina iura falleret, proculcaretq́;, pleriq; omnes principes rebellionem, & ab eo diſceſſum minarentur, manifeſtum regni periculum eſſet, Heinricus

Ab eo Heinricus filius diſcedit.

Cæſar F. impulſus eſt, vt à patre diſſideret, & ad Paſcalem pontificem, qui Vrbano ſucceſſerat, & Catholicorum partes tranſiret, auctore maxime Theobaldo Vogburgienſi, & pleriſq; Bauariæ, Allemanniæ, Franconiæ proceribus.

Quem excommunicatione Gebhardus abſoluit.

Ab anathemate, quo, quamdiu patrem ſecutus eſt, obligatus tenebatur, abſoluit ipſum Gebhardus Epiſcopus Conſtantienſis, pontificiæ ſedis tunc per Germaniam legatus.

d A. D. N. CIↃ.C V. Dodechinus ſupplemẽto ad Marianũ.

d Facto Hinc Nordhauſiæ Saxonum conſilio, cum nullâ regni cupidine parentem deſeruiſſe, ſed diuinæ cauſſæ, & publicæ tranquillitatis ſtudio, & bono, pontificiæq; dignitatis reuerentiâ, adiurâſſet, hæreſes eorum temporum

Conuentu Nortbauſiano factorum rationem reddit.

damnâſſet, diſſenſiones aboleuiſſet, Germaniam exercitum circumduxit. Dato ad poſtremum cum patre apud Maguntiacum colloquio, cum ad ſanitatem filius multis adhortatus eſſet; ſi faceret; ſeſe porro regnum non moraturum, & in eius poteſtate futurum adſeuerauiſſet; cum nihil pater, niſi generali ordinum decreto, facturum reſpondiſſet, comitia totius regni in dies natalitios, eodemq́; loco

Fridericus II. dux Sueuiæ.

promulgata. Eodem tempore, defecit Fridericus comes ab Hoheſtauffe, primus ſuæ familiæ Sueuiæ dux, belli artibus inſignis, Heinrico ſeniori ad noxam vſq; fidelis. Succeſſit filius Fridericus II. Vnoculus. Ceterum natalitijs

Comitia Maguntiaci frequentia, quibus Heinrico Cæſ. regnum confirmatum.

diebus, magno, & celebri omnium ordinum Maguntiaci conuentu, principes Heinricũ V. Cæſarem declarauerunt, commu-

Digitized by Google

communiq; conſenſu confirmatum contra patrem regnare iuſſere. Miſſi ad ſeniorem, qui ſe in arcem Ingelheim abdiderat, ornamenta regni qui poſcerent, referrentq;: Ijs ſubito filium induere, auctoribus maximè Albanenſi epiſcopo, & Gebhardo Conſtantienſi, pontificijs legatis: Tum quoq; Heinriciana, & Clementina hæreſis, cunctis adprobantibus, condamnata, decretumq;, vt Epiſcopi hæretici ſedibus deturbarentur, mortui ſepulturis eruerentur, qui ab ijs inſtituti eſſent, vſq; ad concilium generale, functione ſubmouerentur. Lecti quoq; qui ad Paſcalem legarentur egregiâ virtute Epiſcopi, in quibus, vti legationis princeps, Gebhardus Conſtantienſis. Heinricus ſenior cum ſe deinceps æternæ ſaluti conſulturum, ceterorum curam omiſſurum promiſiſſet, Leodicum ſeceſſit. Vbi, longâ imperandi adſuetudine, aut inſitâ perfidiâ, bellum contra filium reparantem, & populos ſollicitantem, extrema hora oppreſſit. vij. Eidus Auguſti, ingenti omnium gaudio. Vnde abbas Vrsbergenſis, auctor haut omnino malus. *Miſerabile eſt*, inquit, *dictu, tanti nominis, tantæ dignitatis, tantiq; animi virum, ſub profeſſione Chriſtianâ mundum tantopere lucratum, nec ad inſtar cuiuſlibet pauperis defuncti pium, vel compaſſiuum à quauis inter tot Chriſtianos perſonâ promeruiſſe, ſed potius vniuerſos tam ibidem, quam vbiuis verè Chriſtianorum corda ſimul, & ora, infinito nimis tripudio, ſui oblitos rumore repléſſe*. His Paſcalis ad conſtituendam Eccleſiam iam erectior, vt Auguſtam Vindelicorum, quo ab Cæſare accerſebatur, veniret, ſe in viam dedit. Cum interea Heinricum ab remittendis Eccleſiarum ordinationibus abhorrere, nec ſatis Germanos placatos eſſe accepiſſet, in Galliam deflexit, & Trecas concilium indixit. Superatis mediâ hieme Alpibus Cluniaci natalitia celebrauit. Conuentu Trecenſi, cum alia multa Eccleſiæ detrimenta

A. D. N. CIↃ. C. VI.

Alia in ijs decreta.

Heinrici ſenioris mors, & ex illâ publica lætitia.

Paſcalis acta.

Naucl. Sigonius lib. x.

Concilium Trecenſe.

A. D. N. CIↃ. C. VII.


reparata, tum ſacerdotiorum collatio rurſus, ingenti conſenſu, laicis ademta. Heinrico per legatos ius in eo ſuum minui, iam inde vſq; ab Carolo M. retentum, expoſtulanti ſpatium datum Romam adeundi, &, generali in concilio, cauſſam ſuam probandi. Sub hoc ferme tempus Otho Habsburgienſis rebus humanis eſt ereptus. Diſcordia enim inter ipſum & baronem à Buttenheim Heſſonem nata proceſſit eo, donec, animis incitatis, Comes baronis vulnere in ipsâ Buttenheim arce occidit. A.D.N. CIↃ.C.IX. vi. Eidus Nouembris. Alij dicunt fuiſſe baronem Heſſonem ab Vſſenberg Briſiacæ, qui trucidarit. Corpus Muri ſepultum. In errore conſueto Latzius, & Heuterus qui in Saxoniâ, cum Heinrico IV. militantem perijſſe tradunt. Ijdem tribuunt coniugem Hillam Ferraranam ex quâ VERNERVM. II. & ADELHEIDIM *Comitis ab Homberg, & Fricktal coniugem* ſuſceperit. Gerardus ab Rhoo filium alterum facit Rudolfum, qui ſine liberis finierit, itemq; chronographi Heluetiæ, & Elſatiæ. De filijs duobus, & nomine conuenit. Adelheid non illa Comiti ab Homberg tradita, ſed Emiconi (Menlius Gulielmum vocat) ab Hunenberg comiti nupſit, teſte Murenſi geneſi.

Othonis cades; & ſepultura.

Coniux, liberi.

Othonem haſtiludijs interfuiſſe Auguſta Vindelicorũ admodum adoleſcẽtem, an. 1080. notauit Armorum rex.

VERNE-



VERNERVS II. COMES HABSBVRgi, Elſatiæ Landtgrauius. Cap. III.

POST interitum patris, ſucceſſit VERNERVS, ſub tutelâ Adelberti patrui. Eâdem tempeſtate, comitijs regni Ratisbonæ habitis, Italicenſem expeditionem in proximum Iulium indixit, coronæ, & imperij ornamentis ſumendis, mox prouinciæ componendæ. Bipartito exercitu viam ingreſſus; ipſe per montem Penini, quem maiorem S. Bernardum vocamus, in Italiam deſcendit, & cum eo, inter plures, Adelbertus Habsburgienſis; partem per ſaltum Tridentinum præmiſit. Romam v. Eidus Aprilis Dominicâ Quaſi modo anni inſequentis D. N. CIↃ. C. XI. intrauit, pacem, & amicitiam cum Paſcali pontif. datis inuicem obſidibus, fecit. Pontificis nomine dedit Petrus Leonis filium Gratianum, & duos, alterum ex filio, alterum ex filiâ, nepotes. Cæſar vero Hermannum marchionem Badenſem, comites ad hunc Gotfridum

à Caloe,

Heinricus Caſ. in Italiam proficiſcitur.

A. D. N. CIↃ C. X.

Romam ingreſſus pacem cum Paſcali fecit, datis vtrinq; obſidibus, in quibus fuit, nomine Caſaris Adelbertus Habſ.

Dodechinus ſupp. Mar.

à Caloë, Volmarum Hombergenſem, & Adelbertum Habsburgienſem. Inde coronam ab eodem Paſcali, pridie Eidus eiuſdem menſis accepit. Eodem anno, & die, obijt Berchtoldus II. Berchtoldi. I. filius, dux Zeringiæ primus, Germaniæ principum ſui temporis facile princeps, pace, belloq; clariſſimus. Male Gebuillerus, & nonnulli alij Birchtilone, de quo ſuperius memorauimus, [e] genitum tradunt. Berchtoldi mentionem habet Otho Friſingenſis epiſcopus inſignem, cum diuiſionis Allemanniæ, quam ante tetigimus, retuliſſet, *Berchtoldus iſte*, inquit, *quamuis in hoc negotio, imperio ſimul, & iuſtitiæ ceſſerit, tamen ſtrenuiſſimus, & fortiſſimus fuiſſe traditur. Vnde, & adhuc ab antiquioribus de ipſo dicitur, quod ſi quando nuncius aliqua triſtia ipſi apportans, ſecundum quod fieri ſolet, hæſitare voluiſſet, dixerit. Dic, dic: Scio enim quod deniq; læta, triſtia; vel triſtia præcedant læta. Quare tantumdem mihi eſt, primo audire nubiloſa, cum poſtmodum auditurus ſim ſerena; quam primo, auditis ſerenis, poſt auditurus ſim nubiloſa. Magna vox, & viro forti digna, qui natiuorum volubilitatem, ſine literis, naturali percipiens ingenio, nec in diebus bonorum, immemor malorum eleuatus; nec in diebus malorum, immemor bonorum fuit fractus.* Præceſſerat ipſum morte frater Gebhardus Epiſcopus Conſtantienſis, & legatus per Germaniam Apoſtolicus, pridie Eidus Nouembris, anni ſuperioris, egregiâ quoq; relictâ per Imperium, & Romanam apud ſedem memoriâ ſui. Berchtoldus reliquit ex Agnete, Rudolfi Romanorum regis contra Heinricum IV. electi filiâ, (Latzius ignarè dixit Velfone Altorffenſi genitam) Berchtoldum III. & Cunradum duces Zeringenſes. Berchtoldus, & Rudolfus pueri exſtincti ſunt. Agnetem filiam, (Menlius per errorem Brigittam vocat) quam Stephano Audaci, aut Capitis Audacis, comiti

Berchtoldi II Zeringenſ obitus.

A. D. N. CIↃ. C. XI.

e *Lib. iv. cap. i. & ij.*

Eiuſdem ex Othone Friſingēſi laus. lib. i. cap. viij.

Rerum humanarū inconſtantia, & volubilitas.

Gebhardi fratris exitus.

Berchtoldi vxor, & liberi, & ſepultura.

miti Burgundiæ collocauit, ex quâ Gulielmus natus, cognomento Puer. Addit alteram filiam Luitgardim Menlius, quæ nuptum tradita Gotfrido comiti à Caloe Vtam Velfonis coniugem peperit. Vnde Geringenſium, & Velforum prima neceſſitudo. Sepultus eſt apud S. Petrum Harciniæ ante altare S. Crucis, quod monaſterium A.D.N. CIↃ. XC. ædificare magno ſumtu cæpit: Dedicauit Gebhardus frater tertio poſt anno, Kal. Auguſti: Berchtoldus filius perfecit. Agnes coniux maritum ſecuta eodem anno, xix. Kal. Decembris, & prope Berchtoldum condita. Heinricus, peractâ Romæ coronatione, in Germaniâ redux, Spiræ, menſe Septembri, patris exſequias, poſt annum eius interitus quintum, magnâ principum frequentiâ, egit. Inde Argentinam aſcendit, & conuentum proximorum principum fecit. Interfuerunt enim *Albertus Moguntinus, Bruno Treuerenſis, Cunradus Saltzburgenſis archiepiſcopi, Burcardus monaſterienſis, Bruno Spirenſis, Cuno Straſburgenſis, Adelbero Metenſis, Richardus Virdunenſis, Eberardus Eiſtatenſis, Vlricus Conſtantienſis, Rudolfus Baſilienſis epiſcopi, Fridericus dux* Sueuiæ Vnoculus, *Herimannus marchio* Badenſis, *Godefridus Comes de Caloe, Fridericus comes de Zulrâ*, alij. Compoſitis hinc, inde Germaniæ rebus, Maguntiacum regreſſus nuptias cum Mathilde Angliæ regis filiâ celebrauit, [f] quam impuberem penes ſe iam aliquot annis habuerat, eduxeratq; vt ſuam. Mox ad ſuperiora Rheni rediit. Baſileæ dies plures ſubſtitit. Vernerus Comes occaſionem ratus, quod pater, auusq; nequiuerant, ille ob breuem vitæ terminum, & regis abſentiam: hic per Germaniæ, & Imperij diſcidia, Imperatorisq; exſecrationes, & bella, ad Heinricum adijt, vtq; ſuum Muri monaſterium, quod, vt maiores, ipſe quoq; ſuper altare S. Martini, DEO. op. max. Virginiq; matri, & Apoſtolorum prin-

cipi,

Zeringenſium, & Velforū adfinitas, & cognatio.

Monaſterium S Petri Harciniæ.

Agnetis quoq; exceſſus et ſepultura.

Heinricus in Germaniâ exſequias paternas celebrauit.

Conuentum Argētina habuit. Principes regni q. in eo.

Inſtru ab eo ibid. data præcipue Heremitarum. vij. Nonas Octob. Ind. iv regni vi. Imp i.

Nuptias Maguntiaci celebrauit. f *A. D. N. CIↃ. C. XIV.*

Baſilea Murenſe monaſterium rogatu Verneri in ſuâ protectionem recepit.

cipi, veræ æternitatis cupidine dediſſet, dicâſſetq́; in ſuam, & Imperij tutelam acciperet, protegeretq́;, deprecatus eſt, comitante pariter, & idem obſecrante Adelberto patruo. Suſcepit haut inuitus Heinricus, eiusq́; rei hoc reſcriptum dedit, Adelberto inter teſtes poſito. *In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente clementiâ, quartus Romanorum Imperator Auguſtus. Omnium ſanctæ DEI Eccleſiæ fidelium præſentium ſcilicet, & futurorum cognoſcat induſtria, quod in regno noſtro regulare quoddam monaſterium ſitum eſt, in prouinciâ ſcilicet Burgundiæ, in Epiſcopatu Conſtantienſi, in pago Argouue dicto, in Comitatu Rore, quod Mure nuncupatum eſt, quod tempore Cunradi Imperatoris in honore S. Martini Epiſcopi conſtructum eſt, & honorifice DEO dicatum eſt, à Vernhario Strasburgenſi Epiſcopo, parente* g *ſcilicet Vernharij Comitis de Habsburg. Nunc autem idem Comes, à quo præfatum monaſterium, ſiue abbatia, hereditario iure, poſſeſſa eſt, nutu DEI tutus, & inſtinctus, ipſum ſcilicet locum Mure, cum omnibus nunc in præſentiarum, ſeu quarumcumq; rerum, ex toto ſuper altare S. Martini reddidit, delegauit, & contradidit Domino DEO, S. MARIÆ, S. Petro Apoſtolo, S. Martino Epiſcopo, & S. Benedicto in proprietatem, & poteſtatem prædicti monaſterij abbati, nomine Luitfrido, eiusq́; ſucceſſoribus in diſpoſitionem liberam. &c. Huius rei teſtes ſunt Burcardus Monaſterienſis Epiſcopus, Rudolfus Baſilienſis Epiſcopus, Vido Curienſis Epiſcopus, dux Fridericus* Sueuiæ Vnoculus, *dux Berchtoldus* Zeringiæ, *Comes Gotfridus palatinus* Rheni, *Hermannus marchio* Badenſis, *comes Arnolfus de Lentzburg, Rudolfus frater eius, Adelbero comes de Froburg, Adelbertus Comes de Habesburch.* &c. *Datæ iiij. Nonas Martij, Ind. vij. Anno Dominicæ Incarnationis M.C.XIIII. regnante Heinrico quinto Romanorum rege, anno viij. imperante III. Actum eſt Baſileæ in Chriſto feliciter. Amen.* Inceſſerat,

Ex ipſo autographo.

g Parentem poſuit pro conſanguineo, noto nunc quoq; et vulgato Gallis Italis, Hiſpanis intellectu, Ita quoq; auunculus pro quocumq; propinquo, patruo etiam.

rat, eodem tempore, ingens inter abbatem Heremi, & Suitenſes de finibus controuerſia. His Rudolfus Lentzburgienſis Tugij dominus iungebatur ex fœdere, præfecturaq́;, quam apud eam communitatem tunc gerebat, tum vero ſuos quod limites verſus Tugium perſtrictos quoq; quereretur. Illi Vlricus comes Raperſuillæ Heremitarum aduocatus aderat. Gero ex Comitibus Froburgi Heremi abbas ſæpius iam Suitenſes finium regundorum arceſſierat, ab ijs valles, monteſq́; paſcuos per vim, vltra terminos, teneri. Abnuerant ſemper iudicium Suitenſes, inſito libertatis ſtudio, an, vt ferebant, poſſeſſionis antiquitate. Contra Gero abbas Othonis I. & Heinrici I. Impp. reſcripta in ſuum fauorem, & decreta oſtendebat, & quos pegerant terminos, jis parerent. Diu hæc vtrimq; agitata, ſumtis quoq; in re præſenti arbitris, qui terminos requirerent, fineſq́; regerent. Poſtremo Heinricus, & ipſe conſultus, ſecundum Heremitas, *æquo iudicio optimatum, ac fidelium ſuorum pronunciauit, adſtantibus, & collaudantibus, Burcardo monaſterienſi epiſcopo, Rudolfo Baſilienſi Epiſcopo, Vlrico Conſtantienſi Epiſcopo, Vidone Curienſi Epiſcopo, Eppone Nouarienſi epiſcopo, ducibusq́; Friderico* Sueuiæ, *Berchtoldo* Zeringiæ, *Godefrido palatino Comite* Rheni, *Hermanno marchione* Badenſi, *Arnolfo de Lentzburg, & Vlrico, Adelberone de Vroburch, Adelberto de Habesburch, Rudolfo de Friccâ, Berchtoldo de Nuringâ, Frederico de Zulrâ, alijsq́; multis. Data vi. Idus Martij, Ind. vij. Anno dominicæ Incarnationis M.C.XIIII. regnante Heinrico quinto.* &c. *Actum eſt Baſileæ* &c. Haut me Zeringenſium, & Habsburgiorum geſta, famam, & dignitatem clarius prodere poſſe arbitror, quam ſi eorum frequentibus inſtrumentis, actionibusq́; publicis præſentiam adnoto, oſtendoq́;, adeoq́; principalibus in negotijs, & expeditionum euentis interfuiſſe, ſæpius rerum geſta-

Lis inter Suitenſes, & Heremitas de finibus Imperatorio iudicio termi nata.
Ex inſtr. Heremi.

Digitized by Google

rum teſtes, plerumq; participes, multo partem maximam,

Conuentu Maguntiacẽſi omnibus omnia Imperator promittit.
A. D. N. CIↃ. C. XV.

tamquam regni principes, & primores. Comperto, non paucos defectionem meditari varias ob cauſſas, Heinricus partim amicorum ſuaſu, tum querellis omnium Maguntiaci rurſum comitia egit, quibus aditum omnibus, ſatisfactionem ad obiecta, iuuenilium delictorum emendationem promiſit. Inde maliuolentiam quorumdam princi-

In Italiam redit.

pum declinans in Italiam abijt, varijsq; cum Pontificibus ob iuriſdictionem, & collationem beneficiorum certami-

A. D. N. CIↃ. C XVI.
Turbæ per Germaniam.

nibus renatis, bello quoq;, & Gelaſij in Galliam fugâ, cum illi Calliſtus II. ſucceſſiſſet, nouaq; in eum decreta, & anathemata per Cunonem epiſcopum Præneſtinum Coloniæ,

Quæ ad eius inopinatum regreſſum mitigantur.
A. D. N. CIↃ. C. XVIII.

& alibi promulgâſſet, Comitijs, quæ Herbipoli principes eam ob rem indixerant, relictis in Italiâ copijs, inopinatus adparuit, plerisq; ſatisfecit, magnam ſpem de cetero omnibus reliquit. Eodem tempore, & A.D.N.CIↃ.C.XVIII. condere cæpit Berchtoldus III. ex vico in Briſiacâ per metallarias officinas haut infrequenti, nobilem, & eximiam

Berchtoldus Friburgum in Briſiaca haut procul Zeringa condidit.

vrbem haut procul arce Zeringâ, quatuor ſcilicet paſſuum millibus, quam FRIBVRGVM vocari voluit. Heinricus vero poſtremo, Vormatienſi conuentu, h cum pontifice

h ix. Kal. Octob.

Calliſto in gratiam redijt, inueſtituram, vt vocant, per anulum, & virgam reſignauit, regalium, & beneficiorum confirmationem ſibi, & Imperio ſeruauit. Pacis huius,

Heinricus tum Põtifice Calliſto in gratiam redijt, Pacem inter Eccleſiã, & Imperium confirmauit.
A. D. N. CIↃ. C. XXII.
Pacis, & concordiæ inſtr. Heinrici Imp.

quia memorabilis, & per tot bella, & exſcidia quæſita, & tamdiu deſiderata, apponere inſtrumentum, pretium exiſtimaui, eo lubentius quia inter teſtes Vernerus. Heinricus ita ſe obligauit. *In nomine ſanctæ, et indiuiduæ Trinitatis. Ego Heinricus DEI gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore DEI & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domini Papæ Callixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto DEO, & ſanctis DEI Apoſtolis Petro, & Paullo, ſanctæq; Catholicæ*

Eccleſiæ

Eccleſiæ omnem inueſtituram per annnulum , & baculum , concedo in omnibus Eccleſijs, quæ in regno, vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem , & liberam conſecrationem , poſſeſſiones , & regalia B. Petri , quæ à principio huius diſcordiæ , vſq; ad hodiernam diem, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo, ablata ſunt , quæ habeo , eidem Romanæ Eccleſiæ reſtituo : quæ autem non habeo , vt reſtituantur fideliter curabo . Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum , & principum , & aliorum tam clericorum , quam laicorum , quæ in guerrâ iſtâ amiſſa ſunt, conſilio principum , vel iuſtitiâ , quæ habeo , reddam ; quæ non habeo, vt reddantur , fideliter iuuabo. Et do veram pacem domino papæ Callixto , ſanctæq; Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in partibus eius ſunt , vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulauerit a me , fideliter iuuabo , & de quibus fecerit mihi querimoniam debitam ſibi faciam iuſtitiam. Hæc omnia acta ſunt conſenſu , & conſilio principum , quorum nomina ſubſcripta ſunt. Adelbertus archiepiſcopus Moguntinus , Fridericus archiepiſcopus Colonienſis , H. Ratisbonenſis epiſcopus , Otto Bambergenſis epiſcopus , Bruno Spirenſis epiſcopus, H. Auguſtenſis epiſcopus, Godebaldus Traiectenſis epiſcopus, Vldaricus Conſtantienſis epiſcopus , H. Fuldenſis abbas , Heinricus dux Bauariæ, *Fridericus dux* Sueuiæ, *Bruno dux* Saxoniæ, *Dietboldus marchio* Cambienſis à Vochburg, *Gotfridus palatinus comes* Rheni, *Otho palatinus comes* à Vietelsbach, *Engelbertus marchio* Iſtriæ, *Beringarius comes* Habsburgi, *Theodoricus comes* Montisbellicardi, *& alij complures*. Mox, toto imperio vnanimi principum voto, & omnium deſiderio, & gaudio pacem promulgauit. Eodē anno cum fortè Berchtoldus Zeringus Molzheimium, Elſatiæ inferioris opidum tranſiret, à ciuibus noctu oppreſſus, & interfectus eſt. Ex Sophiâ Heinrici Nigri Bauariæ ducis filiâ nulli nati liberi. Tranſlatus eſt ad D. Petri Harciniæ, & æde Capitu-

Otho Friſ. lib vij. cap xvi. Guitelm. Tyrius lib i. cap. xiij. Platina. Panuinius, Volaterranus, Nauclerus, Trithemius.

Berchtoldi Zeringi cædes. Eodem anno.

li, ante abbatis ſedem ſepultus, quod monaſterium, vt ſupra diximus, pater condiderat, ipſe perfecerat, dedicâratq́; A. D. N. CIↃ. C. XIII. XI. Kal. Octobris. Succeſſit Cunradus frater. Sophia Leopoldo Stiriæ marchioni ſecundò nupſit, & Othagarum marchionem vltimum generauit. Heinricus interim Imp. peragratâ Germaniâ, cum omnibus ius, & iuſtitiam, iudiciumq́; dare, conſeruare, reddere moliretur, Argentinæ Chriſti conſeruatoris noſtri natalitia celebrauit. Eo principes plures Lotharingiæ, Burgundiæ, Elſatiæ, Rhenanarum partium conuenere. Adfuit & Cunradus baro, & eques à Seldenburc, vtq́;, quem Angelorum Montem monaſterium apud Siluanios conſtruxerat, in ſuam protectionem ſuſciperet, impetrauit. *V. Kal. Ianuarij, Dominicâ, Lunâ viiij. Ind. iij. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXV. Teſtes fuerunt Anſericus Biſuntinenſis archiepiſcopus, Geroldus Lauſanenſis epiſcopus, Vldaricus Conſtantienſis epiſcopus, Berchtoldus Baſilienſis epiſcopus, Arnoldus Spirenſis epiſcopus, Stephanus Metenſis epiſcopus, Bruno Argentinenſis epiſcopus, alij quoq; principes, Cunradus dux* Zeringiæ, *Gulielmus comes* Burgundiæ, ſiue Viennenſis, & Salinenſis, *Gotofridus palatinus* Rheni, *Rudolfus comes de Lentzburg Adelbertus comes de Habesburch, Adelbero comes de Froburc, Vernerus comes de Hohenberg.* Anno ſequenti ineunte, cum forte in Auenticis ageret Gulielmus comes, Stephani, & Agnetis Zetingiæ F. cognomento Puer, cui, præter Burgundiæ comitatum, Auenticenſes, Antuates, & alia plura in Heluetiâ, & minore Burgundiâ parebant, inimicorum fraude, prope Paterniacum, cum multis nobilibus, inter quos Petrus, & Vlricus Glanæ Comites, nefariè v. Eidus Februarij obtruncatur. i Eius morte intellectâ, Reginaldus Matiſconenſis, & Cabellionenſis comes, proximus agnatus, quæ reliquerat, armatâ manu, ſubito corripuit, fruſtra

Sepultura. Cunradus frater ſuccedit.

Imperator Argentina conuentum habuit. A. D. D. CIↃ. C. XXV.

Multi in eo principes.

Ex autographo.

Gulielmi Comitis Burgundiæ, nefaria cædes A. D. N. CIↃ C XXVI.

i Ex monumentis monaſt. Alta ripa prope Friburgum in Auenticis, quod Comites Glanæ olim nobiliſſimi condiderunt.

fruſtra contra nitente imperatore Heinrico, & ſi quæ prætenderet, iure ageret, Imperijq́; principum, quatenus ea Imperij beneficia erant, ſententiam exſpectaret, edicente. Ille opum confidentiâ, ſtemmatisq́;, & regij, quem ferebat ortus, indignum reputando alteri ſubeſſe, & ad mandata obſequi, inſitæ animo vanitati cetera cuncta poſthabuit. Igitur Heinricus, habito principum conſilio, ipſum proſcripſit, vt rebellem, & contumacem, comitatuq́; Burgundiæ, & ceteris in Auenticis priuauit, cuncta fiſco, & camaræ adiudicauit, factoq; exercitu, cui Cunradum Zeringenſem præfecerat, in Burgundiam duxit. Reginaldo magna ſpes in Montione arce. Eam bello ſedem, ſitu, & operibus munitam legit, fido, & forti milite, commeatuq́;, & alijs in vſum firmauit; poſtremo illâ ſe quoq; incluſit. Itaq; eo copias omnes Imperator vertit, & cuncta mœnia exercitu circumuenit. Crebræ hinc eruptiones, & miſſilibus, & telis diu, ac noctu certabatur. Deſtinatum erat Reginaldo non ante deditionem facere, quam commeatus deficerent, horum abundantiâ, & interea tædio, Heinricum obſidione diſceſſurum, aut conditiones tolerabiles daturum. Nam expugnari poſſe animum non inducebat, quod contra fuit. Diebus enim aliquam multis per obſidium toleratis, deniq; vires omnes, & opes in expugnationem Zeringenſis intendit, ingentiq́; clamore, miſſiliumq́;, & tormentorum ſtrepitu, & vulneribus præſidiarios repulit, & in arcem introrupit. Reginaldus captus, & Spiram, poſt Argentinam deductus, ceteri ferro necati. Argentinæ, principum conuentu facto, cum multis multa ſuaderent, pleriq; in Reginaldi fauorem diſſeruere, adoleſcentis, & egregiæ, vt videbatur, virtutis, bonitatiſq́;. Quamobrem omnium penè precibus omnia pollicentem, liberum Imperator eſſe iuſſit, Burgundiæq; Comitatui reſtituit,

Reginaldus comes Matiſconenſis velit ſta ab eo occupat.

Qui ab Imperatore proſcribitur.

Bello petitur, ductore Imperatorij exercitus Cunrado Zering.

Obſidetur in Montione caſtro. Vrsberg. chr.

Et expugnatur, Reginaldus capitur.

Burgũdia reſtituitur.

Heinrici mors.

Lothariuſ.II.Imp. A. D N. CIƆ. C.XXVII.

tuit, ſexto menſe, quam in cuſtodiâ habuerat. Hinc, domitis, qui rebellarant, Vangionibus, dum ad Rheni inſulas conuertitur, Traiecti abſumtus eſt, xv. Kal. Iulij. Principes Imperij, regijs Vormatiæ comitijs, Lotharium Saxoniæ ducem, Cæſarem II. nominauere iij. Kalend. Septembris, coronauit Eidibus eiuſdem menſis Aquiſgrani Fridericus archiepiſcopus Colonienſis, non abſq; competitoribus Friderico Sueuiæ duce, Heinrici defuncti ex ſorore nepote, Leopoldo Auſtriæ marchione, & Carolo Flandriæ Comite. Bellum ex illo ortum per partes, Friderico maximè, & Cunrado eius fratre Franconię duce rebellantibus. Sed interuentu, & auctoritate D. Bernardi Claræuallis abbatis in gratiam Bambergæ, in comitijs, vtrumq; Lotharius recepit. Reginaldum, eodem tempore, & nouo rege, nouarum quoq; rerum lubido inuaſit, ſimul nupera damna, cuſtodiaq; talium inſolentem animum ſtimulabant: Et, ſine liberis defuncto Heinrico Imp. qui auitâ hereditate Burgundiam ſibi vindicabat, quin iure & ipſe, non ſolum beneficio, totius Burgundiæ iam potiretur, non videbat rationem, aut cauſſam. Igitur ſacramentum Lotharij accipere iuſſus, renuit; Sui ſe iuris, aliena imperia non morari. Burgundiæ ſemper reges fuiſſe. Titulo abſtinere, cetera regni habere. [k] Germanos non ex æquo, bonoq;, ſed præcedentium regum, & Comitum vecordiâ, ignauiaq; Burgundiam vſurpare. Fuerit Heinrico Imp. poſtremo, ex auitâ hereditate ius, & pars; illo abſq; herede exſtincto, eodem cuncta redire. Non importunè à ſe detractari, quod per iniuriam exigatur. Addebat alia, iuuentâ, & ambitione, mox fautoribus præceps. Lotharius, acto apud Spiram conuentu, cui pleriq; Burgundiæ optimates interfuerant, Reginaldum rurſus proſcripſit, Burgundiæ adminiſtrationem Cunrado Zeringo, qui proximam Minori

Principum contra rebellio.

Et rurſus concordia

Reginaldus iterũ rebellat.

Aliquot rationibus, & cauſſis.

k *Imo pro rege geſſiſſe ſe memorat Guntherus lib x.* regemq; ſuperbus agebat.

Iterum ab Cæſ. Lothario proſcribitur Burgundia Cunrado Zeringenſi traditur.

nori

Digitized by Google

nori Burgundiæ præfecturam Imperij Tigurinam regebat, opibuſq;, & militiæ laude plurimum valebat, dedit, non modo, tamquam Comitis Gulielmi ex ſorore nepotis legitimo heredi, ſed in præmium quoq;, & ſumtum, pro ſe geſti contra Fridericum, & Cunradum Allemanniæ duces, & Franconiæ paullo ante belli. Inde Rectoris, & Ducis etiã Burgundiæ titulo, aduocatiq; Tiguri, ipſe, poſteriq; vſi: Burgundiaq; transiurana iterum, poſt tot tempeſtates, ſuos duces habere cœpit. Ex eâdem pariter occaſione, plurimorum annorum, & cruenta per partes bella, non ſine Habsburgienſibus, Cunradi propinquis, & Minoris Burgundiæ ex Germaniâ venientibus, obuijs, & primis; quorum bellorum cauſsâ nonnullas in Burgundia Minori arces Cunradus alias nouas condidit, vt Morgeam in Antuatibus: alias inſtaurauit, vt Minniduri, & Ebroduni, poſteri verò etiam opida poſuerunt, vt in tempore oſtendemus.

A. D N. CIↃ.C.XXVIII. Dodechinus. Chron. Vandalia ms.

Zeringenſes ex eo duces & Rectores Burgundia.

Inde quoq; bella longinqua.

Notat chronicon Murenſe, hoc quoq; tempore Adelbertum Habsburgienſem bellum in Elſatiâ habuiſſe, Monaſterium in ſuis vineis, & ædificijs damna haut mediocria tuliſſe, quibus de cauſſis, & contra quem, non item memorat.

Adelbertus Habsburg. bellum in Elſatia habuit.

Eâdem prope tempeſtate, obijt Arnoldus ſenior, qui & Arnolfus, comes Lentzburgi, Vlrici, & Richenſæ F. Reliquit filios quatuor Vlricum, Arnoldum, Vernerum, & Cunonem, qui etiam Badæ [1] Comites nominati, quod viuente, & regente Lentzburgi patre, Badæ ferme agitarent, & Richenſam filiam, quæ Hermanno Comiti Kiburgienſi tradita nuptum.

Arnoldi Lẽtzburgi Comit s mors. A. D N. CIↃ. C. XXIX.

[1] Ex inſtr fundationis monaſterij Vara ad Lindemagum.

Lotharius vero, menſe Februario, Baſileæ conuentum principum habuit, & epiſcoporum eius præcipuè tractus. Adfuerunt Anſericus archiepiſcopus Veſontionenſis, Bruno Argentinenſis, Vldaricus Conſtantienſis, Otho Halberſtatenſis epiſcopi, Rudolfus Augiæ, & Berchtoldus Murbaci abbates. Cunradus

Lotharius Baſilea conuentum egit vicinorum ferme primatum. Chronic. Baſ lib ij. cap. xv.

Diplomata ibid. data.
A. D N. CIↃ C. XXX.
Hermāni II. march. Badenſis mors. Eod. an.

dus Zeringus, Hermannus marchio Badenſis, Sigebertus Elſatiæ inferioris, Vlricus Egesheimēſis, Adelbertus Habsburgienſis, Vernerus à Thierſtein, Berchtoldus Neoburgienſis, comites, alij. Paucis poſt menſibus obijt etiam Hermannus II. marchio primum qui ab opido Bada vxoris ſumſit, vſurpauitq; titulum. Sepultus eſt Beckenauiæ monaſterio à ſe condito. Reliquit filios Hermannum III. & Albertum.

Lotharius Innocentium reſtituit, & ab eo Imperialem coronam accepit.

m A. D N. CIↃ C XXXIII.
Dodechinus Sigeberti ſuppl. Sigon. lib xi.
Filiam Bauariæ duci copulauit.
A. D N. CIↃ. C XXXIV.
Gebuillerani templi dedicatio.

Lotharius poſtea Romam profectus cum exercitu Innocentium pontificem contra factionem Petri Leonis ſedi apoſtolicæ reſtituit. Ab eo imperialia ornamenta m iij. Nonas Iunij accepit. Mox in Germaniam redijt, peractiſq; Coloniæ feſtis natalitijs, Mersburgi magnâ ſollennitate, & pompâ filiam Gertrudam Heinrico Superbo Bauariæ Duci collocauit ferijs pentecoſtes. Interea dedicauit Gebhardus Argentinenſis Epiſcopus Gebuillariæ in Elſatiâ Eccleſiam, *in præſentiâ, Comitum Adelberti Habsburgienſis, Rudolfi Lentzburgienſis, & Arnulfi filij, Volmariq; Hombergenſis*, vt docet dedicationis inſtrumentum.

Rudolfi Lētzburg. Com interitus.
A. D N. CIↃ C. XXXVI.

Et Lentzburgienſi Rudolfo alteri Richenſæ, & Vlrici filio, haut diuturna ab illo vita ſuperfuit. Reliquit filios tres Vldaricum, Rudolfum, & Arnolfum. Ita ſeptem, duobus ex fratribus, tunc Lentzburgi, & Badæ Comites ſuperſtites. Sed Lotharius rurſus in Italiam, magnis Innocentij precibus, profectus, Anacletum falſum pontificem, & Rogerium eius protectorem totâ Italiâ expulit, rebusq; præclarè geſtis, cum Germaniam victor, & triumphator repeteret, graui, & exitiali morbo repente oppreſſus, in viliſſimâ Aenum inter & Licum fluuios casâ, pridie Kal. Octobres defunctus eſt, non minus pietatis, quam fortitudinis laude celeberrimus. De eo enim antiſtes Vrsbergenſis. *Erat ſtrenuus belli ductor, præcipuus in armis, prouidus in conſilio, terribilis inimicis DEI, & ſanctæ Eccleſiæ, veritatis ami-*

Lotharius ſecundò in Italiam exercitum duxit.
A D. N. CIↃ C XXXVII.
Vitaq; exceſſit.
Eius laudes, & præclara memoria.
Tritheniꝰ chr. Hirſ. Auctor libelli de Guelphis alijq; plerique.

cus,

Digitized by Google

cus, iuſtitiæ ſocius, qui quamdiu vixit totum Romanorum Imperium titubare non potuit. Et Petrus Diaconus homo Italus, Lotharij æqualis. *Erat cæcorum baculus, eſurientium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio, atq; ita in ſingulis eminebat virtutibus, vt omnes perfecte haberet.* Rarâ in Principe laude, & quam iſtic in exemplum adponere volui. Interregnum per menſes ſex fuit. Poſtremo conuentum principes indixerunt ad proximam pentecoſten Maguntiacum. Sed cum eo Heinricum Bauariæ, &, poſt Lotharij ſoceri exceſſum, Saxoniæ ducem, qui etiam imperij inſignia penes ſe habebat, magnâ manu venturum, & per vim regnum inuaſurum vererentur; multi procerum in primis Adelbero, Treuerenſis, Arnoldus Colonienſis, Buggo Vormatienſis, alij, & inter eos, Cunradus dux, cum fratre Friderico, ante condictum diem, circiter mediam quadrageſimam Confluentię Rheni conuenere, ibiq; eumdem Cunradum Fr̃aconiæ ducem, dixere regem, III. Eidus [n] Martij, præſente Theodeuino Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato. Aquasq; Grani maturè ductum coronauerunt, xiv. Kal. Aprilis. Heinricus Bauarus ad illa, Cunradusq; Zeringus, & alij primorum: Saxoniæ maxime proceres, & Palatinus Rheni, qui electioni non interfuerant, turbare, eamq;, vt vanam, aſpernari. Inde perniciosum inter Zeringenſem, & Fridericum, Friderici ducis filium exortum bellum. Confecto Fridericus exercitu, Tigurum inopinatò circumuenit, paucisq; diebus expugnauit, præſidium impoſuit, Cunradum, totâ præfecturâ, deturbauit. In Briſiacam raptis, eâdem celeritate, copijs, Zeringam arcem munitiſſimam cæpit, & quidquid, ijs partibus, firmum, & Zeringo fidum ſubiugauit, itàq;, breuiſſimo tempore, imparatum, & nihil minus, quam bellum ab eo ſperantem oppreſſit, & attriuit, vti Cunrado patruo deditionem facere

Interregnum.

Cunradus II. Imp.

n A. D N. CIↃ. C. XXXIX.

Ciuile inde bellum ab competitoribus. &

Exitiabile inter Fridericum Friderici ducis F. & Zeringenſem Cunradum diſcidium.

Otho Friſ. lib. i cap. xxvi. de geſt. Ahenobarbi.

Zeringiſſi deditio.

Fridericus III. dux Sueuiæ.

coegerit. Mortuo interea Friderico Vnoculo, ſucceſſit in Sueuiæ Ducatu, idem, de quo memorauimus, Fridericus, cui Barbaroſſæ, ſiue Ahenobarbo, poſt Imperatori Itali fecere cognomen. Cæſar, perducto ad officium Zeringenſi,

Argentinenſis conuentus.

Germanicis rebus conſtituendis, Argentinæ principum concilium, menſe Aprili, & Maio agitauit. Ibidem priuilegia monaſterij Fabariæ confirmauit Vicramo abbate.

Ex Schudij chr.

In præſentiâ Alberonis archiepiſcopi Treuirenſis, Ortliebi epiſcopi Baſilienſis, Friderici ducis Sueuiæ, *Cunradi ducis* Zeringiæ, *Matthæi ducis* Lotharingiæ, *Hermanni marchionis de Bathâ, Adelberti comitis de Habesburch, Volmari Comitis de Homberch* &c. *v. Kal. Iunij, ind. II.* Eodem die, & loco Heremitarum quoq; regalia adprobauit, precibus Verneri I. abbatis,

Ex autograph.

adſtipulatione præſentium regni principum, videlicet archiepiſcoporum Alberonis Treuirenſis archiepiſcopi, & apoſtolicæ ſedis legati, Biſuntinenſis archiepiſcopi, Stephani Methenſis epiſcopi, Alberonis Leodienſis Epiſcopi, Ortlibi Baſilienſis epiſcopi, Bucconis Vormatienſis epiſcopi, Embrichonis Vuirceburgenſis epiſcopi, Varneri Monaſterienſis epiſcopi, Friderici ducis Sueuiæ, *Cunradi ducis*, Zeringiæ, *Matthæi ducis* Lotharingiæ, *Herimanni marchionis* Badenſis, *Berchtolſi comitis Nuringæ, Friderici comitis* Zollerani, *ceterorumq; fidelium*, &c. *Anno Dominicæ Incarnationis, Milleſimo, centeſimo, trigeſimo nono, Indictione ſecundâ v. Kal. Iunij regnante Cunrado Romanorum rege ſecundo. Anno vero regni eius ſecundo. Data Argentinæ.*

Cunradus ſecundum ſe Romanorũ regẽ nominat, etſi duo ipſum Cunradi præiuerunt. Eius rei cauſſa.

Id obſeruandum, quod ſecundum Romanorum ſe regem Cunradus nominat, cum duo tamen ipſum anteceſſerint Cunradi, magnæ vterq; virtutis, & regiæ dignitatis. Sed Cunradum primum non videtur inter Romanorum reges numerare, quod finibus Germaniæ non exceſſerit, Italiam non ingreſſus ſit, non Romam in poteſtate habuerit, aut ibi coronam receperit. Cuius iudicium quidam ſcriptores,

cupidius

cupidius neſcio, an arrogantius, amplexi, eo quoq; audaciæ, an vecordiæ prouecti ſunt, vt Heinricum primum Aucupem dignum Magno Othone parentem, eâdem de cauſſâ, ex Romanorum regum albo expunxerint, contra tot poſtea Heinricorum Impp. reſcripta, & diplomata. Sed de his fortè, & id genus alijs, alias. Anno ſequenti, Cunradus exercitum contra Bauarum duxit Vinsberg caſtrum Velfonis, Heinrici fratris, obſidione cinxit. Ibi Verneri abbatis Heremi etiam bona confirmauit, & poſſeſſiones, quas in vico Rumlang agri Tigurini, Eberhardus, & Iuditha eius coniux, communisq; filius Heinricus monaſterio donauerant, teſtesq; huius rei idoneos adhibuit, *quorum nomina hæc ſunt Theodeuuinus ſanctæ Rufinæ epiſcopus Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus, Baldemarus Laurishaimenſis abbas, Hermannus marchio* Badenſis, *Adelbertus comes* Habsburgienſis, *Poppo comes, Verinherus comes de Baden, Vdalricus de Lenzíburch, Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, centeſimo, quadrageſimo, indictione iij. xvij. Kal. Decembris. Regnante Cunrado Romanorum rege ſecundo, Anno vero regni eius tertio. Actum eſt in obſidione caſtri Vuinberch*, quo bello, & oppugnatione illud memorabile referunt. Cum enim deditionem facere propugnantes coegiſſet Cæſar, ſolisq; feminis auferendi licentiam, quæ libuiſſent, indulſiſſet, cetera in prædam, & cædem militi permiſiſſet, mulieres, liberis, & ceteris poſt habitis, maritos Caſtro humeris exportauere, raro, & nobili debilioris, & infidi ſexus, coniugalisq; amoris experimento, quarum fidem, & dilectum, repugnante licet Friderico nepote, qui de viris mentionem nullam habitam volebat, non ſolum Cunradus probauit, ſed impunem, & laudabilem declarauit. Eâ expeditione factâ, domum reuerſus Adelbertus Habsburgienſis decubuit, &, vitâ fortiter geſtâ, exceſſit anno ſequenti ingre-

Vinsberg arcem obſedit.
A. D. N. CIↃ. C. XL.

Quæ deditur memorabili feminea fidei exemplo.

Trith. hiſt. Hirſaug.
Scriptor de Guelphis.

Adelberti Habsburgienſis obitus.
A. D. N. CIↃ. C. XLI.

diente, Regum, & Imperatorum, vt ex pluribus inſtrumentis hactenus oſtendimus, comitatu, & bellicis expeditionibus clariſſimus. Abſq; fuerit, an vxorem habuerit, non reperi. Biennio ferme poſtea, A. D. N. CIƆ C. XLIII. iij. Eidus Nouembris obijt quoq; Vernerus, Adelberti nepos, haut magnâ, & ſingulari memoriâ ſui, niſi in Murenſis monaſterij, & relligionis ſtudio, & zelo, auitis inſiſtendo veſtigijs. Manlius, & Gebuillerus aiunt Vettingæ ſepultum, cuius monaſterij locupletator, & fautor præcipuus fuerit. Sed vanum id eſſe, & falſum, ſuprà quoq; oſtendimus, cum, multis poſt annis, Vettingenſis monaſterij poſita ſint fundamenta, tempore videlicet Friderici II. Sane Vettingæ plures Comites Habsburgienſes ſepulti, ſed fere ex Lauffenbergenſibus, vti poſtea videbimus. Vernerus igitur Muri quoq; conditus, relictis filijs, VERNERO III. & RVDOLFO, quorum alter patri ſucceſſit, alter breui eſſe poſt eum deſijt, vterq; ex ITA ab Homberg. Verneri comitis filiâ, Rudolfi nepte. Homberg arx ſedes Comitum eiuſdem nominis, & origo, in valle Friccenſi ſita eſt. Veterem dixerunt ad nouæ diſcrimen, quam condiderunt comites poſteâ, ſiniſtro Iuraſſi latere, quo in loco inferiorem Hauuenſtein vocant, è regione fere Caſtri Froburgi. Hombergenſium Comitum antiqua, & clara memoria. Ipſi Eccleſiæ, & Epiſcopatus Baſilienſis aduocati, & protectores erant. De Vernero enim ſupradicto, ita eius temporis inſtrumenta anni M. C. XXV. *Vernerus Baſilienſis Eccleſiæ aduocatus.* Anni vero CIƆ. C. XLI. *Vernerus Comes aduocatus Eccleſiæ Baſilienſis.* Aliud exſtat apud S. Albanum Baſileæ, in quo diſertim gentis nominatio, Anni. CIƆ. C. XXCIV. *Vernerus comes de Homberch aduocatus Eccleſiæ Baſilienſis.* Erat Verneri filius, Itæ frater. Poſtquam Comites Hombergenſes defecerunt; Arx vetus ad comites Habsbur-

Itemq; Verneri.

De eius ſepulturâ quorumdam error.

Vxor, & liberi.

Homberg vetus, & noua.

Comitum Hombergenſium claritudo.

Chron. Baſil lib. i. cap. x.

Digitized by Google

Habsburgienſes, Lauffenbergæ dominos, & inde ad principes Auſtriacos: noua, ad Epiſcopatum Baſilienſem, cuius erat beneficium, recidit.



VERNERVS III. COMES HABSburgi, & Elſatiæ Landtgrauius. Cap. IV.

NON me fugit, qui hactenus HABSBVRGIENSIVM originem, ſtemmaq; prodidere, omnes VERNERVM III. hunc, de quo agimus, Vernero II. natum ignorâſſe, aut vtriuſq; nomen, vitamq; in vnum contuliſſe, patrem, filiumq; eumdem putâſſe. Maior apud me fides libelli fundatorum Murenſis Monaſterij, ſuper antiqua inſtrumenta. Is libellus expreſſim Vernero Othonis filio, non Adelbertum, vt illi; ſed Vernerum, iſtum ſcilicet, quem proponimus, & Rudolfum [illegible] filios:

Inſcite Vernerus hic à pleriſq; omiſſus.

lios: Hoc eodem porro Vernero Adelbertum natum. Sic enim genealogiam ducit, cum Othonem, & ex eo genitum Vernerum memorâſſet. *Ita de Thierſtein, ſiue Homberg genuit Vernerum, & Rudolfum de Habsburg. Idem Vernerus genuit Adelbertum, Gerthrudem de Mimpelgart, Richenſam de Fierrito.* Quod vocat Verneri matrem, quam Hombergenſem ſuperiori capite diximus, *Itam de Thierſtein, ſiue Homberg*, id quoq; crediderim, eâ maximè ratione dictum, quod, etiamſi diuerſæ omnino eædem familiæ fuerint, & vtraq; comitiuæ dignitatis, in eâdem tamen antiquitus valle Friccæ arces Thierſtein, & Homberg ſtetere, connexiq; adeò fuerunt hi tres comitatus Thierſtein, Homberg, & Rhinfelde, vt limitarem apud lapidem, prato, cui Efermat nomen eſt, comites conuenientes, conuerſis inter ſe tergis, quiſq; in ſuum dominium reſpicere potuerit. Ceterum, pacatâ Bauariâ, Cæſar frequentem Argentinæ conuentum principum egit.

Argentinenſis conuentus.
A. D. N. CIↃ. C. XLIV.
Qui præcipue primorũ apparuerint.

Ibi enim interfuere, præter ceteros, *Embricus Virceburgenſis, Burcardus Argentinenſis, Ortliebo Baſilienſis epiſcopi: Berchtoldus Murbacenſis, Vilibaldus ſtabulenſis, Fridericus Augienſis, Valterus Selſenſis abbates. Fridericus Sueuiæ, Cunradus Zeringiæ duces: Hermannus marchio Badæ, Rudolfus de Homberg, Volmarus de Froburg, Vernerus de Habesburch, Othelricus de Gameringe, Euecarius de Kurchberg, Berchtoldus de Callendin, Ludouicus de Oetingen, Theodoricus de Montbilingard, Othelricus de Egesheim, Sigifridus de Bonnenburg in Saxonia, Adolfus de montibus in Vueſtfalia, Simon de Sarburg, Berchtoldus de Nuenburg Comites, Berchtoldus de Tãneckâ, Heinricus de Rhinfelden, Cunradus de Crenchingen, Heinricus de Cuſſenberg, barones*, alij plures.

Ex diplomatis illic conceſſo.

Goſuillæ ædis dedicatio.
A. D. N. CIↃ. C. XLV.
Ex inſt. dedicat.

Sequenti anno, dedicauit Hermannus Conſtantienſis Epiſcopus templum Goſuillæ Vindoniſſenſium *in præſentiâ Cunonis abbatis de Murâ, & Verneri Comitis de Habesburch.*

Sed

Cunradus ſacræ militiæ nomen dat. A. D. N. CIↃ. C. XLVI.

Sed Cunradus, rurſum Spiræ comitijs habitis, primus Germanorum ſacræ militiæ nomen dedit, auctore Eugenio pontif. oratore, & legato D. Bernardo Claræ vallis abbate. Exemplum ſecuti pleriq; Germaniæ principes, eo intentius quod prioris expeditionis expertes fuerant. Ferunt tantũ curſum ad videndum D. Bernardum eſſe factum in eam vrbem, vt illum ſuis humeris Cæſar attollere, ne ab circumfusâ multitudine comprimeretur, fuerit coactus. Igitur

Expeditionem cœpit. A D. N. CIↃ C. XLVII.

pridie Nonas Februarij, ineuntis anni, expeditioni ſe Cunradus accinxit, cum Friderico nepote, & Guelfone ducibus, hoc Bauariæ; illo Sueuiæ, alijsq; principibus permultis. Adfuiſſe illi dicuntur ſuper pedites, millia equitum ſeptuaginta, adeo vt ad Eugenium ſcripſerit D. Bernardus, *Exhauriri vrbes, & opida, nec temere inueniri quem ſeptem mulieres virum vnum præhenderent.* Magnus apparatus, & ſpes, euenta haut perinde proſpera, Emmanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris fraude, & inuidiâ. Redijt enim an-

Euentus parum felix.

no proximo in Germaniam Cunradus, nullâ re prope geſtâ, copijs fermè omnibus, inediâ, aeris intemperie, ciborum inſolentiâ, barbarorum incurſu, exhauſtis, non ſine Chriſtiani nominis, toto Oriente, magno decremento, & propè contemtu. Inde, cum ſe coronæ accipiendæ, tum Inſubriæ, & Apuliæ non tam conſtituendis, quam recuperandis in Italiam trãſiturum iurâſſet, repentino morbo oppreſſus, non ſine veneni ſuſpicione à medicis, dolo malo Rogerij, dati, xv. Kal. Martij vitâ Babenbergæ exutus eſt, ſecundo, & quinquageſimo anno duodecimi ſeculi, cum Imperatoria ornamenta Friderico nepoti tradidiſſet, eâ conditione, vt, ſi iudicium ſuum probauiſſent Germaniæ proceres, Sueuiæ ducatum Friderico filio adoleſcentulo permitteret. Principes Francofurti, magnâ omnium exſpectatione, & voto, iij. Nonas eiuſdem menſis Fridericum

Redit in Germaniam. A. D. N. CIↃ. C. XLVIII.

Mortem obit, deſignato nepote Cæſare. A D. N. CIↃ C. LII.

regnare

Fridericus. I. Imp.

Fridericus IV. dux Sueuia.

regnare iuſſerunt: Ipſe Sueuiæ ducatum Friderico patrueli, vt promiſerat, tradidit. Francofurto Aquiſgranum continuo profectus totius pene Germaniæ, & Langobardiæ nobilitatis comitatu, vij. Eidus eiuſdem Martij, Dominicâ lætare, coronam Germanici regni accepit. Paucis

Cunradi Zeringenſis obitus, ſepultura.

Vxor & liberi.

poſt menſibus, obijt etiam Cunradus dux Zeringenſis, ſepultusq; eſt in Monaſterio D. Petri ad Harciniam. Reliquit ex Clementiâ Gotfridi Namurci, & Lucemburgi Comitis filiâ ex ſtirpe, & ſanguine Caroli M. liberos quinq; Berchtoldum IV. Zeringiæ ducem, Rudolfum Leodicenſem antiſtitem, & Maguntiaci electum archiepiſcopum: Adelbertumq; qui Neckargouiam tenuit, & caſtrum Teccenſe, à quo duces poſtremi Teccenſes. Genuit enim ex

Duces Teccenſes, ſiue Teckoſagenſes.

Adelheide Adelbertum II. ducem Teccenſem. Sepultus ipſe, & poſteri in opido Auue infra arcem Teccenſem. Vltimus ex ducibus Teccenſibus fuit Ludouicus patriarcha Aquileiæ, qui in Concilio Baſilienſi poſtilentiâ extinctus eſt, xiv. Kal. Septembris, A. D. N. CIↃ. CD.XXXIX Ducatus ad Comites Virtenbergenſes peruenit, qui poſtea inde duces, Maximiliani I. Imp. optimi decreto. Habuit præterea Hugonem Briſiacæ, & Mortnouiæ dominum, qui ſine herede finijt: & poſtremo filiam Clementiam Heinrici Leonis ducis Saxoniæ, & Bauariæ vxorem, cum quâ A. D. N. CIↃ. C.LXII. diuortium fecit. Cunradus filius quintus ante patrem defunctus eſt. Et de Cunradi quidem ducis anno mortis conſtat inter ſcriptores. Eodem enim, quo Cunradus Cæſar exceſſit, prope tempore

De die & menſe mortis Cunradi.

deſideratum Zeringum ſatis comperrũ eſt. De die, & menſe diſcrepant. Namq; alij, iv. Nonas Iunij diem ſupremum implêſſe volunt; quos iam quidem ſecuti ſumus: alij, & fortè rectius, iv. Eidus Ianuarij. Vt, vt ſit, claræ ſanè virtutis, & militię ſcientiæ fuit, præcipuæq; apud reges auctoritatis.

ritatis. Clementia vxor obijt ſeptimo poſt anno, D. N. CIↃ. C. LIX. Fridericus Cæſar, compoſitis vtcumq; Belgij, Saxoniæq;, & Rheni negotijs, Conſtantiam, quo, Italorum præcipuè, conuentum indixerat, properauit. Ad Monaſterium Eriſtein, haut procul Argentinâ, cum perueniſſet, donationem curtis Baſinckeim, quam Berchta abbatiſſa, & Eccleſia Eriſteinenſis fecerat Hermanno marchioni Badenſi, ſuâ auctoritate, & diplomate ratam habuit. *Teſtes interfuerunt Burcardus Argentinēſis epiſcopus, Cunradus frater* Cæſaris palatinus Rheni, *Sibetus comes de Franckenesburgk, Vuernerus comes de Hauegesburgk* ° *Berchtoldus comes de Nuenburg, Anſelmus Argentinenſis aduocatus, Hugo comes de Thuingen, Ludouicus comes de Vuerdeneberg. Datum Ernſtein, quarto Idus Iulij anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, Indictione decimâ quartâ, regni ſecundo.*

° Pro Habsburg.

Conſtantiæ Laudenſium, & Comenſium de Mediolanenſibus querellas audiuit, auxilium adflictis promiſit. In Galliam inde legatum Vlricum Lentzburgi comitem miſit. Poſtremo de conuentus ſententiâ vxorem Adilam Theodebaldi marchionis Cambienſis de Vochburg F. *propter impedimentum conſanguinitatis*, p vt tradidit abbas Vrsbergenſis, à ſe remouit. Paratâ mox expeditione, primo auctumno, alpes cum exercitu ſuperauit, Inſubriæ, & Flaminiæ, quantum tempus tulit, res compoſuit. Romæ poſtremò Imperator eius nominis primus ab Adriano, xiv. Kal. Iulij coronatus in Germaniam redijt. Durabat interea bellum Burgundicum, illudq;, veluti hereditarium, Berchtoldus, Cunradi F. ſtrenuè gerebat, auxilio maximè Comitum Lentzburgi, Froburgi, Habsburgi, & Kiburgi. Deniq; hoſtem Iuraſſum vltra repulit, & totius Burgundiæ minoris principatum occupauit. Reginaldū comitatus Burgundiæ excepit, integrâ fide, & belli inta-

Conuentus Conſtā tienſis.

A. D. N. CIↃ C. LIII. Vrsberg. Nauclerus gen. xxxix Co rius parte. I Sigon. lib xij.

p *Erant duabus ſororibus geniti, Iuditha, & Mathilde, Illa Friderici mater; hac Adila.*

Fridericus in Italiam tendit, & Romæ coronatus eſt. Belli Burgundici continuatio.

 ctus.

ctus. Frequentes hinc, & poſteà vtrimq; prædationes, incendia, cædes. Iuraſſus ſolus diuidebat, clementi iugo, tritiſq; per commercia, dum pax erat, & vnicus dominatus, itineribus. Fridericus deniq; medium ſe interpoſuit, pacemq; hac conditione fecit. Comitatus Burgundiæ Reginaldo vti pareret. Cetera Zeringi eſſent, Auentici, Antuates, Vindones, & nonnulla quoq; in Allobrogibus, q & Sebuſianis. Pro titulo vero regni Arelatenſis, quo cum hactenus Zeringi vterentur, ipſum Imperio, & ſibi vindicabat, Berchtoldo trium epiſcopatuum Lauſanenſis, Geneuenſis, & Sedunenſis aduocatias dedit, ductaq; eiuſdem Reginaldi filiâ vnicâ Beatrice, Virceburgi nuptias celebrauit. Virceburgo Norimbergam, mox Ratisbonam contendit. Ibi controuerſiam de Bauariæ ducatu, quæ Heinricum Saxoniæ ducem, & Heinricum Auſtriæ marchionem, Bauariam tum, Cunradi II. Cæſaris dono, obtinentem, plures annos tenuerat ſoluit, aboleuitq;. Marchio Ducatum Bauariæ in manum Imperatoris dedit; eumdem continuò ipſe Saxoni commiſit, eâ conditione, vt iuri, quod in nonnulla Auſtriæ loca habebat, præcipuè ab Aniſo amni ad vſq; flumen Aenum, quę marchia ſuperior vocabatur, quamq; ab Bauariæ ducibus Auſtriæ marchiones beneficio accipere ſolebant, renunciaret, Auſtriæ principatum liberè Heinricus, & poſteri poſſiderent, quam, vti magis illuſtraret, vtriuſq; cis, & vltra Aniſum Auſtriæ dominationem in vnum contulit, & ex ijs coniunctis Ducatum, ſub duobus vexillis, fecit, HEINRICVM ex marchione DVCEM PRIMVM nominauit, xv. Kal. Octob. Indict. II. regni anno V. Imperij II. Eius rei diploma, ſi quis requirat, nè fruſtra ſit, infra adponere volui.

Friderieus pacem vtrimq; conciliat.

q Inde Allobrogũ ducem Berchtoldũ vocat Guntorus.

Idem Imp. Beatricem Reginaldi filiam ducit.
A. D. N. CIↃ. C. LVI.

Controuerſiam inter Auſtriæ marchionem, & Saxoniæ ducem pro ducatu Bauariæ dirimit: Illum Auſtriæ ducem primũ ex Marchione nominat, claris, & eximijs priuilegijs exornat.
Store Annal. Trith. de ducib. Bau. Cuſpinian. Auſt.

Emrei decretum.


In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Fridericus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Augu-

Auguſtus. Quamquam rerum commutatio ex ipſa corporali inſtitutione poſſit firma conſiſtere, vel ea quæ legitime geruntur nullâ valeant refragatione conuelli, ne qua tamen rei geſtæ poſſit eſſe dubietas noſtra debet Imperialis auctoritas præcauere. Nouerit igitur omnium Chriſti, imperijq; noſtri fidelium præſens ætas, & ſucceſſura poſteritas, qualiter nos, eius cooperante gratiâ, à quo cælitus in terram pax eſt miſſa omnibus, in curiâ generali Ratisbonæ, in Natiuitate ſanctæ MARIÆ celebratâ, in præſentiâ multorum religioſorum, & Catholicorum principum litem, & controuerſiam, quæ inter dilectiſſimum patruum [e] noſtrum Heinricum ducem Auſtriæ, & chariſſimum nepotem [f] noſtrum Heinricum ducem Saxoniæ, diu agitata fuit, de ducatu Bauariæ, hoc modo, terminauimus. Quod dux Auſtriæ reſignauit nobis ducatum Bauariæ, quem ſtatim in beneficium conceſſimus duci Saxoniæ: Dux autem Bauariæ reſignauit nobis Marchiam Auſtriæ, cum omni iure ſuo, & cum beneficijs omnibus, quæ quondam Marchio Leopoldus habebat à ducatu Bauariæ. Ne autem in hoc facto minui videatur honos, & gloria dilectiſſimi patrui noſtri, de conſilio, & iudicio principum, Vladiſlao illuſtri duce Bohemiæ ſententiam promulgante, & omnibus principibus adprobantibus, MARCHIAM AVSTRIÆ, in DVCATVM commutauimus, & eumdem ducatum, cum omni iure, præfato patruo noſtro HENRICO, & prænobiliſſimæ vxori ſuæ THEODORÆ in beneficium conceſſimus, perpetuali iure ſancientes, VTI ipſi, & liberi eorum poſt eos indifferenter filij, & filiæ, eumdem DVCATVM AVSTRIÆ, hereditario iure, à regno teneant, & poſſideant. Si autem prædictus dux Auſtriæ, patruus noſter, & vxor eius abſq; liberis deceſſerint, libertatem habeant eumdem Ducatum affectandi cuicumq; voluerint. Statuimus quoq; vt nulla magna, vel parua perſona, in eiuſdem ducatus regimine, ſine ducum conſenſu, vel permiſſione aliquam iuſtitiam præſumat exercere.

e Heinricus hic, et Friderici Imp. pater Vnoculus dux, erant fratres uterini.

f Non erat proprie nepos, ſed matruelis, natus ex Heinrico Superbo, fratre Iuditha Friderici Imp. matris. Quamuis nepotem quoq; hac in materia vocet Guntherus Ligurinus li. v.

Dux vero Auſtriæ, de Ducatu ſuo aliud ſeruitium non debet Imperio, niſi quod ad curias, quas Imperator præfixerit in Bauariâ, euocatus veniat. Nullam quoq; expeditionem debeat, niſi forte quam Imperator in regna, vel prouincias Auſtriæ vicinas ordinauerit. Ceterum vt hæc noſtra Imperialis conſtitutio omni æuo rata, & in ccnuulſa permaneat præſentem inde paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus, adhibitis teſtibus idoneis, quorum nomina hæc ſunt, Pilgrinus Aquileienſis patriarcha, Eberhardus archiepiſcopus Salisburgenſis, Otto epiſcopus Friſingenſis, Cunradus epiſcopus Patauienſis, Eberhardus epiſcopus Bambergenſis, Hartmannus epiſcopus Brixienſis, Hartuuicus epiſcopus Ratisbonenſis, & Tridentinus, dominus Velfo, dux Cunradus frater Imperatoris, Fridericus filius regis Cunradi, Heinricus dux Carinthiæ, Marchio Engelbertus de Iſtriâ, Marchio Albertus de Baden, Diethboldus marchio de Voheburg, Heinricus comes palatinus de Rheno, Otto comes palatinus, & frater eius Fridericus, & alij quam plures.

Signum Domini Friderici  *Imperatoris inuictiſſimi.*

Ego Reinhaldus cancellarius, vice Arnoldi Moguntinenſis archiepiſcopi, & archicancellarij recognoui. Regnante Domino Friderico Romanorũ Imperatore in Chriſto feliciter. Datum Ratisbonæ xv. Kal. Octob. Ind. IV. Anno Dominicæ Incarnationis M.C.LVI. Anno regni eius V. Imp. II. Quod quidem diploma ideo adieci, vt inde AVSTRIAE principatus, quem nunc HABSBVRGIENSES COMITES, de quibus agimus, tenent, poſſidentq́;, & ab eo AVSTRIAE DVCES, & ARCHIDVCES vocantur, priuilegia certiora, & clariora ſint, & eius tituli origo, ex Marchionibus, notior, & manifeſtior. Bellum hinc contra Polonos geſſit Fridericus. Et quia eo Vladiſlai Boemiæ ducis, alij La-

diſlaum

diſlaum ᶜ nominant, ſingularis virtus, & fortitudo exſtiterat, Ratisbonæ rurſum conuentu ob Italiæ turbas celebrato, eumdem Vladiſlaum primum Bohemiæ regem ſalutauit, coronaq́; , & regalibus ornamentis decorauit, A.D.N. CIↃ. C.LVII. Atq; ex eo Bohemia, quæ hactenus ducibus paruerat, reges habere incepit, ſingulari Bohemorum famâ, & gratiâ. Sed, eodem conuentu, ſecunda in Italos, Mediolanenſes præcipue, decreta expeditio, qui in contemtum non tam Imperatoris, quam totius Imperij, Laudam Pompeiam funditus euerterant. Igitur, anno inſequenti, menſe Maio, comitantibus Vladiſlao Bohemo, Friderico duce Sueuiæ, alijs quam plurimis, Alpes euaſit. Ante omnes Berchtoldum Zeringum militiæ egregium cum expeditis præcedere iuſſit. Vnde illa Guntheri

Idem Fridericus Vladiſlaum Bohemiæ ducem regem primum ſalutauit, Bohemiam ex ducatu regnum fecit. *ᶜ Guntherus lib. vi. Lig.*

Virum magnis ſpectatum ſæpe periclis,
Allobrogumq́; ducem, cuius ſub iure fatigat
Lenis Arar, placidas Rhodano quas commodat vndas,
Huic nomen Berchtoldus erat, cum milite multo,
Præcurſare iubet.

Secundam in Italiam expeditionem ſuſcipit.

Secutus Fridericus Trezam munimentis validam expugnauit, Laudenſibus nouam vrbem condidit. Poſtremo viij. Eidus Augusti Mediolanum centum ambitu ſtadia complectentem, centum armatorum millibus circumuenit, vineas, arboresq́; ceteras fructiferas exſcidit, ædificia ſuburbana ſuccendit, agros populatus eſt, multisq́; cladibus attritos, & vulneribus, fameq́;, & inopiâ, feſſos, & domitos deditionem facere coegit vi. Eidus Septembris. Dati obſides nobiliſſimi ciuitatis ducenti. Inde, ad ius dicendum Italicis, Roncalijs apud Padum conſedit. Regem Bohemum, Archiepiſcopum Moguntinenſem, & Zeringum in Germaniam remiſit. Sed Mediolanenſes ex malis, & toleratis vigorem breui, & animum reſumſere, obſidum

Geſtaq́; per eam.

Mediolanenſes domat.

Qui breui rebellat.

inter

inter turbida, & ancipitia curâ exiguâ, aut metu. Quamobrem Reginhaldum cancellarium, Othonem palatinum à Vietelsbach, & comitem Gotzuinum Mediolanum, vt nouos conſules deſignarent, magiſtratusq́; alios crearent, profectos, facto impetu, ciues, veteris libertatis iacturâ, aut amiſſam recuperandi importuno, & præcoci deſiderio, oppugnauere, vixq́; elabendi, ſummo cum periculo, facultatem reliquere. Quæ vbi ad Imperatorem fama, mox ipſi pertulerunt, noua ex Germaniâ auxilia exciuit, inprimis Berchtoldum Zeringenſem, & Heinricum Saxoniæ, & Bauariæ ducem. Berchtoldum Cremonenſibus belli ductorem, cum Cunrado Palatino Rheni, dedit. Ipſe cremam, magnis opibus obſedit, Mediolanenſi fœderi iunctam, & poſt longam, & acerbam oppugnationem redactam in poteſtatem funditus euertit vi. Kal. Februarij. Aeſtate ſequenti, rura, & Mediolanenſium ſuburbana vaſtabundus peruaſit. Eodem tempore, Maguntiacenſes, factione Burcardi præpoſiti S. Petri, & Gotfridi S. Iacobi abbatis, archiepiſcopum ſuum Arnoldum trucidauere, in eodem S. Iacobi extra vrbem, quo ſæpius relligionis cauſsâ itabat, monaſterio. Cædis auctores, quaſi ad præſidium ſceleris, Rudolfum Zeringenſem Leodici epiſcopum, Berchtoldi fratrem, antiſtitem ſubrogauerunt. *Erat* enim, inquit Cunradus archiep. *idem Rudolfus vir potens, amicus ipſius Imperatoris, conſanguineus, propinquus.* Rudolfus dum Romam iter habet accipiendæ pontificis gratiæ, & confirmationis, paullo poſt per viam Lauſannæ obijt, teſte eodem, qui ei ſucceſſit in archiepiſcopatu, Cunrado, Othonis Palatini à Vietelsbach fratre. Hinc eorum error qui Lauſannæ epiſcopum fuiſſe ferunt, & ad annum huius ſeculi nonageſimum perueniſſe. Sepultus eſt ad D. Petri Harciniæ. Obijt eodem quoq; anno Hermannus III. marchio

Et nono ab Imperatore bello petuntur A. D. N. CIↃ. C. LIX.

Crema illis coniuncta funditus euertitur.

A. D. N. CIↃ. C. LX.

Maguntiacēſis ſuo archiepiſcopo cæſo Rudolfum Zeringenſem ſublegunt. Dodechinus ſuppl. Fragment. rerum Magunt Trith. chr. Hirſaug.

Qui Lauſannæ vixiſſe fuit.

chio Badenſis relicto Hermanno IV. F. Verum, eo incolumi, ratus haut quaquam Italiam ſe quietam, & pacatam habiturum, Fridericus, omnibus copijs, intentiori curâ, iv. Kal. Iunij, Mediolanum obſidere cœpit, multisq; prœlijs, & variâ fortunâ, deniq; obſidionis menſe decimo, domuit, & ſubegit; Vrbem à fundamentis euertit, ſalcq;, perpetuæ ſterilitatis maculâ, Kal. Martij adſperſit, A. D. N. CIↃ. C. LXII. Papiam hinc conceſſit, vbi ei Genuenſes per legatos ſacramentum dixerunt, Nonis Iunij, in præſentiâ Imperij principum Rinaldi archiepiſcopi Colonienſis, Ortliebi epiſcopi Baſilienſis, Hermanni epiſcopi Conſtantienſis, Vronis epiſcopi Virceburgenſis, Hermanni epiſcopi Hildesfeldenſis, Cunradi Comitis palatini Rheni, Heinrici ducis Auſtriæ, Gulielmi marchionis Montisferrati, Theodorici marchionis Saxoniæ, Othonis comitis palatini à Vietelsbach, Alberti comitis de Anhalt, Heinrici comitis à Pfortzeim, Rudolfi comitis à Pfullendorf, Vldarici comitis Lentzburgienſis, aliorum plurium maxime Italiæ nationis. Subactâ hoc modo Inſubriâ, Italiâ aliqua tenus pacatâ, exeunte Auctumno, in Germaniam conuertit, Conſtantiam, ix. Kal. Decembris venit. Ibidem Hermanni epiſcopi, quantum ad protectionem monaſterij Creutzlingæ, priuilegia confirmauit. Fuerunt *teſtes Cunradus Vormatienſis epiſcopus, Vido Hyppolienſis epiſcopus, Vernerus abbas S. Galli, Velfo dux Spoleti, Fridericus comes palatinus de Tubingen, Hugo comes frater eius* Montisfortis, *Rudolfus comes* Pfullendorffenſis, *Vernerus comes* Habsburgienſis, *Hartmannus comes* Kiburgienſis &c. viij. *Kal. Decemb. Ind. viij.* Menſe Octobri, inſequentis anni, tertio in Italiam militem duxit. Hiberna Ticini habuit. His vero expeditionibus, Italicęq;, & Germaniæ bellis, & ſi Vernerum Habsburgienſem plerisq; interfuiſſe credam, quia tamen

Fridericus Mediolanum obſidet.

A. D. N. CIↃ. C. LXI.

Deditumq;, et euerſum ſale adſpergit.
A. D. N. CIↃ. C LXII.
Corius parte. I.

Genuenſes in ditionem recipit.

Ex eodem Corio.

In Germaniam redit.

Tertiam expeditionem in Italiam init
A. D. N. CIↃ C. LXIII.

men

men per ſcriptorum incogitantiam, & monumentorum penuriam, nihil eius præterea habeo compertum, adfirmare non auſim, & veritatem profeſſum ab adulatione, non modo vanitate, procul eſſe decet. Diſceſſit. A. D. N. CIↃ. C. LXIII. [u] relicto, ex GERTRVDA (cuius familiæ, me ignoraſſe fateor; quidam Starckbergenſem fuiſſe ſcripſerunt) ſucceſſore ADELBERTO III. filio vnico: filiabus GERTRVDA, & RICHENSA. Illa Theodorico Montisbellicardi; hæc Ioanni Ferretæ, Comitibus nupſere.

Verneri III. obitus. vxor, liberi.

u *Alij antè obijſſe tradunt anno ſcilicet* 1159.



FRAN-

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACVM,

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

Liber Sextus.

ADELBERTVS. III. COMES HABSburgi, & Landtgrauius Elſatiæ. Cap. I.

DVXIT ADELBERTVS vxorem ITAM Rudolfi, Vldarici F. Pfullenduri, (Pfullendorf vocant Sueuiæ nunc Imperiale opidum) & Brigantij comitis eius ſtirpis poſtremi filiam, Heinrici Superbi Saxoniæ, & Bauariæ ducis, Velfonisq; ſenioris ducis Spoleti, marchionisq; Tuſciæ, & Sardiniæ principis, ex Vulfide ſorore neptem. Eâ adfinitate tractus & ipſe in bellum quod eodem tempore Velfo, Palatino Tubingenſi cruentum intulit. Strangulauerat Hugo III. palatinus Velfonis quoſdam nobiles, arcemq; eorum Meringam exſciderat. Sæpius repetundarum admonitus ſpreuerat, dictaq; ignominioſa addiderat. Quamobrem Velfo filium cognominem, qui Italicas, quas diximus, prouincias regebat, in Germaniam reuocauit, ratus iuuentâ, & robore Hugoni parem, aut ſuperiorem; Ipſe in eius locum in Tuſciam tetendit. Iunior ſubito militem fecit, plurimum nobilitatis in partes traduxit, magnis copijs arcem, & opidum Tubingæ viij. Eidus

Vxor Adelberti, & ex eâ adfinitas, & cognatio.
Libellus de Guelfis.
Chronicon. Vingartens.
Nauclerus.
Vrsberg.

Bellum inter Velfonem, et Hugonem palatinum, cuius pars Adelbertus.

Tubingæ obſidium.

Et Septem-

x A. D. N. CIↃ.C LXIII.

x Septembris circumſedit. Inuenti poſtero die qui de pace agitarent. Sed ex Velfonis equitatu pauci interea velitabundi mœnia adſultare, tela, minas iacere, poſtremo arrogantiâ, & conuicijs cunctas opido Hugonis copias extraxere. Sumtum, totis viribus, vtrimq; prœlium. Ab

Prœlium, vtriuſq; partis opes, & auxiliares.

Hugone erat Fridericus dux Sueuiæ, ſpes omnis, & incitamentum belli; comites Zollerani, multi alij: Sed pro Velfone Epiſcopi tres, Spirenſis, Vormatienſis, Auguſtanus, Berchtoldus dux Zeringiæ, Berchtoldus marchio Vochburgienſis, Hermannus marchio Badenſis, Rudolfus comes Pfulloduri, Albertus comes Habsburgi, duo fratres comites à Caloe, duo de Berge, Hartmannus comes Kirchbergenſis, Heinricus comes Veringenſis, cum pleraq; Germaniæ ſuperioris nobilitate, longes numero ſuperiori. Igitur hic copiâ; ille virtute nitebatur. Aderant in mœnibus feminæ, pueri, ſenes, incitamenta per clamores, eiulatus, preces, tum vero ab arcis pinnaculis tormenta,

Superatur, & in fugam pellitur Velfo.

miſſiliaq; in hoſtem, magnâ vi, adigebantur. Pulſus deniq;, paruâ quidem ſuorum cæde, Velfo, ſed captis pene nongentis. Ita enim armis ſe munierant, vt capi facilius, quam ſauciari telis poſſent: Ingens præda ſimul in poteſtatem redacta. Ad huius cladis nuncium ſubitò ex Italiâ

Pax reſtituitur Friderici auctoritate.

in Germaniam cum Friderico Imp. reuertit ſenior Velfo, tantumq; apud Imperatorem potuit, eius vti ſententiâ, & iuſſu, captiuis libertas, inter partes pax eſſet. Sed neq; firma, nec diuturna; Velfone iuniore cetera omnia, quam cum damno, & ignominiâ quietem optante. Ad id ex rebus ſecundis Hugonis inſolentia, contemtusq; acceſſerant,

Bellum acrius reſumitur. A. D. N. CIↃ.C.LXVI.

valida remouendis malè tranquillis ſuſcitabula. Igitur, vix anno vertente, ex improuiſo fines Hugonis inuaſit, ædificia incendit, arces Villariam, & Cæli montem euertit, maximam prædam, plurimos mortales cæpit. Percul-

ſus

ſus Hugo, re inopinatâ, Friderici Sueuiæ ducis rurſus auxilium implorat, quem Velſoni per æmulationem infenſum haut ignorabat. Ille Vladiſlaum Bohemiæ regem. At is occaſionem nactus, non ſolum Friderico, Imperatoris, â quo in ſe prima Bohemici regni dignitas, & gloria, patrueli tandem gratificandi; ſed etiam oſtentandæ virtutis, & opulentiæ, exercitum ingentem fecit, illiq; filium præfecit, Germaniam penè vniuerſam, veluti turbidine rapidiſſimo peruaſit, omnia, ab Bohemorum ſaltu, ad Lemannum vſq; lacum, Bauariam, Sueuiam, Heluetiam totam, cædis, incendij, vaſtitatis repleuit; hoſtem, ſocium, amicum iuxta habuit, vt aliquanto plus laboris Hugo hauſerit, Bohemis auxiliaribus coercendis; quam Bauaris hoſtibus reprimendis. Imperator cum in Italiam recogitaret interpoſuit iterum inducias, poſt Vlmæ pacauit, miſſo in Rhetiam, tamquam exſilium, Hugone. Mox quartam in Italiam expeditionem, y ineunte Nouembri, ſuſcepit. Vndecimo poſtea Ianuarij, ſequentis anni, Romam verſus exercitum contra Alexandrum III. pontif. duxit. Mediolanenſes interea nullo eius conſenſu, auctore, vt pleriq; credunt, Angleriæ Comite, vrbem ſuam reædificare cæperunt, Cremonenſes, Mantuanos, Bergomenſes, Brixianos, Ferrarienſes in fœderis ſocietatem, & in Friderici exitium perpulere. Ipſe, menſe Iunio, Vrbi vicina vaſtauit, quarto Kal. Auguſti, cum Romanis conflixit, & vicit, Vaticanum expugnauit, cetera ad deditionem coegit. Inde Kalendis Auguſti à Paſcali, quem, contra Alexandrum, Pontificem nominari curauerat, cum vxore coronam, & Imperialia ornamenta ſecundò accepit. Haut longum fuit ab illo cum exercitum, tamquã in diuinam pro Alexandro vindictam, peſtilentia fæda, & ſæua corripuit, multoſq; primorum exſtinxit, in quibus fuit Rinhaldus archiepi-

Bohemorum ex eo inundatio, & per Germaniam geſta.

Fridericus iterum pacauit, & quartò in Italiam duxit, eodem anno.

y Romam tetẽdit.

A. D. N. CIↃ. LXXVII. Mediolanenſes Mediolanum reædificant, fœdus cum vicinis ciuitatibus contra Imperatorẽ faciunt.

Imperatoris in Latio geſta, & in Vrbe.

Peſtilentia exercitum corripit.

Quæ multos primorum exſtinguit.

Ee 2 ſcopus

ſcopus Moguntinus, belli in Alexandrum auctor præcipuus, & incentor, Epiſcopi Leodicenſis, Verodunenſis, Ratisbonenſis, Spirenſis, Baſilienſis: Duces Velfo iunior Bauariæ, & Spoleti, Fridericus Sueuiæ, Comites, Beringerus Sultzbacenſis, Berchtoldus Pfullendurenſis, Rudolfi filius vnicus, Itæ Habsburgienſis frater, Heinricus Veringenſis, alij. Reuerſus magnis poſt laboribus, & periculis in Germaniam Fridericus Heinricum F. Cæſarem deſignauit, [1] Fridericum alterum F. Sueuiæ ducem eius nominis quintum. Eodem tempore, Rudolfus comes Pfulloduri, feſsâ ætate, & proli faciundæ inhabili, mortuo, vti diximus, Betchtoldo filio, cum præter Itam Habsburgienſem heredem non haberet, Friderico, qui opibus cumulandis per Germaniam, ob liberorum multitudinem, maximopere ſtudebat, comitatum Pfullendorffenſem, aduocationem Epiſcopatus Curienſis, & quidquid Imperialis beneficij tenuerat, tradidit, peregrinationeq́; paucis poſt annis, in Syriam ſuſceptâ, in itinere abſumtus eſt. [a] Pro illis, refert Ioannes Nauclerus, Imperatorem Adelberto Habsburgienſi, Rudolfi genero, conceſſiſſe *Comitatum Thuricenſem, & adiacentia Seckingenſis Eccleſiæ, cum prædijs conquiſitis.* Quâ quidem narratione, in errorem ducit. Non enim Thuricenſem comitatum dedit Fridericus Adelberto, quẽ Zeringenſes cum vrbis præfecturâ, Imperij nomine regebant, ſed vicos Tieticum, Slierum, Vrdorffum, nonnullos alios comitatus Badenſis, ſanè vltra Lindemagum amnem, & in agro Tigurino, Imperij beneficia, ſed maſculina, quæ ideo, mortuo Vlrico Lentzburgi, & Badæ poſtremo Comite ſui ſtemmatis, ad Imperatorem redierant, nec per Richenſam ad Kiburgienſes tranſierant. De ſanctionenſi, ſiue Seckingenſi præfecturâ, & aduocatione, ceteriſq́; ad eam pertinentibus, Lauffenberga opido, & arce, Lacobri-

Imperator in Germaniam redyt.

[1] *A. D. N. CIↃ. C. LXIX Heinricum F Caſ. deſignauit.*

A. D. N. CIↃ C. LXX. Fridericus V. dux Sueuia.

Rudolfus comes Pfullodurenſis ſua Imperatori reſignauit.

[a] *Anno* 1180.

Naucleri alucinatio volum II. gen. xxxix.

Is contrà Adelberto vicos quoſdam Comitatus Badenſis dedit.

De Sãctionenſi præfectura

Dubitatum an iã quidem acceperint Habsburgienſes.

Lacobrigum, ſiue Cletgouiæ comitatu, & Harciniæ vicinis, etiam dubito, an dederit Fridericus, & hoc tempore. Namq; paullò poſt, vt oſtendemus, Othonem filium fecit Sanctionis, Lauffenbergæ, & Glaronæ aduocatum, eamq; ipſum aduocationem, tertio, & viceſimo pòſt anno reperio tenuiſſe.[b] Quidquid eius ſit, certe, mortuo Othone, Habsburgienſes obtinuere, poſſeditq; Rudolfus Adelberto genitus, & reliqui ab eo, ſeq; inde HABSBVRGI COMITES, & LAVFFENBERGAE DOMINOS dixere, vt ſuo loco videbimus. Sed ex eâ quoq; opum acceſſione cognomentum Adelberto DIVITIS, poſt multas, quam Guotramus ſecundus vſurpârat, ætates pariter redditum credo. Sed, vt aduocationis Curienſis adminiſtrationem caperet, Fridericus Mengam ad ſe Eginonem Curiæ Epiſcepum accerſiuit, eiusq; conſenſu, & voluntate aduocatiæ feodum, & ipſam aduocatiam, quam, vt prædiximus, ab Rudolfo comite Pfullodurano acceperat, Friderico filio Sueuiæ duci commiſit, eâ conditione, ne ipſe alteri cuiquam tradat. Huius facti vero gratiâ Eginonem ab omni ſeruitio curiæ, & imperij ſui, quoad ſuppeditat vita, abſoluit, & vt abſolutum pariter Heinricus F. habeat, iniungit, & declarat. *Huius rei teſtes fuerunt, Rudolfus Leodienſis Epiſcopus, Berchtoldus dux de Ceringe, Hugo palatinus comes de Tubinge, comes Rudolfus de Pfullendorff, comes Vlricus de Lentziburg, comes Hartmannus de Kuburg, comes Manigoldus de Vehringe, comes Burchardus de Colre, Cunradus de Schuſſenriets, Gotfridus de Gundelfinge, Egenolfus de Vrſelinge, Suicherus de Aſpermont, & Vlricus frater eius, Heinricus, & Vlricus filij eius, Cunradus de Medezen, & alij quamplures. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, centeſimo ſeptuageſimo, Ind. tertiâ, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni eius decimo octauo, Imperij*

decimo

[b] *Ex Inſtr. quo Glarenenſiū Otho, & Vranienſium ſines rexit, 3 Kal. Septemb. an. 1196.*

Titulus quæſitus Habsburgienſis ab Lauffenburgo.

Adelbertus Diues cognominatus.

Fridericus aduocatiam Curienſis Eccleſiæ commiſit filio cognomini.

Sueuiæ Duci.

A. D. N. CIↃ. C. LXX.

Ex Schud. chr.

decimo quinto. Datum apud Mengen xviij. Kal. Iulij. Compoſitis Sueuiæ rebus, multisq; hinc inde per Germaniam conſtitutis, Sanctionem quoq; peruenit, antiſtitæq;, & ſanctimonialium nobili collegio, auctor fuit, vt filium tertiò natum Othonem, quem comitem, & palatinum Burgundiæ creauerat, vtroq; Burgundiæ, & Matiſconis comitatu, maternâ hereditate, donauerat, ſui monaſterij, opidi, & Inſulæ Sanctionis, Lauffenbergæq;, communitatis etiam Glaronenſis, & aliarum iuriſdictionum, ditionumq; aduocatum ſumerent, obtinuitq; anno ſeptuageſimo ſecundo eiuſdem ſeculi.

Othoni vero Burgundiæ palatino Sanctionis præfecturam impetrauit.

A. D. N. CIↃ C. LXXII.
Vlrici Comitis Lentzburgi, & Badæ, ſui ſtemmatis postremi obitus.

quo anno, Vlricus ille, de quo diximus, potens, & fortis Lentzburgi, & Badæ comes, Rudolfi F. poſt tot fratrum, & patruelium interitum, vltimus ſuæ ſtirpis, Friderici Imp. fidus conſiliarius, & dux belli.

Richenſa Arnolfi filia Hartmanni Kiburgienſis coniux hereditatē creuit opido Luculentam.

Hæreditatem adijt Richenſa Arnolfi eius patrui, filia, quæ Kiburgienſi comiti Hartmanno nupta, comitatū vtrumq; Lentzburgienſem, & Badenſem, ſiue Aquenſem, opidaq; Sempacum, Surbſe, Tugium, alia ad Kiburgienſes pertulit amplâ, & locupleti dote.

Fridericus Canonicam Beronenſem in ſuam protectionem ſuſcepit.
A. D. N. CIↃ. C. LXXII.

Imperator Sanctione, Baſileam tetendit, ibiq; Canonicam Beronenſem, poſt Comitum Lentzburgiorum, primorum fundatorum, obitum, in ſuam protectionem ſuſcepit, collegij bona, & poſſeſſiones confirmauit.

Ex ipſo autographo, conſenſu, & licentiâ Reuerendi, & illuſtris D. Nicolai Holdermeyeri Præpoſiti, & Domini Beronenſis, et eximij Collegij.

Fuerunt *huius rei teſtes Ludouicus epiſcopus Baſilienſis, Mattheus dux Lotheringiæ, Berchtoldus dux de Zeringe, Rudolfus comes de Pfollendorf, Vernherus, & Fridericus fratres de Homberg, Arnoldus de Rotenburg, Vlricus de Eſchibach, Ioannes de Butinckon, Vlricus, & Hartmannus de Chienberg, & alij quamplures. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, centeſimo, ſeptuageſimo tertio, Indictione ſextâ, regnante Domino Friderico R. Imp. inuictiſſimo, anno regni eius vigeſimo, Imperij vero decimo nono. Data Baſileæ quarto Nonas Martij. feliciter.* Peragratâ aliquantum, & ſtabili-

ſtabilitâ Germaniâ, quà publica, quà priuata Fridericus quinto in Italiam expediuit, Seguſium Subalpinorum opidum expugnauit, & diripuit, itemq; Aſtam, menſe Octobri. Poſt ea Alexandriam, quam in eius contemtum, & dedecus, de pontificis nomine rebelles poſuerant, cum omnibus copijs obſedit, menſemq; quartum oppugnauit, donec diſceſſu Heinrici Leonis Saxoniæ, & Bauariæ ducis, incertum ab hoſtibus corrupti, an metu anathematis, deſerere ad extrema pene perductam coactus, non ſine magno periculo, Italiâ quoq; relictâ, Taurinorum, & Nouarienſium auxilijs in Burgundiam euaſit. Mox in Germaniam tranſijt. Heinricum Leonem proſcripſit, & vtroq; ductu Bauariæ, & Saxoniæ ſpoliauit: Illum Othoni palatino ſeniori â Vietelsbach, ſiue Schirenſi, tradidit: hunc Bernardo Anthaltino comiti, Alberti filio. Leoni præter Brunſuiciam nihil ſuperauit. His Auctoribus, qui eoſdem hodie regunt ducatus, proceſſere. Italorum hinc inſolentiâ, & ſuperbiâ multo atrocior, breui rurſus exercitum Alpes tranſportauit, Mediolanenſium fines peruaſtauit, prœlio cum ijſdem facto inferior receſſit. Otho etiam filius, quem contra Venetos, ob receptum ab ijs Alexandrum pontif. cum claſſe miſerat, fraude circumuentus in hoſtium poteſtatem venit. Fortunæ eâ inconſtantiâ, cum deteriora ſperaret, poſtremo ad pacem cum pontifice inclinauit. Venetias igitur profectus, aliquot menſibus per pacis tractamenta, & amicitiæ tranſactis, ix. Kal. Augusti deniq; conuenit. Conditiones pacis fuerunt pontificem Romam Imperator reduceret: Mediolanenſibus annorum ſex inducias daret, eo modo ſchiſmati finis, & Italiæ qui es eſſet. Berchtoldus Zeringus interea, notatâ pluribus expeditionibus, Burgundiæ nobilitatis maliuolentiâ, & deſpectu, vt aduerſus peregrinum, & Germanum, alienæ linguæ, diuerſi

uerſi

Quinta Friderici in Italiam profectio.
A. D. N. CIϽ. C. LXXIV.
Et geſta.

In Germaniam redijt.
A. D. N. CIϽ. C. LXXV.
Heinricum Leonẽ proſcripſit, et vtroq; ducatu exuit.

Ducum Saxoniæ, & Bauariæ hodiernorum origo.

Sexto Italiam repetit.
A. D. N. CIϽ. C. LXXVI.

Fortunam aduerſam experitur.

Pacem poſtremo cũ Alexandro pontifice, & inducias cũ Mediolanenſibus, & ceteris confœderatis facit.
A. D. N. CIϽ. C. LXXVII.

uerſi moris, inſolentiamq́;, & peruicaciam ex illo oriri, quod cum pluribus, & munitiſſimis arcibus vndiq; ipſa teneretur, rara eſſent, quæ obſtarent, opida, de vrbe in Auenticis condendâ, quæ dominaretur, Auenticorumq́;, poſt Auentici, Heluetiorum quondam capitis, interitum caput eſſet, animum aduertit, perfecitq́; ex eâ, quam incolebat, arce, A. D. N. CIↃ. C. LXXIX. quam vrbem ob liberam loci, & hominum, quos voluit habere, conſtitutionem, Friburgum nominauit. Eo multas ex Elſatiâ, Briſiacis, & omnibus Auenticis præſignes familias, tamquam in coloniam, duxit, ius ſcriptum, & multa priuilegia, quo magis frequentaretur, addidit. Fridericus vero Imp. comitia Maguntiaci habuit, Heinrico Cæſ. F. Conſtantiam Rogerij Siciliæ regis filiam vnicam matrimonio coniunxit. Eodem tempore, beneficia quædam accepit à Canonicis Salodorenſibus Vlricus comes Nouicaſtri, cuius rei inſtrumentum, *vt ratum, & inconcuſſum haberetur ſigillo ducis Berchtoldi rectoris terræ confirmatum eſt, præſentibus fratribus ducis Adelberto, & Hugone, Comite Egenone de Vren, Burcardo de Vſſenberg, Heſſone de Graneſchon, Vlrico cognato eius de Strasberg, Vernero de Vfhauſen, Heinrico de Chienâ, Heinrico, & Vlrico fratre eius de Bechburg, Miniſterialibus ducis Adelberto de Tore, Hugone de Iegisdorf, Heinrico de Crochtal, Cunone de Ergeſingen, & fratre eius Rudolfo, Rudolfo de Copingen, Vlrico, & fratre eius Berchtoldo de Vtzendorf.* &c. *Actum eſt hoc anno Domini* M. C. LXXXI. quæ ideo inſerui, vt adpareat, qui maxime, eâ tempeſtate, ex minori Burgundiâ Zeringi aulam, & comitatum frequentârint, miniſtrârintq́;. Imperator poſtremo, menſe Martio, Conſtantiæ maximum conuentum celebrauit, Italiæq́; ciuitatibus, rogatu maximè, & precibus Heinrici filij, qui regnum Italiæ ſummo opere, ambiebat, finitis inducijs, pacem ſolidam, & per-

Berchtoldus Friburgum in Auenticis continenda Burgundia condidit.

Heinricus Cæſ. duxit vxorē Conſtantiam.
A. D. N. CIↃ. C. LXXXI.

Berchtoldi ducis domeſtici, & familiares.

Fridericus finitis inducijs pacem ſolidam Italiæ ciuitatibus dedit.
A. D. N. CIↃ. C. LXXXIII.
Naucleros gener. xl.

& perpetuam, multis conditionibus, dedit vij. Kal. Iulij. Mox ſeptimam, & vltimam expeditionem in Italiam inijt. Mediolanenſes aduenientem multo applauſu, & honore ſuſceperunt. Ibidem nuptias Heinricus cum Conſtantiâ fecit, ingenti pompâ, & frequenti principum, & ciuitatum concurſu, legationibus, & donis, quæ breui peperit eâdem in ciuitate Fridericum Rogerium ab vtroq; auo nominatum, qui poſtea imperauit. Haut multo poſt viuendi finem fecit Berchtoldus IV. dux Zeringiæ, rector Burgundiæ. Reliquit ex Heduuige Berchtoldum V. Agnetem quam Eginoni comiti ab Vrach, vnde Furſtenbergenſes, collocârat, & Annam, quæ Vernero comiti Kiburgienſi, Vlrici F. Hartmanni nepoti, nupſit. Obijt Berchtoldus A. D. N. CIↃ. C. LXXXVI. vi. Eidus Septembris. Sepultus apud S. Petrum. Per ea tempora grauia, & exitiabilia Saracenorum in Oriente Chriſtianos exercebant bella. Sed vbi deniq; pontifex Gregorius eorum internicionem accepit, Hieroſolyma capta, templa vaſtata, Domini pollutum ſepulcrum, Crucem ſalutiferā in impiorum manus veniſſe, regniq́; Hieroſolymorum nono, & octogeſimo, quam Gotfridus Bullionius inceperat anno, pene datum finem, ad omnes principes, populosq́; Chriſtianos in auxilium, & terræ ſanctæ recuperationem literas dedit, cunctosq́; ad ſacram expeditionem vehementer, magnis & amplis promiſſis exhorratus eſt. Fridericus Imp. eam ob rem, [c] ineunte Ianuario comitia frequentia Norimbergæ, & alibi peregit, ſeq́; belli ſacri ducem profeſſus, Edictum quod vocant Pacis prodidit, totoq́; imperio promulgauit, mox glorioſum crucis ſignum accepit, & cum eo omnes prope Germaniæ, & Occidentis principes, Philippus Franciæ, Richardus Angliæ reges, duces Fridericus Sueuiæ, Otho Burgundiæ, Berchtoldus Zeringiæ, comites Hermannus palatinus

In Italiam ſeptimam & vltimam expeditionem fecit. A. D. N. CIↃ C. LXXXIV.

Heinricus Cæſ. Mediolani nuptias celebrauit cum Conſtantia quæ breui Fridericum Rogerium peperit. Bernard. Corius. parte I.

Berchtoldi IV. mors vxor, liberi, ſucceſſio.

Chriſtianorum in Oriente clades, ſacrorū profanatio, & pene finis regni. A. D. N. CIↃ C. LXXXVII.

Gregorij pontif. pro recipiendo cura, & deſiderium.

Imperator ducem ſe profitetur, crucē purpureā aſſumit. Sequuntur exemplū principes multi.

c A. D. N. CIↃ C. LXXXVIII.

nus Rheni, Adelbertus Habsburgienſis, alij plures. Multi quoq; antiſtites Veſontionenſis, Vircebuгgenſis, & Batauienſis, Baſilienſis. Et Berchtoldus quidem Zeringenſis, & Habsburgienſis Adelbertus continuo ſe itineri dederunt, breuiq;, numquam intermiſsâ nauigatione, Tyrum, quam Cunradus marchio Montisferrati obtinebat, adpulerunt. Erant marchionem inter, & regem Guidonem ſimultates. Et ille, rogatu ciuium, vrbis imperium ceperat, regemq; aduenientem excluſerat. Igitur cum caſtra ante Tyrum Guido poſuiſſet, nuncium in vrbem ad Zeringenſem, & Adelbertum miſit, *quatenus Hieroſolymorum regi, & Chriſtianæ reipublicæ opes, & auxilia attuliſſent, ea ne ob priuata odia deſidere, & præſidijs attineri, ſed in communem hoſtem ducere vellent. Seſe in Saladinum, poſthabitis etiam aduerſum Tyrios, & marchionem ira cauſſis, meditari. Copias ſuas adderent, & virtutis Germanicæ ante omnes experimentum præberent, victoriæ primum fructum caperent, ſimul inſequentibus auſpicium, & exemplum pararent, & relinquerent.* Nulla mora in duce, aut Comite fuit. Continuo ſuos ex vrbe in regia caſtra eduxere. At Saladinus, audito Germanorum aduentu, Guidonis opes inualeſcere, relictâ Belli Fortis Caſtri obſidione, ex inopinato regem opprimere conſtituit, iamq; caſtris ſucceſſerat, & vallum oppugnabat, cum Chriſtiani, raptis armis, & facto impete, furentem, & ſuos ad fortiter gerendum voce, ferro, exemplo animantem repulere, in fugamq; dedere, inſigni fortitudine, & hoſtium ſtrage, plurimis ab inſequentibus in vincula, & ſeruitutem retractis. Patratâ hac feliciter pugnâ, cum de cetero bello conſilia capere tempus, & occaſio poſtularent, obſidionem Tyro Ptolemaidem transferre, ibiq; ceteros ex Occidente principes opperiri decreuere. Interea Fridericus Imp. cum Friderico F. & pleraq; Germaniæ nobilitate, ix. Kal. Mai. die

Zeringēſis, et Habsburgienſis anticipant, Tyrum cum ſuis appellunt.

Ad quos rex Guido legatos mittit, & ad inuadendum hoſtem animat Continuator belli ſacri lib. ij. cap. iij. Antoninus parte ij. Nauclerus gener. xl.

Copias cum rege coniungunt.

Saladinum ab caſtrorum oppugnatione repellunt, fundunt, fugantq́; Ptolemaidem obſident.

Fridericus Imp. ſe in viam dat.

die feſto D. Georgij militiæ Chriſtianæ tutelaris, per Hungariam Orientem verſus exercitum ducere cæpit; neq; oraculum Ioachimi abbatis in Calabriâ apud monaſterium Floris eximiâ vaticiniorum laude florentis, audiuit, qui nondum tempus veniſſe, quo Hieroſolyma Chriſtianorum armis vindicentur, cum conſuluiſſet, reſpondit. Conſtantinopoli natalitia Domini egit, & hiberna. Feſto paſcatis inſequentis anni, Boſporum traiecit, multas Aſiæ vrbes expugnauit, hoſtes ſæpius cecidit, maximis periculis, fameq;, & itineris ingentibus difficultatibus ſuperatis, in Ciliciam victor penetrauit, ineunte Iunio. Caſtris ad Saram poſitis, alij Saleph, aut Fararum, & Ferrum vocant, antiqui nominauerunt flumen Cydnum, amœnitate vndæ per æſtum illectus, poſtremo, intentato alueo, refrigerandi cauſsâ, fluuio ſe tradidit, voragineq; abſumtus eſt, iv. Eidus eiuſdem menſis. Nonnulli aquis veneno, quorumdam Italicenſium fraude; corruptis, perijſſe; alij, quibus adſentior, vadum inter primos pertentâſſe, Saphadinum, Saladini fratrem, perſequentem lapſu equi hauſtum prodidere, Imperij anno XXXVIII. ætatis LXX. In Germaniâ regnare poſt patris mortem incepit Heinricus VI. Copiarũ curam ſumſit, Fridericus dux Sueuiæ. Is primò exercitum morte Imperatoris mœſtum, & anxium, ſimul longinquitate itineris defeſſum, & languidum Antiochiam duxit. Ibi Hermannus IV. marchio valetudine exſtabuit. Superfuerunt filij Hermannus. V. Fridericus, & Heinricus. Paucis diebus per recreationem, & reparationem virium exactis, verſus Ptolemaidem ſigna proceſſerunt. Id vbi compertum Dodequino, quem ab Ægypto petitis copijs præfecerat Saladinus, iter intercipere conſtituit, magnoq; impetu, & clamore in Cæſarianos, ex inſidijs, irruit, pugnâ ancipiti, & victoriâ nutanti, Saracenis numero; noſtris

A. D. N. CIↃ.C.LXXXIX.

Boſporum traijcit. *A. D. N. CIↃ. C. XC.*

Multa fortiter, & ſtrenue gerit.

Cydno fl. Ciliciæ perit, variante ſcriptorũ de exitu ſententia.

Vrsberg chr. Bernard. Corius part. i. Continuator belli ſacri lib ij. cap. vi. Sigonius lib xv. Gelluſius lib v. cap. cap. xxvij. & ſeq. Chronicon Vingarienſe.

Heinricus VI. Imp. Fridericus Dux Sueuiæ Sacri exercitus curam capit.

Digitized by Google

Cum hoſte copias cõſerit, profligatq; Leopoldi Auſtriaci. & Adelberti Habsburg. virtute. & auxilijs.

virtute confidentibus. Sed iam Chriſtiani pedites laſſitudine, & hoſtium multitudine cedere cæperant, cum Fridericus paternæ virtutis haut degener, facto equitum cuneo, ex aduerſo in hoſtem prorupit, locoq; mouit. Motam vbi inimicam aciem animaduertere Leopoldus dux Auſtriæ, & Adelbertus Habsburgienſis (quem, cum dilectâ manu, paullo ante Friderico ab obſidione Ptolemaidis obuiam rex Guido cum marchione Montisferrati miſerat, itineris ductorem, & in præſidium,) ingenti animo, & terrore reliquum peditem intulerunt, hoſtilesq; maxime equos petere, & ſuffodere iuſſere. Magna tum facta cædes. Et Dodequinus vndiq; circumuentus fugâ ſalutem petijt. Noſtri inquit Continuator belli ſacri, *ſtrage hominum ingenti, locum, in quo ſteterant, vbiq; repleuerunt, vt prope difficilius eſſet fugientem hoſtem inſequi, quam conſertiſſimum antea fuerat diſijci*. Profectus hinc Ptolemaidem, in obſidione illâ celebri, exſtinctus valetudine Fridericus, exercitum reliquum ferro, fraudi, prædæ, cæli, ſoliq; inſolentiæ, & iniuriæ reliquit. Acceſſit mortuorum ex fætore, & corruptione aeris peſtilentia, quâ per exercitum grauiter ſæuiente, in Germaniam redicre Berchtoldus Zeringenſis, & Adelbertus Habsburgienſis cum in Galliam quoq; Philippus Auguſtus, relictâ maiori copiarum parte, ſub Othone Burgundiæ duce, reueniſſet. Heinricus Cæſar, poſt Friderici fratris mortem, Sueuię ducatui præſidere iuſſit Cunradum II. fratrem. Zeringenſem inteſtinum bellum, & ſubditorum rebellio excepit. Auentici enim, & Antuates alijq;, cognitâ Imperatoris longinquis in regionibus abſentiâ, Rectoriſq; Berchtoldi, ſimul hunc optimum quemq;, & fortiſſimum ſacræ expeditioni ſumſiſſe ſocium, rebellionis conſilia, quæ iam diu coxerant, effudere, factaq; coniuratione, contra Rectorem arma corripuerunt, caput ex ſe, qui

Lib. ij cap. vij.

In obſidione Ptolemaidis diem obit, et exercitus varie perit.

Zeringenſis. & Adelbertus in Germaniam rediere.
A. D. N. CIↃ. C XC II.

Cunradus II. Dux Sueuia.

Burgundorũ cõtra Berchtoldum coniuratio.

ſe, qui præeſſet, conſtituerunt, iuſtum exercitum comparauere, volentibus popularibus, qui, præterquam quod externum principem, vt diximus, & iuſtitiâ ſeuerum aſpernabantur, nobilitatis prætentu, facilem ſperabant veniam ſi cœpta ſequius eueniſſent. Berchtoldus, primo ex Syriâ aduentu, ſubitario milite ex Briſiacis facto, in Tigurinos properauit, tum apud Vindoniſſenſes, & Elſatas Adelberti Habsburgienſis opibus, & præſentiâ copijs adauctus, dilectum Burgdorffi habuit, attentior, quam in ſubditos, & rebelles ducturus. Inter ipſum, & hoſtem Arula medius fluebat, longos per amfractus, præcipiti ripâ, paucis locis, etiam hibernis diebus, vadoſus. Igitur Arbergam, vbi pons in opidum pertinebat, mouit, traiectoq; exercitu, recta Auenticum tetendit. Haut inde procul, campis qui inter opidum, & Paterniacum iacent, hoſtes obuiam habuit, congreſſoſq; fudit, & fugauit; in nonnullos, vt concitores belli, animaduertit, alijs Burgundiâ interdixit, præcipuos in vincula Burgdorffum tranſportauit. Eum locum ex arce, vicoq;, opidum fecit, mœnibus, & foſſis, turribuſq; circumdedit, & ſupra portam, quæ ad forum vetus nunc ducit, tamquam in monumentum, hæc pauca adnotari voluit. BERCHTOLDVS DVX ZERINGAE QVI VICIT BVRGVNDIONES FECIT HANC PORTAM. Verſus Antuates Minnidurum ex antiquo opido, Barbaricis temporibus, ad paucas domos redactum, in decus quoq; priſtinum, & formam reparauit, non præſentius aduerſum tumultuantes præſidium ratus, quam ſi creberrimis opidis tenerentur. Domitis fermè abſq; ſanguine Auenticis, & eorum ſocijs, maior motus, metuſq; ſuperfuit, turbantibus Interlacenſibus, Haſelijs, Dunenſibus, Sebedalijs, quiq; propiora alpium colunt, concitatis etiam ab altero latere Valenſibus.

Is in Burgundiam ducit, auxiliante Adelberto.

Rebelles fundit, alios ſupplicio adficit, alios carcerib' includit, aut proſcribit.

Burgdorffum opidum facit.

Minnidurum reparat.

Dunenſes, & cæteros alpinos in gratiam recipit.

Valeſia ſitus.

In eam copias traducit magnis itineris difficultatibus.

bus. Omnibus, vt cultu aſperiore, ita militiæ melioribus. Sed Dunenſes, ceteroſq;, expugnatis, quæ pro regionis ingreſſu obiecerant, vallis, & aggeribus, veniæq; ſpe, ſi mature ab armis diſcederent, oſtenſâ, haut magno labore cõpeſcuit. Erga Valenſes maior opera, & periculum fuit. Nam, ſuper inſitam gentis ferociam, ſitu quoq; defendebantur, inter ſummas, & propè inuias alpes in longum porrectâ valle, anguſtijs rupium, & Rhodano, qui mediam ſcindit, & ab eius capite originem trahit, incluſi, & muniti. Sed Berchtoldus, ſiue nihil virtuti ſuæ inuium putaret, aut clariorem ex difficultate victoriam, &, his poſtremo ſubactis, quos ſcopulis, & ſaxis, quam armis, & fidentiâ tegi crederet, reliquos poſtea in officio, & metu manſuros, per Alpium eam partem, quam adcolæ Grimſel vocant, vaſtam ad ea tempora, & incognitam, exercitum duxit, limite reperto, nullis humanis veſtigijs, ſed quem capreæ ſilueſtres frequentârant, eâ anguſtiâ, vix vt ſinguli incedere poſſent. Ob quæ fruſtra fuiſſet Rector, niſi ex Gemmio, eodem montium tractu, ſed magnâ inter ſe capedine, armatos oſtendiſſet, quibus excipiundis dum Valenſes intendunt, in vallem, eâ quâ cæperat parte, ipſe irrupit. Cæſum, incenſumq; quidquid confidentia, aut fors obtulit. At qui in montes ſe, & rupes receperant, ingenti impetu, & fragore latè reſonantium ſiluarum, & montium, prærupta ſaxa in ſubiectos, ægreq; per anguſtias enitentes præcipitare, truncorumq;, & lapidum, tamquam turbidiſſimâ tempeſtate, exercitum cooperire, ſtrenuum, ignauumq; iuxta opprimere, lacerare, omnia turbare, & vnâ ruinâ inuoluere. Habeo auctores qui ſic disiectos, adflictoſq; internicione deleîſe, vixq; Berchtoldum, & Adelbertum, paucis comitibus, euaſiſſe prodiderunt. Alij contrà memorant, vallem igne, ferroq; vaſta-

Obuſa populatur.

Maximam cladem ex quorumdam ſententia accepit, alijs cõtra ſcribentibus.

Chronic. Bernenſ. ms.

Vandalia chron.

tam,

tam, Valeſianos in deditionem veniſſe. Sed vtcumq; ea ſe habeant, ex ſupradictorum Dunenſium, & ceterorum rebellione conſilium Berchtoldo natum Bernæ condendę, exemplo patris, qui Auenticis continendis duodecim antè annis Friburgum poſuerat. Notat chronicon Vandaliæ, ſiue Antuatium, bellum poſtea Zeringum cum Comite Sabaudiæ Petro habuiſſe, exutumq; ab eo caſtris, & captũ, neq; antè dimiſſum, quam Antuatibus, & magnâ agri Auentici parte ceſſerit. Quæ omnia procul à vero, referre volui, quia eadem inde, credo, ſumta, hiſtoriæ Sabaudiæ ſcriptores repetiuere. Ceterum, cum, ſicuti diximus, Philippus Galliæ rex domum rediſſet, eumq; Richardus Anglus, multis præclare geſtis, poſtea ſecutus Chriſtianorum in Oriente ſpes, & opes haut parum minuiſſet, mors Saladinum, re inopinatâ, oppreſſit. Eâ morte, Celeſtinus pontifex recipiendæ poſtremò Hieroſolymę fiduciã cæpit, eo magis, quia Saladini filius Noradinus, cum patruo Saphadino de imperio in contentionem inciderat. Igitur Heinrico Imp. paterna veſtigia inſiſteret, auctoremq; ſe, & ducem Chriſtiani nominis in Orientem exhiberet, perſuaſit. Crucem is Argentinæ accepit, dumq;, quæ bello vſui, aut neceſſitati molitur, Siculorum auditâ rebellione, & Apulorum, eo mentem prius vertere, & copias coactus eſt. Ne tameo voto, aut Orientalium exſpectationi deeſſet Heinricum Saxoniæ ducem expeditionem, ſuo nomine obire, exercituiq; præeſſe iuſſit, legatis additis, Cunrado Maguntiacenſi, & Cunrado Vireeburgenſi antiſtitibus. Hos ſecuti Hermannus Thuringus, Heinricus Brabantinus, Heinricus palatinus Rheni, Cunradus marchio Morauiæ, alij plures, & inter eos ſacris bellis exercitatiſſimus Adelbertus Habſburgienſis, præter epiſcopos Bremenſem. Alberſtatenſem, Batauienſem, Ratisbonenſem. Sumtus

Vernherus Schodelerus chrr. tom I. ms.

Bernam condidit.

Chronici Vandaliæ alucinatio, quã ſequitur Paradinus in hiſtoria Sabaudica, et, qui nuper ſcripſit ſtemmata gentilitia Sabaudiæ Vandeburgius.

Heinricus Imp. Cæleſtini pontif. auctoritate, & ſuaſu Crucem aduerſus Saracenos capit.

A. D. N. CIↃ C. XCVI. Continuat. lib. ij. cap xvi. & ſeq.

Exercitũ in Orientem mittit claris ductoribus, in quibus Adelbertus.

&, Pan-

&, Pannonico itinere, Fridericus, Leopoldi filius, dux Auſtriæ. Ab Alexio Angelo Conſtantinopolitano Imp. benignè accepti, & commeatibus aucti, Græcorum claſſe Tyrum peruenere. Berythum mox, quo tamquam propugnaculo fortiſſimo hoſtes ſe tenebant, ſigna verterunt, factoq́; ingenti prœlio, opidum expugnauere. Procedebatq́; Chriſtiana res haut improſpere, cum nuncius de Heinrici Imp. morte allatus, diſcidioq́; ob ſucceſſorem inter principes exorto, caſtra, & omnium animos magno opere perturbauit. Itaq;, animis alio aliorum conuerſis, cum ſuis ex eâ contentione, vti ſæpius antea, quiſq; timeret, Moguntiacenſis etiam, ſe abſente, & inconſulto, electionem quamcumq; ægerrimè toleraret, milites dilabi, ſubſequi ductores, anno expeditionis ſecundo, domum prope omnes rediere. Adelbertus, rebus multis fortiter geſtis, magnâ bellicæ laudis gloriâ, paullo poſt, ingentibus terræ, marisq́; laboribus confectus, exſtinctus eſt, A. D. N. CIↃ. C. XCIX. Succeſſit ex ITA Pfullodurenſi RVDOLFVS filius. ITAM filiam (male Manlius Magdalenam vocat) Heinricus Liningæ comes Hermanni F. duxit vxorem. De Adelberto porro hæc notabilia idem Manlius, vndecumq; illi notata. *Hic*, inquit, ***tam inuicto, robuſtoq́; animo fuit, vt portas, ac ianuas numquam obſtrui curauerit, & tam opulentus, vt omnium rerum inopiâ laborantibus ad ſe aditus pateret.*** Condidit, inter alia, opidum, & arcem Valdshuot ex vico Germanorum quondam contra Romanos, qui è regione, ſiniſtrâ Rheni ripâ Confluentiæ agitabant, præſidio & excubijs, quaſi Siluæ Harciniæ Cuſtodia, firmum, & memorabile.

Geſta proſpera.

Heinrici Imp. obitus. A. D. N. CIↃ. C. XCVIII


Ex eius morte res in Oriente cecidere pleriſq; domum conuerſis.

Adelberti exceſſus. Vxor liberi.

De quo Manlius admirabilia libello de mor. crib Imp. Maximil. I.

Conditer arcem, opidi Valdshuot. Chron Helu lib. xij cap. xv. chr. Baſ. lib. 1. cap. xxi.

RVDOL-



RVDOLFVS. I. COMES HABSBVRGI, & Landtgrauius Elſatiæ, Dominus Laufenbergæ. Cap. II.

MAGNAE in hoc, & paternæ virtutes animi, & corporis. At eum talem, talem, dum ab extremâ Noæ arcâ Habsburgienſes Hieronymus Gebuillerus trahit, penè vltimum per viam perdidit, nec genealogiæ ſuæ inſeruit. Omiſerunt pariter, & ignorârunt Volfgangus Latzius, Michael Eintzingerus, Heuterus, Belforeſtius, Roſierius, ceteri prope omnes. Ceterum hunc, de quo agimus, RVDOLFVM. I. Adelberti II. F. & Adelberti III. patrem, Rudolfi vero regis primi fuiſſe auum, non ſolum genealogiæ libellus fundatorum Monaſterij Muri fideliter notauit; ſed etiam publica probant aliorum monumenta. Exſtat Vettingæ inſtrumentum vnum, quo Ru-

Imperite, abſcriptoribus Auſtriacis omiſſum.

Fuiſſe regis Rudolfi auum probatum ex genealogia Murēſi, & inſtrumentis.

Gg dolfus

dolfus comes Habsburgi, & Elſatiæ Landtgrauius, eiuſq; patrueles Rudolfus canonicus Baſilienſis, & dein Epiſcopus Conſtantienſis, Gotfridus, & Eberhardus Habsburgienſes, omnes tres fratres, Dieticum, & Slierum vicos vendiderunt abbati, & monaſterio Vettingenſi, in quo diſertim hic Rudolfus Rudolfi regis auus, Adelbertus, de quo ſuprà ſcripſimus, proauus nominatur. Eius inſtrumenti exemplum, etſi perlongum, & multa in eo præterea quæ nihil ad inſtitutum, quo fides tamen teſtatior ſit, & ſuprodictorū auctorum obliuio clarior, totum, integrumq; infrà adpoſui ex ipſo autographo ſumtum. Illud vero ita ſe habet. COMITES *de Habisburch, videlicet, Rudolfus Lantgrauius Alſatiæ, Rudolfus canonicus Eccleſiæ Baſilieñ. Gotfridus, & Ebirhardus fratres eiuſdem Lantgrauij patrueles, Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentium inſpectoribus in perpetuum. Cum ſit hominum vita breuis, memoria labilis, malitia inexplicabilis, & multiplex, contractus, qui fiunt in tempore, præcipuè de magnis rebus, & arduis, ne labantur cum tempore, ſcripturæ teſtimonio non immerito, nec improuide tranſmittuntur ad notitiam poſterorum. Nouerint igitur, quos noſſe fuerit oportunum, quod cum Nos Curtes, & prædia noſtra in Dietinckon, & in Slierron ſita, iure proprietatis ad nos, & noſtros progenitores pertinentia, à prædilectâ Dominâ, & matre meâ, videlicet prædicti Lantgrauij, HEILVVIGI comitiſſâ, cui ipſe curtes, & prædia in recompenſationem donationis propter nuptias, titulo pignoris, fuerant obligata, per certam, & legitimam permutationem redemerimus, mediante bono conſilio, & maturo, ſicut in inſtrumento, ſuper hoc ex parte ipſius comitiſſæ ſpecialiter confecto, demonſtratur, Nos comitatu, & iure ipſius comitatus, nec non iure patronatus Eccleſia in Dietinckon, cum aduocatiâ, ſuper dotem eiuſdem Eccleſiæ, nobis, videlicet, iam dictis tribus fratribus Rudolfo, & Gotfrido, & Ebirardo comitibus, ad manus noſtras,*

Inſtrumenti exemplum ex ipſo autographo tranſcriptum, annuente, & bene cupiente Reuerendiſſ. D Petro Vettingenſis Monaſterij antiſtite profectò digniſſimo.

Heiluuig mater Rudolfi primi regis

ſtras, & dominium reſeruatis, totaliter, & exceptis, iam dictas curtes, & prædia, cum ſeruis noſtris, qui ad ipſas curtes, ſeu ad glebam terræ curtium pertinent, & cum omnibus locis, bonis vſibus, vſufructibus, appendicitijs, & iuribus, ad eaſdem curtes, tam iure proprietatis, quam Imperialis infeodationis, & conſuetudinis attinentibus, & annexis, videlicet, domibus, agris, pratis, hortis, cultis, incultis, paſcuis, compaſcuis, impaſcuis, vijs, inuijs, ſiluis, arbuſtis, frutectis, viridarijs, virgultis, carectis, harundinetis, libero ingreſſu, & egreſſu, tabernis, molendinis, furnis, aquæductibus, & decurſibus, lacunis, paludibus, piſcarijs, fundis, vadis, ripis, piſcationibus, venationibus, aucupijs, & cum vniuerſis libertatibus inſtituendi, deſtituendi, diſtrictibus, bannis, & iuribus dominij proprietatis, ſeu aduocatiæ, quocumq; nomine cenſeantur, nec non cum omnibus, quæ iam ſciuntur, vel ſi qua per hominum obliuionem, malitiam, fraudem, dolum, negligentiam, à prædictis curtibus, & prædijs, minus legitimè alienata, defalcata, qualitercumq; vel ſubtracta, vel diſtracta, præfatis curtibus, & prædijs attinere ab hac die, in antea poterunt comprobari. Aduocatiam quoq;, ſeu ius aduocatiæ ſuper dotem Eccleſiæ in Slierron, & quidquid iuris in eâdem habemus Eccleſiâ, quidquid etiam iuris in ſæpedictis vniuerſis, & ſingulis bonis, & hominibus, tam Nos, quam bonæ recordationis progenitores noſtri, Comites, videlicet, Albertus, mihi Lantgrauio pater, nobis tribus fratribus patruus, Rudolfus auus, Albertus proauus, ratione proprietatis, vel infeodationis ab imperio, vſq; in præſentiarum, diuiſim, vel coniunctim, & communiter habuiſſe, poſſediſſe, quaſi poſſediſſe, dinoſcuntur, à termino, ſcilicet, qui dicitur Attenfluo, ze deme genuetim Marckſteine, & riuulo, ſupra ſuperiorem villam Altſtetim, vſq; ad riuulum, qui dicitur Bruggebach, & à montis adiacentis decliuo, quod vulgo dicitur Schneſchleiphe, vſq; ad fluuium Lindemacum, & per totum eumdem fluuium, & eiuſdem augias, à loco, qui dicitur Rudolfus rex I. Albertus pater. Rudolfus auus. Albertus proauus.

Chreuuilsfurt, vſq; ad pontem Badin, honorabilibus in Chriſto abbati, & conuentui de Vettingen Ciſtercienſis ordinis, Conſtantieñ. diœc. & eorumdem monaſterrio, mutuo conuentionis partium conſenſu, prædictâ dominâ conſentiente, libere, & expreſſe, interpoſitâ ab eâdem ſuper hoc de ratihabitione, & in poſterum non contradicendi, vel impugnandi perſonaliter, & voluntariè iuramento, bonâ fide, quæ in huiuſmodi contractibus requiritur, ſine omni dolo, & fraude, nomine noſtro, & noſtrorum heredum, iuſto, & legitimo iure venditionis titulo, verbis legalibus, ſocundum conſuetudinem prouinciæ, ſuper hoc adhibitis, vnito, non ſolum noſtro, verum etiam vaſſallorum noſtrorum, & miniſterialium conſilio, & conſenſu, publicè, liberè vendimus, reſignamus, tradimus, donamus, pro quingentis, & quadraginta marcis argenti, ponderis Turicenſis, ad manus noſtras ſub legitimo pondere ſolutis, traditis, & receptis, & in ipſos relligioſos, & ipſorum monaſterium, omne ius, quod in prædictis hominibus, & bonis, in terrâ, ſuper terram, in aquis, ſuper aquis, habuimus, præſentibus transferimus, eoſdem ponendo, & mittendo in poſſeſſionem, quaſi poſſeſſionem prædictarum rerum, & iurium corporalem. Tria etiam feodalia bona, quæ vulgo

Manlehen. beneſicia maſculina, quæ ad fœminas nõ tranſeunt.

dicuntur Manlehen, prædictis curtibus, & prædijs attinentia vendimus, reſignauimus, tradimus, ſæpedictis relligioſis, ſub hac formâ. Duo ex hijs feodalibus bonis, quorum vnum Rudolfus miles, dictus Barrer; alterum verò filij fratris Arnoldi, nunc monachi in Vettingen, quondam dapiferi noſtri, habent in feodum, de manibus ipſorum poſſeſſorum emere, vel potius redimere debemus ad ius, & proprietatem ante dictorum abbatis, & conuentus, ſine omni eorumdem damno, & labore. Sed de tertio feodali bono, quod Diethelmus pincerna noſter habet in feodum, ijdem abbas, & conuentus emendo, redimendo facient quod ſibi viderint expedire, auctoritatem noſtram ſuper hoc de cetero, ex aliquâ neceſſitate iuris, vel facti, nullatenus requirendo. In omnibus

nibus

nibus alijs feodalibus bonis nobis ius, & dominium reſeruamus; Eiſdem tantum relligioſis ſaluo in omnibus iure libertatum, diſtrictuum, bannorum, ſecundum quod præmiſſum eſt, ſine contradictione, ac impedimento quolibet, remanente. Præterea ſeruos noſtros, qui ſecundum tenorem antedictum, ad curtes, & ad glebam terræ pertinent, cum ſæpedictis bonis vendimus, reſignamus, tradimus, transferendo, niſi ſint in Turego, vel in aliquâ noſtrarum munitionum ad præſens reſidentes. Item in liberis hominibus, & Eccleſiarum quarumcumq; ſeruis, qui nobis ratione aduocatiæ ſubſunt, intra diſtrictum, & terminos prænotatos, quamdiu ijdem ibidem remanere voluerint, quia inuiti per nos, & noſtros officiales, ſeu miniſtros, non debent vllatenus remoueri; vel qui ſe aliquo motu alias transferentes, poſtmodum reuerſi fuerint, omne ius, quod in ipſis habemus, relligioſi habebunt antedicti, nobis nihil iuris in eiſdem hominibus, quamdiu intra terminos ſæpedicti diſtrictus reſidentes fuerint, reſeruato. Item pedagia, ſeu thelonea, quæ vulgo dicuntur Zoelle, in Dietinckon hactenus ſolui conſueta, iuri noſtro, & dominio ſpecialiter excipimus, & reſeruamus, quæ tamen deinceps apud Altſtetin, vel alias extra diſtrictum abbatis, & conuentus de Vuettingen, ſi de iure fieri poterit, recipi, colligi, efficaciter procurare volumus, & debemus. Sunt autem hæc iura, quæ in prædictis bonis, & diſtrictibus, ex noſtrâ venditione, reſignatione, traditione, abbati, & conuentui competunt antè dictis. Omnia iudicia ſecularia hominum in Dietinckon, & in Slierron, niſi ea, quæ pœnam ſanguinis requirunt, vel forum Eccleſiaſticum tangunt, ſeu expreſsè pertinent ad Comitatum, prædictorum abbatis, & conuentus auctoritate, & ordinatione, in Dietinckon, & Slierron exerceri debent, & haberi. Ad tria tamen placita, quorum vnum proximo poſt Hilarij; ſecundum proximo poſt Vualtpurgis; tertium proximo poſt Martini die non feriato habetur, vniuerſitas prædicti diſtrictus, ſecundum quod abbas pro tempore mandauerit,

ordina-

ordinauerit, indixerit, tenetur conuenire iudicio abbatis, vel ſui procuratoris ibidem paritura. Item, qui iudicio per præconem ſecundum conſuetudinem indicto ſe contumaciter abſentauerit, abbati de Vuettingen ſuo iudici nomine pœnæ perſoluet tres ſolidos, monetæ vſualis, niſi idem, qui contumax reputatur, per legitimum impedimentum ſe valeat excuſare. Item, ſine abbatis auctoritate, nullus debet habere res venales in termino, vel diſtrictu prænotato, maximè cum omnes banni, exceptis bonis in Baltoſuuile, & in Schœninberch ad abbatem pertineant ſæpedictum. Item, in nemore Dietinckon, quod dicitur in deme Harde, præter licentiam abbatis, non debet arbor aliqua reſecari. Villanis tamen in Spreitinbach ad domos ſuas conſtruendas, vel reparationem earumdem petentibus, ſecundum conſuetum moderamen, ligna prædicti nemoris non debent denegari. Item ius piſcariæ, quæ infra Chreuuisfurt, & pontem Badin hactenus ad nos integre pertinuit, deinceps ad prædictum monaſterium debet ſine impedimento quolibet pertinere. Item, reſidentes in Dietinckon, à terminis villanorum in Slierron, vſq; in riuum, qui dicitur Bruggebach, iura paſcualia, & compaſcualia ſine læſione ſegetum, & feni libere poſſidebunt. Item homines de Spreitinbach, & de Vuile, vltra riuum, qui dicitur Egislebach, non habent ius aliquod reſecandi arbores ad vſus aliquales. Item, curtis in Slierron idem ius, cum curte in Dietinckon habebit, & habere debet in omnibus iudicijs, & bannis, et alijs, quæ pertinent ad iuriſdictionẽ iudicialem. Ad pleniorem etiã cautelam, & contractus firmitatem, pro nobis, & noſtris hæredibus, renunciamus omni iuri, conſtitutioni, conſuetudini, editis, & edendis, inuentis, & inueniendis, & omnibus alijs, occaſione quorum præfatus contractus, ingenio hominum, vel maliciâ, ex nunc impugnari poſſit aliqualiter, vel caſſari. Nihilominus ad cauendum de euictione, & præſtandum ſine difficultate qualibet Vuarandiam, [d] ſuper præfatis bonis, hominibus, diſtrictibus, bannis, & iuribus, vbicumq; fuerit ne-

[d] *Pretij æſtimationẽ, antiq. Germanicũ vocabulũ in latinum inflexũ vuarandia.*

rit ne-

rit neceſſe, ſæpedictis relligioſis, & eorum monaſterio, Nos, & noſtros ſucceſſores præſentibus firmiter, & fideliter obligamus, promittentes quod vniuerſos, & ſingulos defectus, ſi qui præſenti inſtrumento à iuriſperitis de cetero notari poterunt ineſſe, emendari, corrigi, & ſuppleri promptiſſime faciemus; attendentes, quod in contractibus, plena; in teſtamentis, plenior; in beneficijs, pleniſſima interpretatio, & fides debeat adhiberi. In teſtimonium autem, & robur omnium præmiſſorum præſens inſtrumentum de noſtro rogatu, conſenſu, confectum, conſcriptum, antedictis relligioſis, & eorum monaſterio tradimus, ſigillis venerabilium in Chriſto, D E I gratiâ Ebirhardi Conſtantieñ. Bertholdi Baſilieñ. epiſcoporum, & illuſtrium Hartmanni ſenioris, Hartmanni iunioris de Kiburg, & Rudolfi de Raprechtſchuuil comitum: Et honorabilium in Chriſto Heinrici Baſilieñs. Heinrici Grandiualleñ. præpoſitorum, & noſtris, necnon conſulum, ſeu vniuerſitatis ciuium Turiceñ. pariter communitum. Ego ſæpedictus Ebirhardus ſigillo prædictorum patruelis mei Lantgrauij, & Gotfridi, & Rudolfi canonici Baſilieñ. fratrum meorum Comitum, quia proprium nondum habeo, vtor in hac parte. Acta ſunt hæc in Fl. Turego, præſentibus quorum nomina ſunt hæc. Rudolfus Comes de Raprechtſchuuil, Rudolfus de Vuediſuuiler, Marchuuardus de Ruſegge, Hugo de Veſſimberch nobiles. Heinricus præpoſitus Imbriacenſis, magiſter Cunradus Cantor, Heinricus plebanus S. Petri, Hugo Bochelinus, canonici præpoſituræ Turiceñ. Diethelmus pincerna de Habisburch, Burchardus de Tegiruelt, Rudolfus, dictus Barrer, Bernerus de Vuil, Heinricus dictus ab deme Turne, Vuernerus de Tumritun. Sed de Turicenſibus Heinricus Bruno ſenior, Cunradus Albus, Vlricus de Schæminuuert, Vlricus de Clothun milites. Hartmannus de Baldeuuile, Vuernerus Helt, Rudolfus miniſter de Badin, Burchardus ſcultetus de Bremigarton. Sed de ciuibus Turiceñ. Ruedigerus, & Hugo, dicti Maneſſin, Heinricus, & Reinhardus

fratres

Digitized by Google

fratres de Chlotun dicti, Rudolfus Krieck, Rudolfus dictus de Beggingen. Anno Dominicæ Incarnationis M.CC.LIX. xvi. Kal. Nouembris, Indictione tertiâ, Alexandro papa quarto Romanã Eccleſiam gubernante. Hæc quidem inſtrumentum. Rudolfum autem, illum Elſatiæ Landgrauium, fuiſſe, qui deniq; ingenti gloriâ Habsburgiæ gentis, & reipublicæ bono, Imperio primus præfuit, Germaniamq; in priſtinum decus, & dignitatem reſtituit, docent ex Alberto filio nepotes Albertus, & Otho literis, quibus eamdem venditionem, multis poſt annis, confirmarunt, ne forte Gebueilerus, & eius ſectatores, alium, tamquam ex machinâ, moliantur. Alberti teſtimonium tale eſt. *Nos Albertus Dei gratiâ Dux Auſtriæ, & Stiriæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, & Portuſnaonis, comes in Habsburg, & Kiburg, Landgrauius Alſatiæ, nec non comes Phirretarum, ad vniuerſorum notitiam cupimus peruenire, quod accedentes ad noſtram præſentiam honorabiles, & relligioſi viri abbas, & conuentus monaſterij in Vuettinge, deuoti noſtri dilecti, nobis humiliter ſupplicârunt, vt inſtrumentum, quoddam ſuper certâ venditione ſibi factâ, per Diuæ memoriæ Dominum Rudolfum regem Romanorum, auum noſtrum, tunc temporis Comitem in Habsburg, ac alios progenitores, & anteceſſores noſtros, ipſis traditum, ſub noſtro ſigillo eiſdem reſcribere, & eos, iuxta eiuſdem inſtrumenti tenorem, in eâdem venditione manutenere, & defendere dignaremur, Cuius quidem inſtrumenti tenor per omnia talis eſt.* COMITES DE HABSBVRG. &c. *Nos igitur. &c. Datum in Baden Anno Domini noſtri M.CCC.XXVI. Idus Octobris.* Othonis confirmatio in eadem prorſus verba, niſi quod omiſſum, *Nec non comes Phirretarum*, Facta eſt tertio poſt antecedentem anno. Magno documento quam lubrica, & errabilis ſit induſtria nobilibus familijs inquirundis, prodendiſq;, priſca ſi monumenta, & inſtrumenta deſint, aut ſcriptorum

Rudolfũ illũ Lantgrauium, cuius ſuperiori inſtr. mentio, fuiſſe, eum, qui imperauit.

Ex ipſo autographo.

rum

Digitized by Google

rum veterum prudentes memoriæ. Ex hoc enim eodem etiam inſtrumento ſatis probatum, falſa, & ficta eſſe quæcumq; Arnoldus Vion tradidit, de Habsburgienſium origine, ex Petro III. Perleonio, Adelberti patre, & Rudolfi primi regis, vt ipſe voluit, auo, vt ab eo, & ceteris eiuſdem opinionis, an vanitatis, refutandis, conuellendisq; poſtremo manum abſtineamus.

Arnoldi Vionis ſuper Habsburgienſium origine fabula, nugaq;, & reliquorum.

Verum Imp. Heinrico Panormi Siciliæ opido defuncto, Philippus, qui fratrum ſupererat, &, paullo ante interfecto Durlaci Cunrado, Sueuiæ ducatum obtinebat, Friderici Rogerij, Heinrico nati, quem Cæſarem pater deſignârat, tenerâ adhuc ætate, & imperandi ineptâ, regnum adfectare, parare, amicos hortari, alios donis corrumpere, plures promiſſis onerare. Contra Innocentius III. pontif. Berchtoldum Zeringum oſtentare, militiæ, & opibus florentem, & qualem tempora poſtularent.

Philippus Dux Sueuiæ.

Poſt Heinrici VI. obitū de Imperio, & in eo diſcidium.

Philippus frater eius ambit.

Contra quem Innocentius pontif. Berchtoldum oſtentat.

Extant eiuſdem pontificis ad Berchtoldum epiſtolæ fragmenta, ex quibus iuris Canonici concinnatores caput XXXIV. tit. IV. primi libri Decretal. perfecerunt, quâ oſtendit electionem Imperatoris ad Germaniæ principes pertinere, ſed pontificis Romani eſſe electum examinare, approbare, inungere, conſecrare, coronare. Hortatur poſtremo eumdem ducem, vt ne Philippi partes amplectatur, ſed eaſdem, vel ſi ſacramentum præſtiterit, deſerat, narrans impedimenta, quibus Philippus ad Imperium peruenire non poſſit, *excommunicationem publicam, periurium manifeſtum, & perſecutionem diuulgatam, quam progenitores eius, & ipſe præſumpſerunt in Apoſtolicam ſedem, & alias Eccleſias exercere. Nobilitatem*, inquit, *tuam mouentes per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus à præfato Duce recedas, omnino non obſtante iuramento, ſi quod ei, ratione regni, feciſti, cum (eo, quantum ad obtinendum Imperium, reprobato) iuramentum eiuſmodi non debeat obſeruari*. Quod ideo notaui, quia prauè,

Eiuſdem pontif. ad Berchtoldū epiſtolæ fragmentum.

Cuius epiſtolæ inſcriptio corrupta vulgo.

Digitized by Google

&corruptè pleriq; legunt, citantq;. Namq; tradunt alij eam epiſtolam ſcriptam ad ducem Thuringiæ, alij ad Ducem Laringiæ, nonnulli ad Ducem Caringiæ, aut Carinthiæ, vel Zerangiæ, cum haut dubium ſit, quin ad Berchtoldum Zeringæ, aut Zeringiæ ducem, de quo agimus, miſſa fuerit, inter Germaniæ principes bello, paceq; facile principem. Ceterum, cum Zeringus Imperium refutâſſet, ſponte, an acceptâ ab Philippo pecuniâ, cuius cupidiorem pleriq; tradunt, ſiue maiores faciundos ſumtus retinendæ ſemel captæ dignitati, quam opes ferrent, intelligebat, & modeſta, tutaq;; quam cum periculo ſublimia antepoſuerat, principes regni, maiori ex parte, præcipue archiepiſcopi Maguntiacenſis, Treuerenſis, Magdeburgenſis, Veſontionenſis, Epiſcopi Ratisbonenſis, Augustenſis, Friſingenſis, Vormatienſis, Spirenſis, Conſtantienſis, Duces Saxoniæ, Auſtriæ, Bauariæ, Morauiæ, rex quoq; Bohemiæ, Philippo imperium Mulhauſij Elſatiæ, aut, vt alij volunt, Thuringiæ opido, viij. Eidus Martij confirmauere. Pauci Innocentij decreta, & mentem ſecuti, Othonem, Heinrici Leonis, quondam Saxoniæ, & Bauariæ Ducis filium, regis Anglios ex ſorore nepotem, cui ex tam ampla patris dominatione præter Brunſuiciam nihil ſupererat, regem contrà ſublegerunt. Hinc, vti aliàs, bella, & cetera inter partes fœda, cruenta, atrocia. Philippus enim contra Othonianos, qui in Elſatiâ erant, ſubito exercitum duxit, Moltzheim, Epfich, Haldenburgum, Rubeacum, expugnauit, & diruit, Argentinæ ſuburbia, ſuburbana incendit, & vaſtauit, ciues & eorum epiſcopum, comitemq; à Dachsburgo Adelbertum deditionem facere, & Othonis factionem deſerere, auctoritate maxime, & opibus Zeringi coegit. Conuentu hinc Maguntiaci, menſe Auguſto habito Coloniam Rheno ſecunda vectus, cum Adolfo ciuitatis

Principes pleriq. cum Zeringus Imperium recuſaſſet. Philippum probauere.

A. D. N. CIↃ. C. XCIX.

Alij Othonē Brunſuicia Ducē Heinrici Leonis F. legerunt.

Vnde ciuile bellū.

Philippus Elſatiā inf. vaſtat.

A. D. N. CIↃ. CC. & ſeq.

Coronatur Aquiſgrani.

A. D. N. CIↃ. CC. V.
Othonem profligat.

uitatis archiepiſcopo pacem fecit, ab eodem coronam regni Germanici Aquiſgrani ſuſcepit, Othonem vltra Albim repulit. Qui, cum poſtremo imparem ſe animaduerteret, pactis cum Philippi filiâ nuptijs, imperium eiurauit. Neq; longa poſtea Philippi Dominatio fuit.

Interficitur. A. D. N. CIↃ. CC. VIII.

Otho palatinus à Vierelsbach per proditionem in cubili Babembergæ crudeliter ferro necauit, xi. Kal. Iulij.

Otho Imperio reſtituitur.

Principes continuo Francofurtum delati, Othonem, qui abdicarat, imperio reſtituerunt, non abſq; Innocentij fauore, & ambitu.

Fridericus V. Dux Sueuiæ.

In Sueuiæ ducatu ſucceſſit Fridericus Rogerius Siciliæ rex, Philippi nepos, nominis V. Per ea tēpora, & ſuperiora bella,

Rudolfus à multis protector adſumitur.

patronum, & defenſorem Rudolfum Habsburgienſem opida ex vicinis nonnulla, ciuitatesq́;, & communitates liberæ, ſuâ ſponte, & ſtipendio adſumſerant, in quibus Siluanienſes fuere, & Montis Angelorum apud eos monaſterium.

Eundem Germaniæ ſuperiori præfecit Otho. A. D. N. CIↃ. CC. IX.

Sed diſceſſurus in Italiam Otho tribus Communitatibus Vraniæ, Suitiæ, & Siluaniæ, Germaniæq́; adeo ſuperiori vniuerſæ præfectum Rudolfum dedit, & Imperij vicarium, ſiue aduocatum prouincialem, ceteraq; regij iuris, & fiſci commiſit, vectigalia, tributa, portoria, collectas, captâ in id pecuniæ ſummâ, ſimul nobilitati propinquæ edixit, Habsburgienſi, ſe abſente, tamquam ſuas vices agenti, parerent, opemq́; contra tumultuantes, aut contumaces ferrent. Ita Romam profectus cum ducibus Bauariæ, Lotharingiæ, Zeringiæ, Carinthiæ, Morauiæ, archiepiſcopis Treuerenſi, & Magdeburgenſi, Epiſcopis Virceburgenſi, Spirenſi, Argentinenſi, Vormatienſi, Baſilienſi, Conſtantienſi, Batauienſi, Curienſi, Auguſtenſi, Eiſtadienſi, Pragenſi, Olmucenſi, & maximâ, Saxoniæ

Inde Romam profectus Imperator, IV. coronatus eſt.

præcipue, nobilitate, Imperator IV. eius nominis præſtito Eccleſiæ ſolito iuramento ab Innocentio IV. Nonas Octobris coronatus eſt. Sed cum fidem per lubidinem, & auaritiam

Digitized by Google

ritiam ſubito profanâſſet, Eccleſiæ dignitatem non ſolum non tueretur; ſed etiam oppugnaret, opida aliena vexaret, omnia latrocinijs, & prædationibus in feſta haberet, eodem pene tempore, ſacro anathemate percuſſus, & indignus imperio iudicatus eſt.

Mox & imperio exutus. A. D. N. CIↃ. CC. X.

Interim Habsburgienſis præfecturam ingreſſus nonnulla, quæ Montis Angelorum monaſterio apud Siluanios ſecum controuerſa erant, per commutationem compoſuit, præſente filio, & conſentiente Adelberto. Dedit enim Comes monaſterio quidquid in valle montis Angelorom ab Imperio habebat, ad eum vſq; locum, & terminum, qui Monaſterij, & Siluaniorum iuriſdictionem nunc quoq; ſegregat, & inter Surinam, Aach nunc vulgo nominant, & Sultzbach fluuios ſitum eſt.

Rudolfus quædam apud Monaſt. Montis Angelorum cõtrouerſa, commutatione diremit.

Ab abbate viciſſim accepit, quæ quondam Valterus eques Reidenſis baronum Sarnenſium, hæres, apud Sarnam, maximum Siluaniorum ſuperiorum Vicum, adſignârat. Eius rei inſtrumentum ita ſe habet.

Facti inſtrumentū ex ipſo autographo

Labilis humani generis fluxus actuum ſuorum memoriam præcipitare ſolet in obliuionis abyſſum. Quapropter memorandi actus, ne defluant, membranæ tenaci literaliter influant. Hinc eſt quod ſcripturæ nobis inſeri placuit, qualiter concambium duorum prædiorum inter Eccleſiam Montis Angelorum, & Rudolfum comitem de Habesburch, & Lantgrauium Alſatiæ, & filios eius factum eſt, vnum vicinum prædicta Eccleſiæ, videlicet in inferiori monte, inter fluuium Suranum, & notum limitem, tam ſiluam, quam montes per girum diuidentem, vſq; ad curſum ripæ Sulcebach, iſta, inquam, omnia, tam culta, quam inculta, cum ſiluis, montibus, aquis, aquarumq; decurſibus, prædictus princeps cænobio Montis Angelorum contradidit, delegauit, & ex toto ſe deinceps abdicauit, cum aduocatiâ perpetualiter à ſupradictâ Eccleſiâ libere poſſidendâ. Contra Eccleſia prædium, quod ipſa dinoſcitur abſq; contradictione poſſediſſe in Sarnen, cum omni iure, quo Valterus miles

illuſtris

Digitized by Google

illuſtris de Reiden, illud memoratæ Eccleſiæ contulerat, per manum Heinrici abbatis, omnibus fratribus ſuis in ſimul conſentientibus, ante dicto comiti, iuſtâ commutatione, conſignauit, ac ſe deincepsabdicauit. Acta apud Lucernam Anno Dominicæ Incarnationis M.CC.X. Ind. XIII. Innocentio III. Romanæ ſedi præſidente, Othone quarto eius nominis apicem Imperij gubernante. Teſtes, qui huic traditioni interfuerunt, ſunt hi, Petrus venerabilis abbas Murenſis, Heinricus abbas Montis Angelorum, Valterus præpoſitus Lucernenſis, Vldaricus Cellarius, Heinricus plebanus, Eberhardus Stannenſis plebanus, Heinricus Sacerdos de Boches, Rudolfus comes, & filius eius Adilbertus de Habesburch, Marchuuandus aduocatus de Rottinburch, Heinricus de Heidecca, Arnoldus, & frater eius Heſſo de Rinacho, Rudolfus de Halſtab, Rudolfus de Ruſſeco, Rudolfus de Tribſein, Burcardus de Vualtêſuuile, Vernherus de Bohes, & alij, tam milites, quam burgenſes plures. Vt autem iſta firma, & inconuulſa maneant ſemper, Heinricus abbas, & Rudolfus Comes ſigillorum ſuorum impreſſione ea roborarunt. Quod quidem inſtrumentum, vt alia poſtea, lubentius eo interpoſui, quod in illo Rudolfus LANTGRAVIVS ALSATIAE nominatur, vt exinde certum ſit antea Elſatiæ HABSBVRGIENSES, & antiquitus præſediſſe, neq; primum fuiſſe, quod hactenus omnes [e] rerum Auſtriacarum ſcriptores tradidere, Adelbertum Rudolfi huius filium, & Rudolfi regis patrem, qui LANTGRAVII titulum adhibuerit. Affirmauit etiam apud me Gotfridus à Ramminge antiquitatis obſeruantiſſimus, vidiſſe apud S. Truibertum inſtrumentum, *Datum in clauſtro maioris Eccleſiæ Argentinenſis Anno Dominicæ Incarnationis* M.C.LXXXVI. cum ſigillo Adelberti, de quo ſuperiori capite diximus, Rudolfi huius patris; cuius circumſcriptio erat. SIGILLVM ADELBERTI COMITIS DE HABESBVRCH, ET LANT-

[e] *Ioannes Cuſpinianus*
Volfgangus Latzius.
Michael Littzingerus.
Gerardus de Rhoo.
Habſburgienſes iā ab antiquo, & ante Albertum, Rudolfi regis patrem, Elſatiæ Landgrauij.

LANTGRAVII ALSATIAE. Eorum auctorum, niſi fallor, origo erroris, quod duplicem Elſatiæ Landgrauiatum ſuperiorem, & inferiorem non videntur animaduertiſſe, & de inferiori, non ſuperiori, quem tenebant Habsburgienſes, certamen, poſt Heinrici vltimi Landgrauij mortem, incidiſſe, inter Oetingenſes, Hochbergenſes, & Habsburgienſes, quod poſtremo Oetingenſes euicerint. Succeſſiſſe enim volunt Heinrico Ludouicum Oetingæ Comitem, primum ſuæ ſtirpis Elſatiæ inferioris Landgrauium. Alij, quibus adſentior, prodidere, illum eumdem Elſatiæ inferiorem Landgrauiatum, Argentinenſem Epiſcopum, quatinus Epiſcopatus beneficium erat, poſt Heinrici obitum, recepiſſe, neq; alteri commiſiſſe, titulo eius deinceps vſum eſſe. Vnde Ioannes Naucletus. *Anno 1238. Heinricus vltimus Alſatiæ Landgrauius, ſine heredibus obijt. Cuius quidem titulus, cum feudis, beneficijs, & miniſtertalibus ad Epiſcopum Argentinenſem deuoluitur, atq; hodie manet. Nam id ipſum vnde prodijt, tandem redijt.* Ita quoq; Ioannes Trithemius. ***Anno, 1238. Heinricus vltimus Alſatiæ Landgrauius obijt, qui multa ab Imperio Eccleſiaq; Argentinenſi, & alijs feuda tenuerat, quæ, illo mortuo, ad ſuos dominos ſunt reuerſa.** Porro titulus Comitatus prouincialis apud Eccleſiam Argentinenſem remanſit in præſens.* Neq; tamen hoc negari poteſt, Comites Oetingæ diu poſtea titulo eodẽ Landgrauiorum Elſatiæ inferioris vſos, eoq; in Landgrauiatu præcipue poſſediſſe Brumat, Arnsberg, Niderbrun, Franckenheim, S. Hippolytum, Voerd, & in hoc ferme habitâſſe vnde & ſe dominos, & Comites quandoq; Voerdæ dixerunt, donec Ioannes à Liechtenberg epiſcopus Argentinenſis ab Ioanne Vlrico, vltimo Landgrauio, & Voerdæ domino, & eius conſanguineis Oetingæ comitibus omnia redimeret, A. D. N. CIƆ. CCC. LVIII. Noto verò etiam in ſupe-

Duplex Elſatiæ Landgrauiatus.

De Landgrauiatu inferiore lis, & contentio.

Gewerar. xlij.

Chron. Hirſaug.

Oetingẽſes aliqua tamen in Elſatia inf. poſſediſſe.

Chronograph. Elſatie inf. aliquot sup.

ſuperiori inſtrumento, quod Rudolfus PRINCEPS nominatur. Ex quo colligo, ſuper potentiam, & opes, HABSBVRGIENSES COMITES iam ab antiquo, in eorum fuiſſe numero, qui ſoli Imperio adnexi, proindeq; liberi, & ſui iuris, ideo COMITES PRINCIPES, aut principales dicebantur, ad eorum differentiam, qui feuda ſua, ſiue beneficia, ab alijs Principibus, Ducibus, Comitibus, accipiebant, illisq; , eo pacto, obnoxij reddebantur. Vnde & ſe idem Rudolfus, vt mox videbimus, RVDOLFVM DEI GRATIA LANTGRAVIVM ALSATIAE ET COMITEM DE HABESBVRCH, vocat. Claro indicio, nemini ſuos debuiſſe Comitatus quam DEO æterno, & omnipotenti, cuius reſpectu Imperij Maieſtatem, ſolam reuereatur, & vnicam. Familiam profectò ſuam Habsburgienſes in principalem morem inſtituiſſe, habuiſſeq;, quiuis intelliget qui Dapiferos, & Pincernas de Habsburg, primæ nobilitatis viros, hinc, inde, hoc in opere, ex inſertis inſtrumentis, adnotauerit, reliquorumq; ex eo miniſterialium, vt vocabant, ſplendorem, & dignitatem,, coniecturâ adſecutus erit. Ceterum, Othone, ſententiâ, & decreto pontificis, exuto, pleriq; principes Bohemiæ, Sueuiæ, Auſtriæ, Bauariæ, Thuringiæ, Friderico Rogerio, Siciliæ regi, cui puero ſacramentum non pauci dixerant, regnum, conuentu Francofurtenſi, ratum iuſſere. Eam electionem pontifex confirmauit. Miſſi qui eum ex Siciliâ in Germaniam perducerent Heinricus Niſenſis, & Anshelmus Iuſtingenſis, viri ſtrenui, & induſtrij. Quæ vbi ad Othonem renunciata ſunt, vaſtatâ interim Apuliâ, in Germaniam maturauit, Norimbergæq; ſuæ factionis conuentum peregit. Fridericus vero tandem ad capeſſendam rempl. adductus, cum recto in Germaniam non poſſet itinere, occupatis ab Othone Alpium clauſtris, multis

Habsburgēſes, inter Comites principes.

Familia Habsburgienſis in principū modum.

Fridericus II. imp. A. D. N. CIↃ. CC. X. Corius Continuator lib. iij. cap. x.

per

In Germaniam magnis difficultatibus peruenit.
A. D N. CIↃ. CC. XII.

per montium auia difficultatibus ſuperatis, cum exiguo comitatu, poſtremo Curiam Rhetorum tenuit. Inde ab Reinhardo epiſcopo, & S. Galli abbate, Heinricoq; barone à Saxo Conſtantiam perductus eſt. Otho contrà è Thuringiâ aduolans, Vberlingæ è conſpectu caſtra poſuit, omnes compræhendendi Friderici occaſiones captauit. Ipſe, Vlrici comitis Kiburgi, Rudolfi Habsburgienſis, Rudolfi Raperſuillani, & aliorum vicinorum Comitum, & nobilium, Eccleſiaſticorumq;, quibus prædia paterna, & Imperij largè diuidebat, opibus, & copijs Baſileam conceſſit, menſe Septembri. Baſileæ Ottagari Bohemiæ regis priuilegia non ſolum confirmauit, ſed etiam noua addidit.

Vicinorum Comitum opera, & præſidio Baſileam deductus eſt.

Ibi priuilegia regis Bohemiæ Othocari confirmauit.

Ex Ioãne Cochlæo hiſt. Huſſitarum. lib. ix.

Fridericus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator electus, & ſemper Auguſtus, Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ. Cum decus, & poteſtas Imperij, &c. Huius rei teſtes ſunt iſti archiepiſcopus Barenſis, epiſcopus Tridentinus, epiſcopus Baſilienſis, Epiſcopus Conſtantienſis, Epiſcopus Curienſis, abbas Augienſis, abbas. S. Galli, abbas de Viſſenbach, Berchtoldus de Niphe regalis curiæ protonotarius, Comes Vlricus de Chiburg, Comes Rudolfus de Habesburch, & Lantgrauius de Alſatiâ, Comites Lodouuicus, & Hermannus de Froburg Comes Vernherus de Hohenburch, Arnoldus nobilis de Vart, Rudolfus aduocatus de Raprechtſuile. &c. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XII. menſe Septembri. xv. Indictionis, Regni vero Domini noſtri Friderici illuſtriſſimi Romanorum Imperatoris electi, & ſemper Auguſti, primo, Regni vero Siciliæ, xv. Datum in nobili ciuitate Baſilienſi per manus vice Protonotarij vi. Kal. Octobris. Ibidem Heinricum ex Comitibus à Veringe epiſcopum Argentinenſem, cum aliquot equitum turmis obuiam habuit. Quibus comitantibus, Rheno ſecundo, delapſus Haginoam obſtructas portas cum offendiſſet, opidum obſedit, & paucis diebus deditione

Haginoam ad deditionem coegit.

ditione recepit. Haginoæ paullulum moratus inter cetera, anno ſequenti ineunte, priuilegia Monaſterij Montis Angelorum confirmauit, eaq; bona in primis quæ ex permutatione ab Rudolfo acceperat. *Fridericus DEI gratiâ Romanorum rex ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ. Omnibus Romani Imperij fidelibus, tam præſentibus, quam futuris ſit notum, qualiter regulare monaſterium quod Mons Angelorum nuncupatum eſt.* &c. *Omnia bona ſua acquiſita largitione fidelium, ſpecialiter in inferiori monte, ex vtraq; parte fluminis Surannum, à fidelibus noſtris Comitis de Habesburch, necnon etiam etiam de Froburch, & eorum hominibus, nouiter acquiſita, ſub imperiali mundiburdio* f &c. *Huius rei teſtes fuerunt Sigifridus Maguntinenſis archiepiſcopus, Bernardus Barenſis archiepiſcopus, Dietherichus Trauerenſis archiepiſcopus, Comes Rudolfus de Habsburch, comes Albertus de Eberſtein, Adolfus de Schouuenburch, Richardus de Bernouue, Rudolfus de Raprechtſuuare, Heinricus Marschaldus de Callendin, Vernherus dapifer de Bollandiâ, Philippus de Bollandiâ, & alij quamplures. Signum.* &c. *Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis. M.CC.XIII. Regnante Friderico glorioſo Romanorum rege Auguſto, & rege Siciliæ, anno regni eius Romani primo, regni vero Siciliæ quintodecimo, Indictione primâ. Datum apud Haginaugiam iv. Nonas Ianuarij.* Otho Fridericum vſq; Briſiacum perſecutus, cum in Berchtoldo Zeringenſi reliquum ſpei poſuiſſet, ipſe ad Fridericum tranſiſſet, dilabente iam quoq; milite, rebus deſperatis, in Saxoniam ſeſe abdidit. Fridericus, maximâ principum frequentiâ, Aquiſgrani ab Theodorico Colonienſi archiepiſcopo coronatus eſt, circiter viij. Kal. Auguſti. Mox in Germaniâ res conſtituit, Lotharingiam, Eburones, Brabantiam, quæ cum Othone fecerant, ad officium reuocauit, Aquiſgranumq; rediens, ibidem pontificis auctoritate ſecundo coronam accepit, vtq; aliquam DEO, &

Ibi priuilegia montis Angelorũ etiã confirmauit.
A. D. N. CIↃ. CC. XIII.

Ex autographo.

f *Protectione clientali.*

Otho Imperij ſpem retinendi abijcit. Chron. Hirſaug.

Fridericus Aquiſgrani coronatus eſt.
Res inferioris Germaniæ compoſuit.

Digitized by Google

Voto ſe ad ſacram expeditione deuinxit.

A. D. N. CIƆ CC.XIV.

Inteſtabilis Burgundiæ nobilitatis contra Berchtoldũ coniuratio.

Eccleſiæ gratiam referret voto ad ſacram ſe expeditionem obligauit. Eo tempore, nefandam nobilitas Burgundica, cum bello, & rebellione manifeſta parum proficeret, contra Zeringum Rectorem fraudem concepit, adſumta in ſceleris ſocietatem, & conſcientiam vxore. Eo maxime prætentu, quod cum apud Ducem, egregiâ, fertili iuuentâ, iam ferme quinquennium, poſt prioris vxoris obitum, exegiſſet, numquam peperiſſet, nec ex marito, valetudine, & ætate adfectâ, prolem ſperare poſſet. *At ſi duo, quos ex priori coniuge Berchtoldus ſuſcepit, pueri excreuerint, graue ipſorum, vti erga nouercam, imperium, infeſtiorem nobilitatim inter duos ſeruitutem. Vindicem igitur libertatis ſe, & patriæ, nobilitatiſq; parentem præberet. Seruitum ſatis externis, nec aliam libertatis ſpem, niſi ſtirpe Zeringenſi radicitus exciſâ. Præmium illi ampliſſimum, omnem nobilitatem obnoxiam, & deuinctam. Non defuturos Burgundiæ principes, qui eius nuptias ambituri ſint; longe ante alios futurum qui obtinuiſſet.* His, alijsq; incitamentis, metu, cupiditateq; vecordem perpulerunt, vt ſpecie medicinæ pueros necaret. Altero, quam ſumſerant, die, vterq; vitâ ſolutus eſt. Neq; dubium de veneno fuit, auctor latebat. Conjecta igitur in vincula familia, & inter ceteros vxor, inſito nouercarum odio ſuſpecta. Nec illa poſtremo negauit; venenum ſeſe ab nobilitate accepiſſe, magnâ, longâq; eorum pertinaciâ fatigatam, & victam. Coniurationem ſæuam, & incredibilem, nec, ante ſtragem, & exſcidium totius familiæ, & nominis, quieturam. Zeringus de vxore ſupplicium ſumſit, caput eius eodem cum pueris loculo in baſilicâ S. Vrſi, & Victoris Salodori, vbi tum forte agebat, condidit, vbi, ante annos ſexaginta in ruinâ chori veteris reperta, & tranſlata ſunt. Mox, hac tantâ domus clade, & Burgundiæ facinore, & rebellione vehementer perculſus, animo ægro, & vltionis auido, ad

Nouerca ducis filios priuignos enicat.

Veneficij manifeſta capitis damnatur. Et Salodori cũ pueris ſepelitur.

Fride-

Digitized by Google

Fridericum Cæſ. acceſſit, & vtramq; vrbem Friburgum, & & Bernam in eius manum, & Imperij tutelam tradidit, eâ conditione, vt ne vmquam ab eo auelli, & ſeparari, aut alteri, quam Cæſari addici, & mancipari poſſint, easq; iiſdem priuilegijs coleret, quibus aliæ liberæ Imperij vrbes, & ciuitates vterentur, & fruerentur; ſperans, quatinus eius exſcidium nobilitas infeſta, & arrogans moliretur, inde illi porro internicionem venturam. Neq; animus, aut votum fefellit. Pauca antiquæ nobilitatis totâ Minori Burgundiâ Dominatio. Imperant, florentq; duæ illæ vrbes. Paullo poſt Friburgi Briſiacorum, quo, relictâ Burgundiâ, & damnatâ, conceſſerat, ægritudine animi, & mœrore, extinctus eſt. A. D. N. CIↃ. CC. XVIII. iv. Nonas Martias. Sepultusq; ibidem, æde Diuipare, dextro latere, ſupra portam, vltimus Zeringenſium ducum multis rebus præclariter bello, paceq; geſtis totius Germaniæ facile principum. Habuit vxores duas Mathildam Vogburgienſem Bauarã, alij dicunt fuiſſe familiæ Comitum ab Hohemloe, ex quâ Berchtoldum, & Cunradum, de quibus diximus, ſuſcepit: alteram Agnetem, cuius ſtirpis, me ignorare fateor. Nam qui Kiburgienſem, ſiue Burgdorffenſem vocant, longe aberrant, falluntq; nominum ſimilitudine decepti, & decipientes, cum certum ſit Kiburgienſes, poſt Berchtoldi huius exceſſum, Burgdorffi Dominium adiuiſſe, neq; ante Burgdorffum caſtellum, vt nominant Zeringorum monumenta, Comites habuiſſe. Reliquit Berchtoldus V. & poſtremus, ſorores duas, quæ eius hæreditatem inter ſe diuiſerunt. Agnes, quæ Egnoni comiti ab Vrach nupſit, ſortita eſt Comitatum Zeringenſem, cuius Friburgum caput, ceteraq; ad Harciniam: Anna vero, quam Vernerus, Vlrici F. comes Kiburgi duxit, obtinuit quæcumq; proprietatis erant apud Auenticos, Vindones, Burgdorfi,

Berchtoldus Friburgum, & Bernã Imperio donat multis cõditionibus, & cauſis.

Friburgum Briſiacorũ ſecedit, ibiq; diem ſuum obit, vltimus ſua lineæ.

Manlius xvi. Kal. Mart.

De eius vxoribus.

Sorores inter ſe hæreditatem, & ab eo relicta propria diuiſere.

Reliqua Cæſar Imperio vindicauit.

Duni, Grasburgi, & illis adiuncta, aduocationem quoq; trium Epiſcopatuum Lauſannæ, Seduni, Geneuæ. Cetera, quæ Imperialis iuris, & beneficij erant, vti ipſos Auenticos, Vindones, Antuates, Valeſianos, ſiue ipſam Minorem Burgundiam, Tigurum, & præfecturam Tigurinam, Opidum, & comitatum Rhinfeldenſem, in ſuam, Imperij nomine Fridericus Cæſar poteſtatem recepit. Paucis diebus poſt Berchtoldi V. obitum, Kalendis ſcilicet Mai, eiuſdem anni, haut abſq; diuinæ prouidentiæ manifeſto fauore, & conſilio, natus eſt, ex ADELBERTO Rudolfi filio, & HEILVIGE vxore, Vlrici Kiburgi Comitis, & Eliſabethæ Burgundiæ filiâ RVDOLFVS ille, qui non ſolum Zetingenſium amicorum, & conſanguineorum famam, & gloriam reparauit, ſed Habsburgienſium Comitum gentem, ad ſupremum dignitatis, & potentiæ in terris faſtigium euexit, reſeruantibus ipſi Imperij Romani maieſtatem ſuperis, quam Berchtoldo oſtenderant magis, quam annuerant. Rudolfum infantem ex lauacro ſalutifero ſuſtulit Fridericus Cæſar, cum, rebus Germaniæ ſtabiliendis, forte tũ Briſiaci g in Elſatiâ agitaret, puerumq; maximopere ſemper amauit, & haut ſecus quam ſuos, magnâ curâ, poſtea in aulâ educari voluit. Cæterum, Germaniæ ſtatu, vt diximus, magnâ parte conſtituto, Romam profectus Cæſar, Imperator Romanorum II. in Vaticano ab Hugolino Epiſcopo Oſtienſi, Honorij pontificis iuſſu, & auctoritate coronatus eſt, multasq; poſſeſſiones Eccleſiæ R. dedit, & nouo ſe voto ad ſacrum bellum adſtrinxit. x. Kal. Decembris A. D. N. CIↃ. CC. XX. Anno ſequenti, quia ſibi in Italiâ moras longiores intelligebat, conuentu Virceburgenſi, ab principibus impetrauit, vti Heinricum filium duodecim annos natum Cæſarem deſignarent, qui, ſe abſente, in Germaniâ regeret. Engelbertus Colonienſis archie-

Rudolfi Habsburgienſis Comitis, & poſtea Imperatoris natalis.

Fridericus Cæſ. ex baptiſmate ſuſtulit, & pro ſuo amauit, & eduxit

g Ex inſtrumento dato Briſiaci Tigurina Eccleſ. initio ſeq. Aprilis Ind. 6.

Idem Romæ coronã Imp. accepit.
A. D. N. CIↃ.CC.XX.

Heinricum F. Cæſ. deſignandũ curauit.
A. D. N. CIↃ.CC.XXI.

archiepiſcopus Aquiſgrani coronauit vij. Eidus Mai. Magna erat per ea tempora Comitum Kiburgienſium Vernheri, & Hartmanni, Heiluigis Habsburgienſis fratrum potentia, factio, & clientele. Nam ſuper tres clariſſimos Comitatus Kiburgi, Lentzburgi, & Badæ, Burgdorffum quoq;, & nobiliſſimam ditionem Annæ Zeringenſis vxoris dotem Vernherus obtinebat, longe, lateq; impleritabant. Vnde generata primo in ſubditos, & clientes ſuperbia, & ſæuitia, poſt DEI quoq;, & Imperij obliuio, & contemtus. Igitur alio alios vexare, & opprimere, ſedibus, & agris auitis expellere, & deturbare, mox in monaſteria, & collegia, ſacerdotiaq; manus inijcere, ſacra, profana, haut magno inter ſe diſcrimine habere. Sed præcipue in Canonicos Beronenſes eorum furor deſæuijt, quorum poſſeſſiones, quæ, eâ tempeſtate, florentiſſimæ erant, & ampliſſimæ, non in Argouiâ modo, ſed in Elſatiâ quoq;, & Briſiacâ iam ab primis conditoribus Comitibus Lentzburgi, non tantum rapinis, & incendijs, quia eorum lubidini obluctabantur, fædârunt, populâruntq;, ſed ipſos adeo Canonicos, & presbyteros omnes Beronâ, & Canonicâ eiecerunt, fortuniſq; omnibus exuerunt. Erat tum Collegij præpoſitus Theodoricus vir egregiæ conſtantiæ, & virtutis. Is primo quidem Comites apud Cunradum Conſtantienſem Epiſcopum accuſauit, qui ſacrorum communione ſanè interdixit, ſed non propterea ab eis ademta recepit, quamtumuis ſententiam anathematis ſummus quoq; pontifex confirmauiſſet. Quamobrem, quod vnicum ſupererat refugium, ad Fridericum Imp. Theodoricus, labore ingenti, & rerum omnium pene inopiâ, in Italiam contendit, narratiſq; Kiburgiorum facinoribus, & iniurijs, & iam ſextum ſui, & collegarum durare exſilij annum, Imperatorem perpulit, vt vtrumq; Comitem proſcriberet,

Comitum Kiburgienſium potentia.

Qui inde inſolentes, & iniurioſi.

Maxime in Beronenſes Canonicos.

Quos Canonica, et Collegio exturbauere.

Excõmunicantur ideo ab Epiſcopo Conſtantienſi.

Deniq; ab Imperatore proſcribũtur.

ſcriberet, filioq; Heinrico Cæſ. vti proſcriptos per Germaniam pronunciaret, iniungeret, ab ipsâ proſcriptione non prius liberandos, quam Præpoſito, & ſuæ Eccleſiæ ſatisfeciſſent. Regij edicti exemplum infra poſitum eſt. *Fridericus Dei gratia Rom. Imperator ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ, Vniuerſis principibus Alamanniæ, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, & alijs imperij fidelibus, ad quos literæ iſtæ peruenerint gratiam ſuam, & omne bonum. Vniuerſitati veſtræ tenore præſentium volumus eſſe notum, quod veniens ad præſentiam noſtram Dietricus Beronen̄. Eccleſiæ Præpoſitus fidelis noſter, ſuâ Celſitudini noſtræ conqueſtione monſtrauit, qualiter Vuernherus, & Hartmannus Comites de Kiburg, eidem Eccleſiæ ſuæ damna enormia irrogantes, eum, & alios Canonicos ſuos in eâdem Eccleſiâ Domino famulantes, de gremio ipſius Eccleſiæ turpiter eiecerunt, quod nec ipſe, nec aliquis concanonicorum, ſex iam annis elapſis, ad ſeruiendum DEO ibidem audeat apparere, & licet per Conſtantienſem, videlicet dioceſanum, epiſcopum excommunicationis ſententia contra eos, propter hoc, fuerit promulgata, & terra eorum ſuppoſita interdicto, ipſi nihilominus in contemptum DEI, & Eccleſiæ aduerſus ipſum, & Eccleſiam ſuam in nullo ſatisfacere procurarunt, in eâdem pertinaciâ contumaciter permanſerunt, ſic, quod eadem excommunicationis ſententia per ſummum pontificē extitit confirmata, propter quod præfatus Præpoſitus in præſentiâ venerabilium Ciceñ. Tridentiñ. & Brixiñ. epiſcoporum, & aliorum quam plurium, tam Imperij, quam regni magnatum, Excellentiæ noſtræ humiliter ſupplicauit, vt, quod ad Imperiale ſpectat officium, exinde proſequi dignaremur. Nos igitur proteruam prædictorum Comitum contumaciam attendentes, ad petitionem quoq; prædicti Conſtañ. dioceſani Epiſcopi, cuius cenſuram Eccleſiaſticam, DEI timore poſtpoſito, dicti Comites per triennium, ſicut aſſeritur, contemnentes, ab infeſtatione ipſius Eccleſiæ non deſiſtunt, cum abſonum ſit, imperio noſtro*

Exemplum proſcriptionis. Ex archiuij Beronenſibus.

tam enormes. Eccleſijs DEI violentias irrogari, quas, ex collatâ nobis plenitudine poteſtatis defenſare, modis omnibus, & fouere tenemur, præſentibus, prædictis principibus, & ceteris, tam Imperij, quam regni magiſtratibus, prædictos Comites excommunicationis ſententiam contemnentes, ſententialiter præſcriptos denunciamus, mandantes ipſos de cetero, velut proſcriptos, ab omnibus euitari. Præterea Heinrico Romanorum regi filio noſtro per literas noſtras dedimus in mandatis, vt eoſdem Comites, pro prædictis perpetratis exceſſibus, proſcriptos denunciet, & ab ipsâ proſcriptione ipſos decernimus non ſoluendos, niſi prædicto prepoſito condignè ſatisfaciant, & Eccleſiæ ſuæ ſicut debent. Data in Campaniâ, apud Montem S. Ioannis, die xxiij. Februarij xi. Ind.
Paucis poſt diebus, cum Ferentinum inde tranſiſſet Imperator, ab eo priuilegiorum ſui Collegij confirmationem pariter impetrauit, renouato Friderici I. diploma te. *Fridericus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imp. Auguſtus, & rex Siciliæ. Quanto de manu Domini potiora ſuſcepimus* &c. *Huius rei teſtes ſunt, Albertus Magdeburgenſis archiepiſcopus, Egelhardus Cicenſis, Gernodus Brandeburgenſis, Cunradus Hildeſimenſis, Heinricus Vormatienſis, Berchtoldus Brixinenſis, Albertus Tridentinus, Ioannes Virdonenſis epiſcopi, Hugo abbas Morbacenſis, Heinricus præpoſitus Conſtantieñ. maioris Eccleſiæ, Dietpoldus marchio de Hohcburch, Gulielmus marchio Mõtisferrati, Reinoldus dux Spoleti, Heinricus de Heberſtein comes, Heinricus comes de Diets, Sigifridus comes de Viẽnâ, et alij quã plures, Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnat. M.CC.XXIII. menſis Martij XI. anno Imperij III. regni Siciliæ XXV. Datum apud Ferentinum.* Kiburgienſibus Rudolfus Habsburgienſis quoq; ſuas in proſequendis Beronenſibus copias adiunxerat, per amicitiam, & adfinitatem, valida humani ingenij tentamenta, lubidini eorum, & arrogantiæ gratificatus, ſiue non omnia iniqua credebat, quæ ab Collegio petebantur,

Idem Beronenſium Canonica priuilegia confirmauit.

Rudolfus aduerſus Beronenſes cũ Kiburgienſibus.

tur, & potuiſſe. Comites aliquo pacto mitigari, tanta au-
Qui mox pro factis ...[illegible], & damnis ſatisfecit. ctoritate, & opibus, & fundatorum legitimos heredes. Sed, vtcumq; ea ſe cuncta habuerint, breui profectò in viam recti, boniq; Rudolfus redijt, animumq; ab iniuriâ, & maleficio ad manſuetudinem, & ingenitam pietatem mature reuocauit. Pro damnis factis Beronenſi Eccleſiæ amplam, & locupletem reſtitutionem fecit, errorem ſuum eodem tempore & publicauit, & factorum pœnitentiam exegit. Inſtrumentum ſuper eâ re factum ita ſe habet. RVDOLFVS *DEI gratiâ Lantgrauius Alſatiæ, & Comes de Habesburch,*
Poſſeſſiones plures in Elſatiâ Collegio dedit. *vniuerſis fidelibus Chriſti in perpetuum. Nouerint vniuerſi præſentes, & poſteri quod nos, vnà cum dilectis filijs noſtris, Alberto, & Rudolfo Comitibus, curtes, vineas, ac res alias, quas Cunradus plebanus de Bomnath, quoad viueret, habere debuit, & quidquid relicta felicis recordationis Heinrici, militis de Othmarsheim, nomine dotis adhuc poſſidet, & in vitâ ſuâ tantum poſſidere debet, totum hoc, cuius proprietas ad nos ſpectare dignoſcitur, cum omni iure libere, & abſq; conditione qualibet, Beronenſi Eccleſiæ in honore beati Michaelis dedicatæ, quam læſeramus, tradidimus perpetuo poſſidendas, ſunt autem in vniuerſum, quatuor*
Genus eſt menſura tritici.
h Genus eſt menſura agri. *iugera vinearum, & ſcopoza vna in villâ Bamnath,* [h] *Guoba in Sappenheim, curia in Slierbach, & quidquid idem plebanus, & ſupradicta domina in parochiâ Othmarsheim hactenus habuerunt. Aduocationem vero harum rerum Baſilienſi Eccleſiæ per manum Hugonis, eiuſdem Eccleſiæ Cantoris, tranſmiſſimus hac conditione, vt venerabilis Dominus Heinricus Dei gratiâ Baſilien̄. Epiſcopus, qui nunc præſidet, eiusq; ſucceſſores, eam Beronenſi præpoſito Theodorico, ſuisq; ſucceſſoribus, & non concedat alij in perpetuum, ita quod eadem aduocatia, nec per venditionem, nec per infeodationem, nec alio modo ad manum laicam deueniat de cetero, ſed Beronenſi præpoſituræ inhæreat, nec aliquo modo alienetur ab eâdem. Actum apud Brugga Anno Dominicæ*

Incar-

Digitized by Google

Incarnationis M.CC.XXVII. xviij Kal. Septembris. præſentibus Arnoldo abbate de Mure, Theodorico Beronenſi præpoſito, per manum cuius hæc tradita beato Michaeli ſunt, Ruedegero de Vindiſchen, Alberto de Bruggâ, Vlrico de Botzenberg, Heinrico de Schinzenach plebanis, & Petro plebano de Hochdorff, Heinrico de Buttenheim, Diethelmo, Berchtoldo pincernis, Cunrado de Vulpisberg, Arnoldo, & Valtero de Vuolan, Heinrico, Eppone de Remmingen, Burchardo de Pfirreto, Cunrado de Fricco, Ioanne de Aimoſo, Hugone, qui cognominatur Aſinus, militibus. Rudegero Maneſſin de Turego, Cunrado Sculteto de Homberg, Burcardo de Herline, & alijs quam pluribus. In aſſertionem huius rei præſentem chartam ſigillo noſtro, & ſigillis filiorum noſtrorum fecimus communiri. Confirmationem Alberti filij infra quoq; adſcripſi. *Albertus Dei gratiâ Lantgrauius Alſatiæ, Schulteto, aduocato, & conſiliarijs de Muhuh ſalutem & omne bonum. Vniuerſitati veſtræ notum facimus quod nos, vna cum Rudolfo patre, & Rudolfo fratre noſtro de Habesburch, committimus proprietatem vniuerſorum, quæ bonæ memoriæ P. miles de Othmarsheim miniſtralis noſter in morte reliquit, tam hereditatem, quam patrimonium, totum hoc Tiedrico Beronenſi præpoſito, & per eum tradidimus Beronenſi Eccleſiæ pleno iure, ſuper hijs Beronenſi Eccleſiæ pro nobis, patre, & fratre noſtro, per præſentes literas plenariam Vuarantiam exhibentes.* &c. Sequenti anno ſatisfactionem magis Rudolfus auxit, oblatis ad altare S. Michaelis poſſeſſionibus Merlinsbergæ vico Argouiæ ſitis *Rudolfus Comes de Habesburch, Lantgrauius Alſatiæ, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuũ. Nouerint præſentis, & futuræ ætatis homines, quod nos, cum multa mala per incendium, & rapinã Beronenſi Eccleſiæ intuliſſemus, reuerſi tandem ad cor, præter bona illa, quæ in Othmarsheim, & Slierbach, Bamnath, & Sappenheim, eidem Eccleſiæ, ſecundum formam quarumdam litterarum ſuper hoc ſcriptarum, & repoſitarum in armario Baſilien-* *Itemq; in Argouia.*

Kk *ſi, con-*

ſi, contradidimus etiam tres ſcaupotas, ſitas in Merlinsberg, in Argoia, ademtas à quodam ſeruo noſtro nomine Arnoldo de Merlinsberg, ad Eccleſiam Beronenſem perſonaliter accedentes, ſuper altare beati Michaelis archangeli obtulimus, hac conditione, vt eadem dicta Eccleſia dictas ſcaupotas pleno iure poſſideat, aduocatia tamen penes nos, dum viuimus, & hæredes noſtros, poſt nos, remaneat, ſic tamen, vt nec nos, dum viuimus, nec hæres, poſt nos, aliquid inde, iure Aduocatiæ, poſſideat, niſi cum vel nos, vel hæres, poſt nos, ad dictam Eccleſiam acceſſerimus, eâ die i Staupum ibi, tamquam canonicus accipiat. Præterea Canonici dictæ Eccleſiæ in communionem orationum ſuarum receperunt, & anniuerſarium ſuum ſe celebraturos promiſerunt in perpetuũ. Acta ſunt hæc in villa Beronenſi, Anno ab Incarnatione Domini. M.CC. XXVIII. præſentibus Arnoldo abbate de Mure. &c.

i Poculi vinarij ſpecies.

Comitũ Habsburgienſium antiqua pietas, & relligio.

Hæc Rudolfus. Ex quibus ſane colligas, vt humana quandoq; cupiditas petulans, inſana, ex lex tranſuerſos rapuerit, inſitâ tamen relligione animi, Habsburgienſes, res diuino cultui mancipatas non modò ſemper permagni feciſſe; ſed eaſdem plerumq; locupletâſſe, fouiſſe, virorum relligioſorum pietatem, & preces maximè coluiſſe, & præcipuo in honore & precio habuiſſe. Dum hæc, aliaq; diuerſis animorum motibus geruntur, & Fridericus Imp. multis pontificis, & amicorum precibus, in Syriam cum exercitu traijcit, ortum inter Berchtoldum ex ducibus à Teck Argentinenſem Epiſcopum, & Comites Ferretanos, eorumq; ſocios Eginonem Friburgi Comitem, & duodecim vtriuſq; Elſatiæ, & Rheni vrbes Imperiales acre, & cruentum bellum. Argentinenſes, & Epiſcopus contra tot Confederatorum Comitum, & vrbium opes, & copias, Adelbertum Habsburgienſem Rudolfi filium rerum ſuarum ſummæ præfecere. Vaſtata vtrimq; obuia. Poſtremo, pridie Eidus Iunij, acies inter Blodesheim, & Hirnfeld

Fridericus in Syriam.

Bellum Ferretanorum Comitum, & eorum confederatorum contra Argentinẽſes et Epiſcopum ipſorum, & Argentinenſiũ ductorem Adelbertũ Rudolfi F.

A. D. N. CIↃ.CC.XXVIII Chron. Hirſaceus.

feld in Harudibus concurrere. Pugnatum acriter, & ſæuius, quam inter propinquos, & adfines. Victoria penes Adelbertum fuit, fuſi, fugati hoſtes, capti plurimi, præda ingens facta. Ea clades pudore, iraq; magis Ferretanos, & vrbes ſuccendit. Petita ab Heinrico Cæſ. auxilia; Cum promiſiſſet, iam elati, & ferociores, plures Epiſcopi, & Habsburgienſium vicos per Elſatiam vtramq; inflamauere, prædas egere, multos mortales trucidauere. Contrà Adelbertus iterum progreſſus cum Ferretanis, Cæſarianos magno rurſus prœlio vicit, & debellauit. Ab illo enim pax ſecuta anno tertio belli. Fridericus interea Syriam delatus, paucis caſtellis expugnatis, ad Aegyptium principem, Soldanum nominabant, nuncios de pace, & inducijs miſit, breuiq; confecit, Hieroſolymis, & Ioppe receptis. Sed in Italiam cum rediſſet, nouaq; diſcidia exorta eſſent, pleraſq; Eccleſiæ vrbes ſubiugauit, noua ex Germaniâ auxilia exciuit, agrum Romanum fœde populatus eſt. Deniq;, pace cum Gregorio pontifice reparatâ, reuerſus in Germaniam Heinricum Bauariæ ducem nouas res molientem compeſcuit. Inde in Friſiam duxit. Eo abſente, defecit ſecundo Bauarus, aliosq; ſimul principes regni impulit. Heinricus Cæſar continuo ad patrem, qui, quæ gerebantur, nunciaret, Cunradum S. Galli abbatem legauit. Huius quoq; abitu cognito, quæ poſſederat, Thiethelmus iunior comes Toggenburgi, alijq; inuaſere. Igitur cum ſe, ſuoſq; vndiq; vexari, rapiq; Heinricus aduerteret, ad Vranienſes, Suitios, alios vicinos miſit, qui auxilia peterent, tam neceſſario tempore, tot hoſtibus. Quod cum negarent Vranienſes, niſi eos ab Rudolfi præfecturâ, cuius potentiam præcipuè, vt inſidioſam, ſuſpectabant, eximeret, nec vltra per præfecturas, & obligationes ab Imperio abalienaret. Expediuit Cæſar Arnoldum nobilem ab Aquis, qui, quæ

Chron. Elſat. inf. lib. iv. & vig. chr. Baſ. lib. 9.
Is hoſtes prælijs vincit duobus.

Ex quo pax reſtituta.
A. D. N. CIↃ.CC.XXX.
Chron. Arg. ms.

Fridericus in Italia redux Pontificem perſequitur.

Mox, pace facta, ducem in Germania Bauaria.

Alia ꝑ Germaniã turba.

Heinricus auxilia vndequaq; auerſit, etiam ab Vranijs, & alijs.
Negant Vranij niſi eos ab Rudolfi dominio liberet.

 petebant.

Quod Cæſar facit. A. D. N. CIↃ CC.XXXI. Ex chr. Schudiano.

petebant, hoc reſcripto concedere ſe oſtenderet. *Heinricus Dei gratiâ Romanorum rex, & ſemper Auguſtus, fidelibus ſuis vniuerſis hominibus in valle Vraniæ conſtitutis, quibus præſens litera fuerit oſtenſa, gratiam ſuam, & omne bonum. Volentes ſemper ea facere, quæ ad veſtrum commodum vergere poſſunt, ecce nos redimimus, & eximimus de poſſeſſione Comitis Rudolfi de Habesburch, promittentes vobis, quod vos numquam à nobis vel per conceſſionem, ſeu per alienationem alienemus.* &c. *Datum apud Haginoam vi. Kalend. Iunij Ind. iiij.* Habsburgienſi dedit Cæſar, pro præfecturæ redemtione, alia quæ Imperialis iuris erant, & maioris momenti, in quibus fuiſſe crediderim Comitatum Rhinfeldenſem, cum arce, cui ſaxum indiderant nomen, in inſulâ Rheni, haut procul opido Rhinfeldâ, qui Comitatus, poſt Zeringenſium interitum, vt diximus, ad Imperium redierat, ſed quem Rudolfus vindicabat, titulo repetito ab Cunone primo Rhinfeldenſi Comite, Itæ Radeboti coniugis, à quâ ipſi, & anteceſſoribus origo, fratre vterino. Certè ab hoc tempore poſſederunt Habsburgienſes. Opidum tamen Rhinfelda inter Imperialia permanſit ad Ludouicum vſq; Imp. IV. qui Habsburgi Auſtriacis principibus, vt in tempore monebimus, pignori tradidit. Eodem anno, Beronenſi Eccleſiæ mancipia aliquot Rudolfus dedit; tanto eidem Canonicæ promtior, & inclinatior, quanto fuiſſe iniurioſum magis pœnitebat. *Quoniam labilis eſt humana memoria, ne congeſta hominum in obliuionem decidant, ſcripturæ memoriæ commemorantur. Innoteſcat igitur vniuerſis hoc ſcriptum inſpecturis quod ego Rudolfus Comes de Habesburch Lantgrauius Alſatiæ Eccleſiæ Beronenſi Vuernherum, & Itam pueros Heinrici de Marglimmchum in dimidiâ parte contradidi; alteram vero partem cum omni iure aduocatiæ mihi, & hæredibus meis obtinui, & ex eis geniti mihi, & ſucceſſoribus meis cedent in parte dimidiâ, in altera*

Alia. & meliora Rudolfo donat. in quibus Comitatus Rhinfolda.

Saxum arx Rhinfeldenſis.

Rudolfus alia beneficia Beronenſi Collegio facit.

Ex autographo.

altera autem parte Eccleſiæ ſupradictæ. Vt autem hoc factum ratum habeatur præſentem paginam iuſſi ſigilli noſtri munimine roborari. Acta ſunt hæc Anno Incarna. Domini. M.CC.XXXI. Teſtes ſunt Vlricus plebanus in Vuilliſouue, Petrus Canonicus Beronenſis, Vuernherus plebanus in Dietickon, Rudolfus nobilis de Eſchibach, Rudolfus pincerna de Habesburch, Heinricus miles de Vuinickon, & alij quamplures. Neq; longa poſtea Rudolfo vita fuit. Supremum diem, maturâ ætate, & honoratâ obiuit, anno ſequenti ineunte vere D.N. CIↃ.CC.XXXII. SENIOREM vocabant ob filium cognominem. Habuit enim ex AGNETE *Gottfridi Comitis ab Hohenſtauffe, quod inter Vormatiam, & Spiram ſitum eſt,* filiâ ADELBERTVM III. ſiue ALBERTVM, vtroq; enim modo notatur inſtrumentis. Et idem nomen eſt, & RVDOLFVM II. VERNERVMq; qui adoleſcens obijt. HEILVIGIM, & GERTRVDAM, quas fratres duo Hermannus, Ludouicus Froburgi Comites duxere. Male, vt ſæpe, Latzius Heiluigim comiti Friburgenſi, qui tum Ego. I. nuptam refert. Nec melius chronographus Elſatiæ, qui Heiluigim eamdem Hermanno ab Homburch, Gertrudam marchioni Badenſi vult elocatas.

Vità deniq; exuit.

Vxor, & liberi.

Genealogia fundatorum Murenſis Monaſt.

ADEL-



ADELBERTVS III. COMES HABSburgi, & Lantgrauius Alſatiæ. Cap. III.

POST patris mortem prima cura fratribus fuit animam eius votis, & benefactis proſequi, memoriamq́; eius in Eccleſiâ nobili ſuæ munificentię pretio retinere, & perpetuare. Igitur continuo poſſeſſiones quaſdam Canonicæ Beronenſi elargiti ſunt, cui ob tutelarem Diuum cæleſtis exercitus ducem, & principem Michaelem præcipuè, poſtremis temporibus, addictum nouerant. Teſtatur hoc quod in promtu ſupereſt inſtrumentum. *Adelbertus, & Rudolfus Comites de Habsburch, vniuerſis præſentem paginam inſpecturis rei geſtæ notitiam. Notum ſit omnibus tam præſentibus, quam futuris, quod nos duas ſchopozas in Reſchenuuile emptas ab miniſteriali noſtro, ſcilicet Arnoldo, qui dicitur Kamtpollo, pro remedio animæ patris noſtri Rudolfi Comitis de Habsburch cum omni iure contulimus Eccleſiæ*

Fratres primo pijs donis animam paternam proſequuntur.

Ex ipſo autographo.

Beronen-

Beronenſi, aduocatiam earumdem præpoſituræ eiuſdem Eccleſiæ conferentes. Teſtes huius rei ſunt Arnoldus abbas, & Rudolfus cuſtos Murenſis, & Heinricus, & Thiethelmus, & Burcardus fratres pincernæ de Habesburch, & Heinricus de Vuerſchen miles, & alij quam plures. Acta ſunt hæc Anno M.CC.XXXII. iv. Idus Aprilis. Hinc hereditatem diuiſerunt. Adelberto ætate prouectiori, comitatus Vindoniſſenſis, & Elſatiæ prouincialis, multo potior pars. Rudolfo, cui Taciturni fecere cognomentum, Lauffenberga arx, & opidum, Sanctionis aduocatio, Valdshuot arx, & opidum & circa Harciniam vltra Thenum Lacobrigi, ſiue Klegkouiæ comitatus, aliaq; nonnulla obuenere Sanctionis Eccleſiæ Dominia, & adiuncta. Atq; ab his duplex Habsburgienſium familia, Adelberto, & eius poſteris, ſeſe HABSBVRGI COMITES, & ELSATIAE LANTGRAVIOS nominantibus: Rudolfo vero, & ex eo genitis HABSBVRGI pariter COMITES, & LAVFFENBVRGAE DOMINOS ſe dicentibus. Sed hi HABSBVRGI titulum inter præcipua, dum fuerunt, vſurpauere; Illi AVSTRIAE poſtea DVCES, & ARCHIDVCES adpellati, regnorum, & Imperiorum Domini, & monarchæ. Galeæ quoq; inſignia diuiſa. Adelbertus leone dimidiato: Rudolfus cycnorum collis geminatis vſus eſt. Iiſdem ferme temporibus, Heinricus Cæſar Gregorij pontificis, Mediolanenſiumq;, & totius ferme Italiæ literis, & ſecretis legationibus fatigatus, iuuentâ, & impetrandi libidine, poſtremo animum induxit contra patrem Fridericum ſentire, & machinari; câ tempeſtate Neapoli agentem. Obtrudebantur inter alia iuueni incauto, & fraudum obnoxio, *in omnium odio verſari patrem, multa eius aduerſus Eccleſiam flagitia eſſe. Imperij non ſolum, ſed totius Italiæ, & Siciliæ priuationem imminere. In Italia non iam modo Mediolanenſes, ſed ceteras ci-*

Poſt hereditatem diuidunt.

Habsburgiæ domus indipartitio.

Vti & ſcuti ornamentorum ſiue galea.

Heinricus Cæſ. contra patrem conſilia, & coniurationem init.

Bernard. Corius aly.

A. D. N. CIↃ.CC.XXXIV

uitates

uitates prope omnes defeciſſe. In ipſo ſpem vnicam ſuperare. Si conſenſerit fœderi in patrem, Mediolanenſes Langobardici regni coronam vltro oblaturos; quam parenti hactenus denegarint. Cetera ſuâ ſponte eſſe acceſſura. Miſſi ab Heinrico ad id negotium Mediolanum legati: Mediolanenſes viciſſim Manfredum Comitem Cortæ vrbis prætorem, Heinricum Maguntiacum, Vbertum Vignatem, alios delegauere, qui ſacramentum dicerent, Langobardiæ verbis, primoq; eius aduentu, regni Italici inſignia pollicerentur. Omnibus his inter eos ſecretis, ſed quæ Fridericum non fugerent. Itaq; in Germaniam maturauit cetera pleraq; omnia, ſed in primis coniurationem diſſimulando. Tigurum primo, poſt Baſileam, mox Colmariam venit. Erat Heinricus Haginoæ, magno ex conſcienciâ metu, & trepidatione. Adſciuerat antea in aulam præcipue nobilitatis, principum, & ciuitatum totius Elſatiæ, Baſileâ ſpiram vſq;, & Maguntiacum, liberos, tamquam in pignus, & obſidium, ſiue lenimento aduerſus patrem, eorum ad quos pertinerent, interceſſu, & opibus, multiq; operam promiſerant. Sed vbi in re præſenti Imperator fuit, ſtudium, & pollicitamenta poſt periculum, & formidinem fuerunt. Fridericus Colmariæ, ſiue, vt alij volunt, Vormatiæ frequentem principum, & ciuitatum cõuentum celebrauit. Heinricum captum, occultis itineribus, & fido milite ex Germaniâ in Apuliam tranſportatum Coſentiæ incluſit, vbi paullo poſt, ægritudine, an dolo exſtinctus eſt, *DEO*, inquit auctor chronici Hirſaugici, verius, an acerbius non diſputauerim, *meritis eius vicem reddente, qui nobile regnum Allemanniæ prædonibus fecerat eſſe commune, qui relligioſos, & Eccleſiaſticos violenter oppreſſerat iniuſtis ſeruitijs, & exactionibus, qui prouinciam vſq; adeo direptioni expoſuit impiorum, vt nulla iam eſſet itinerantibus pacis ſecuritas.* In Heinrici locum

Capitur, & in Calabriam tranſportatur, vbi in cuſtodia exſtinguitur. A. D. N. CIↃ.CC.XXXV.

Cunradus frater Cæſar deſignatur.

Germa-

Germaniæ proceres, conuentu Maguntiacenſi, Cunradum fratrem Sueuiæ ducem multis patris promiſſis, ſublegere, Colonięſis coronauit Aquiſgrani nono ætatis anno. Quietâ hinc Germaniâ, menſe Septembri, in Italiam exercitum quam antea ampliorem duxit, multamq; ex Germaniâ nobilitatem, & inter alios Rudolfum, & Adelbertum Habsburgienſes Adelberto natos. Ea adoleſcentibus, quorum alter iam octauum decimum, alter decimum ſeptimum ætatis annum agebat, prima belli tirocinia eſſe pater voluerat, inclinato præcipuè in Rudolfum Imperatoris animo, cui propa rente eſſet, quemq; inter nobiles aulæ pueros in tantam ſpem eduxerat; ſpectatâ ſimul vtriuſq; indole. Auxilia ad hoc miſerunt ex Italicis Bononienſes, Fauentini, Cremonenſes, Parmenſes, alij. Contra erant Mediolanenſes, Paduani, Vicentini, Treuiſiani, Mantuani, Ferrarienſes, alij plures. Imperator Mincium copias traduxit, Marcariam inopinato oppreſſit, & diruit, locum pro præſidio Cremonenſibus dedit. Inde Vicentiam properauit, & primo Nouembris captam exſcidit, poſt in Mãtuano militem hibernare iuſſit. His rebus proſperiter geſtis, ad Fridericum tranſijt Manfredus Rhegij prætor, Mãtuani quoq; pacem petiere, Bonifacio Mantuæ marchione deditionem faciente. Ipſe clarum montem Brixianorum nono Octobris ſequentis anni cum omnibus copijs cinxit, captumq;, viceſimo primo eiuſdem menſis, diripuit, & vaſtauit, multâ Saracenorum, quo milite ad atrociora miniſteria Fridericus vtebatur, crudelitate. Ab Claro monte in Mediolanenſes exercitum tranſportauit, Gambaram, Pratum Alboini, Pauonum opida occupauit, & incendit. Ad Pontem Nigrum circa Eidus Nouembris caſtra poſuit. E regionę Mediolanenſes conſedere. Pluribus inter velitationes diebus conſumtis, deniq; viceſimo ſeptimo eiuſ-

Fridericus in Italiam redit.
A. D. N. CIↃ CC. XXXVI
Eum ſecuti multi nobiles, in quibus Alberti filij.

Itali queq; auxiliantur.

Per Inſubriam geſta.
A. D. N. CIↃ. CC. xxxvij.

His de bellis, & factis copioſe Corius, Mediolanenſ. hiſt. parte ij Paullus Morigia, antiq. Mediol. lib. i. alij.

dem menſis acies depugnauere, victiq́;, & profligati poſtremo hoſtes, præcipuâ Mediolanenſium, & Placentinorum ſtrage, capto etiam Mediolanenſium curru, ſignis ciuitatis, & tribunali, belliq́; relligione inſigni, Carroccium vocabant. Qui effugerunt prœlio Mediolanenſium, Bergomates pleroſq́; intercepere, victoriq́;, & irato Imperatori in vltiorem, & ludibrium, cruciatumq́; miſere. Auctum tam eximiâ victoriâ militem volentiorem Paduam rapuit, primoq́; impetu cæpit, mox eumdem in hibernacula Cremonæ locauit, vaſtatis interea Brixianis, & Veronenſibus. Deniq; opes omnes aduerſum Mediolanenſes reduxit. Quod vbi Innocentio pontif. compertum legatos duos deſtinauit Iacobum Cardinalem Præneſtinum epiſcopum in Galliam, qui crucem contra Imperatorem in eo regno, Hiſpaniâq́;, & Angliâ, Germaniaq́; promulgandam curaret; & Gregorium Montelongum protonotarium Apoſtolicũ, qui idem in Italiâ præſtaret. Id factum multos ab Friderico alienauit. In Italiâ quidem Actiolinum quem Vicentię præfecerat, Vercelinumq́; cum Taruiſianis: Bononienſes quoq; ad pontificias partes tranſierunt. At is cum Mutinenſibus, Parmenſibus, & Rhegianis Plumatium caſtellum obſedit, & tertio menſe cæpit, & euertit. Duodecimo Septembris arma infeſta Mediolanenſium agro intulit, Landrianum, & Baſgape populauit, ad caſas Scanaſias caſtra, & plures dies poſuit. Eo Cremonenſes currum ſuũ duxere: Multi pariter Mediolanenſes Imperatori fidem ibidem iurauere. Eorum conſilio, & ductu ad Caſarate caſtra tranſtulit. Haut procul inde Mediolanenſes ſigna conſtituerunt, aquis ex Ticinello, & Adduâ per foſſas deductis muniti. Sed, poſtero die, foſſas tranſmittere Germanos aggreſſos Paſſibanus ex nobili, & antiquâ Piatenſium familiâ, militiæ, & domi egregius, cum Mediolanenſi

Caroccium.

Pontifex Crucem contra eum promulgat.
A. D. N. CIↃ.CC.XXXIX.

Et hinc multorum defectio.

Prælium poſtremũ dubia fortuna pugnatum.

nenſi pedite excepit. Fit atrox, & cruenta pugna, omnibus copijs vtrimq; effuſis, & in incertum diu victoria fuit. Poſtremo Cremonenſes, amiſſo curru, fugam iniere: Secuti eos Ticinenſes. Fridericus, ſole iam occaſo, reliquum militem in caſtra reduxit.

Coniuratio in Imperatorem.

Quæ prœlium inſecuta eſt nocte, Mediolanenſes, etſi propius victoriam fuerant, armis tamen diffiſi, inſidijs Fridericum obtruncare tentauerunt, corruptis Petro Vineæ ſecretario, Gulielmo, & Franciſco Sanſeuerianis, Timaldo. Normanno, prætorij præfecto, Andreâ Sicale exercitus ductore generali, Pandulfo Faſinello, alijs nonnullis primis palatij. Proditione retectâ, coniurati varijs cruciatibus periere.

Ipſo auctoribus ſupplicio adfectis in Apuliam ſecedit.

Fridericus tam improbum facinus, & fraudem exſecratus in Apuliam ſe recepit. Habeo auctores qui, ſuperiori in prœlio, captum Adelbertum Habsburgienſem Mediolani in cuſtodiâ extabuiſſe: alij in acie fortiter pugnantem interijſſe prodiderunt. Non deſunt qui eumdem Baſileæ Canonicum, ibidem, ſexto ab hoc anno, obijſſe notauere: Rudolfum ſolum bello huic, & prœlio interfuiſſe.

De Alberto Habsburgienſi quorumdam fabula.

Iacobus Menlius non hoc tempore, ſed inter nobilem illam Parmæ obſidionem captum, Parmæ annos nouem cuſtodiâ habitum, & poſtremò ibidem mortuum memorat, cum Argentinenſis canonicus, & Cunradi regis, Friderici filij, cancellarius eſſet. Addit, & fabulam auditu haut iniucundam; Cum iam non annum Parmæ Albertus in cuſtodiâ ageret, Parmenſem præfectum conuiuium nobilium feminarum feciſſe, ibi inter eas fuiſſe vnam, quæ, ceteris lætitiâ, & hilaritudine diffluentibus, continua ſuſpiria traheret. Cauſſam in communi feſtiuitate triſtitiæ requirentibus, reſpondiſſe eamdem, ſibi vero permirum id videri quod adeo lætæ, & lubentes agitarent omnes, cum tot annos nobilis ille, & eximiæ virtutis, & pulcritudinis iuuenis Ger-

manus in carcere vitam adflictam, & mœſtam toleret, nullâ commiſeratione, aut liberandi eius curâ. Omnes tum in coronam feminas coiuiſſe, & coronæ medio præfectum, nihil opinantem, dolo ſubinduxiſſe, redactumq; hoc modo in ſuam poteſtatem, cum petentibus nihil ſe negaturum ſpopondiſſet, iuuenis Germani liberationem è cuſtodiâ flagitâſſe, & impetrauiſſe. Albertum paucis poſt diebus nihilominus Parmæ defunctum, & tumulatum eſſe. Quæ omnia ficta, & in veterum fabularum morem Amadiſis, & Floriſelli compoſita, paullo poſt oſtendemus.

Expeditio quorundam in Syriã Galliæ, Angliæ, Germaniæ procerũ, in quibus Adelbertus Cortus, & Continuator lib. iij.

Igitur poſteaquam Imperator in regnum Neapolitanum tetendit Rudolfus, & Adelbertus Habsburgienſes cum pleriſq; gentis primoribus in Germaniam rediere. Huius anni extremo, multi, præcipue Galliæ, proceres, duce Theodebaldo rege Nauarræ in Syriam traiecerunt. Eos, anno ſequenti, ſecuti Richardus comes Cornubiæ Anglus, nonnulliq; Germaniæ primates, inter quos Adelbertus ſenior Habsburgienſis fuit. Sed priuſquam ſeſe Albertus in expeditionem daret, in primis curis habuit, pacem, & amicitiam cum vicinis Comitibus, Ferretanis præcipue, & Friburgenſibus componere, proculq; omnem belli, & contentionis metum poſt ſe relinquere. Nox conuocatis ad monaſterium Muri ſuarum ditionum primoribus, in primis Rudolfo, & Adelberto filijs, inſtituti ſui rationem pluribus explicauit, admonens, rogansq; proceres eamdem, quam ſibi eo vſq; præbuerant, fidem, & obſeruantiam, liberis porro ſeruarent.

Adelberti in Syriã abituri ad ſubditos & filios oratio, ſiue documenta memorabilia.

Hinc ad hos conuerſus, quæq; honeſta, quæq; vtilia eſſent propoſuit, iniunxitq;. Fidem, ante omnia, & promiſſa ne fallerent, pietatem ſemper colerent, conſiliarijs licet in ſpeciem commodis, reipſâ falſis, & ad rem intentis, ne aures, aut animum darent; bella ne adfectarent, aut inciperent, niſi coactis, & vltima ex-

LI maex-

ma experti. Eadem ſemel incepta egregiâ virtute, & conſtantiâ perſequerentur, rerumq́; gerendarum præcipuum in celeritate momentum ponerent. Paci tamen vniuerſæ priuata quoq; commoda poſthaberent. Poſtremo ita ſtatuerent Habsburgi Comites virtute, non fraude; honoris publici, & vtilitatis communis curâ, & cupidine; non per inſolentiam, & propria emolumenta eam apud mortales in opinionem, & famam perueniſſe, vt pauci quidem ſui ordinis præeant, pleriq; concedant. Quâ viâ ſi ſequantur, non in dubium vertere, quin maioribus parta non modo retineant, ſed etiam augeant, & in ampliorem dignitatem prouehant. Ita vero faciant ſeſe hortari, imo iubere. Cum ad illa magnus eiulatus exortus eſſet, & per frequentes lacrimas omnes eius deſiderium manifeſto teſtati eſſent, & liberûm omnium ipſe tutorem, & curatorem fratrem Rudolfum declarâſſet, equum inſcendit, adſumtisq́; prima ex nobilitate triginta comitibus, Maſſiliam verſus tetendit, &, repertâ claſſe, in Syriam nauigauit, paucisq́; diebus Ptolemaidem appalit. Ibi dum exercitum luſtrant, Salalus princeps Damaſci nuncium miſit, qui inducias peteret; obtinuitq́; conditionibus iſtis, Belfortem caſtrum, & Saphet opidum reſtitueret, totumq́; Hieroſolymorum agrum: Cum Babilonio tyranno inducias, aut pacem, niſi communi omnium conſenſu, & nomine, ne iniret; contra eumdem, Aſcalonem, & Ioppen dum reparant, ne interpellare poſſit, auxilium præberet. Eo pacto, omnibus in reædificandâ Aſcalone occupatis, & enitentibus, ibidem inter labores, & aeris inſolentiam Adelbertus ægritudine confectus eſt. A. D. N. CIↃ. CC. XL. Manlius, prœlio interijſſe refert, ex chronico Heinrici Conſtantienſis, & Aſcalone ſepultum, proq́; Chriſti martyre laudatum, cultumq́; Lazius, vti ſæpe alias, longe ab vero, & opinio-

Ptolemaidem appulit.

Inducias cum Damaſci principe chriſtiani duces faciũt.

Aſcalonem readificant ubi inter labores Adelbertus mortem obit.

In præfat Comm. General Auſtr.

Eius liberi, & vxores ex aliorum ſententia.

Lib. viij. Migr.

opinione omnium receſſit, qui Marchtal Sueuiæ (monaſterio Præmonſtratenſis ordinis ſupra Vlmam) ſepultum præfatione Genealogiæ tradidit. Idem Latzius in Migrationibus Adelbertum *quatuor*, ait habuiſſe *in matrimonio claras feminas primam Itam Rudolfi comitis à Pfullendorff filiam, matrem Rudolfi Cæſaris, ſecundam comitiſſam ab Egesheim, vnde Vilerthal adeptus erat, & Landgrauiatum Elſatiæ, tertiam Kiburgienſem comitiſſam, & quartam comitiſſam Montisfortis. Ex his procreâſſe multos liberos, ex primâ Rudolfum V. in Cæſarem Romanorum electum, ex ceteris Hermannum, Heinricum, Carolum Canonicum Baſilienſem, Albertum canonicum Argentinenſem, captum à Mediolanenſibus ſub Friderico II. & filiam Eitellio Ioanni à Zollere nuptam, matrem Friderici primi Burggrauij Norimbergenſis, quos omnes nulla poſteritas ſecuta eſt, adeo vt Rudolfus Cæſar ſucceſſionem tenuerit.*

Lib. i. cap. xi.

At vero in Commentario Auſtriacæ familiæ, *ex duabus coniugibus tuliſſe*, refert, *primâ quidem Helduige comitiſſâ à Kiburg Albertum, & Carolum canonicos Conſtantienſes: ſecundâ vero Itâ comitiſſâ à Pfullendorff, & Brigantiâ Rudolfum Cæſarem, Albertum in obſidione Parmæ captum, atq; mortuum, cum Cunradino pulſo regi Siciliæ, & Apuliæ Sueuiæ duci propinquo ſuo auxilium tuliſſet, Hermannum, & Heinricum Comites, & Canonicos, Berchtam comitiſſam à Cuſſenberg, quæ, ſecundis nuptijs, domino ab Ochſenſtein Abatio coniuncta fuit, & Eliſabetham Eitelfriderico à Zollern nuptam primo Norimbergenſi ſuæ ſtirpis Burggrauio.* Manlius quoq; duas habuiſſe tradit in matrimonio feminas Adelbertum, primam Itam Petri Montisfortis, & Brigantij comitis filiam, quæ non peperit: alteram Haiduigim Kiburgienſem, quæ Berchtam peperit Friderico Zellerano nuptam, & Reginam, quam, primis nuptijs, duxit comes Cuſſenbergenſis Cunradus, ſecundis Gulielmus baro ab Ochſenſtein, filios Carolum,

Adelbertum iuniorem, & Rudolſum. Vterq; parum ſcitè, & veraciter. Vt enim de liberorum numero non peragam, illud profectò certum eſt, Rudolſum Cæſarem non ex Pfullendorffenſi genitum, ſed ex HEILVVIGE KIBVRGIENSI Vlrici, & Eliſabethæ Hugone Comite Burgundiæ palatino, & Eliſâ generatæ, filiâ, Hartmanni, & Richenſæ Lentzburgienſis nepte, eaq; ratione, poſt Kiburgienſium omnium interitum Kiburgum, Lentzburgum, & cetera eorum ad HABSBVRGIENSES perueniſſe, vt poſt videbimus. Itam quoq; Pfullendorffenſem, & Brigantiam non Adelberto Cæſaris patri, ſed Adelberto proauo, veluti ſupra oſtendimus, collocatam, hoc modo, matrem, proauiamq; Cæſaris, longo inter vtramq; interuallo Latzium miſcuiſſe, interpolâſſeq;. Vnicam quoq; eamdem fuiſſe Heiluigim Adelberti III. coniugem ſatis conſtat, ſuperfuiſſeq; viduam marito vltra viceſimum annũ, inſtrumenta antiqua teſtantur, & Muri poſtremo ſepultam. Ex ipsâ vero chronica Heluetiæ, & Elſatiæ filios Adelberto faciunt, Heinricum, & Hermannum qui pueri obierint, Carolum, & Adelbertum canonicos Baſilienſes, & Rudolſum Cæſ. filias, Mattham, quæ Adelhauſij Friburgi Briſiacorum relligionem profeſſa, alteram quæ Cuſſenbergenſi, & deniq; Ochſenſteinio nupſerit. Gerardus à Rhoo eamdem coniugem, & liberos, addit Eliſabetham, quam Eitellius Fridericus comes Zoleranus duxerit. Pontus Heuterus Commentarijs Latzianis non egreditur, eodemq; nebularum nauigio inuehitur. Poſtremo Michael Eintzingerus tres tãtum ponit filios Rudolſum Cæſ. Adelbertum, & Carolum; filias eaſdem. Monumenta Murenſia tres tantum quoq; ſtatuunt, & eos eſſe cenſemus, agnoſcimusq;, RVDOLFVM Cæſ. ALBERTVM, qui aliquantum proceſſit: & HARTMANNVM, qui adoleſcens

Qua refutatur ex parte.

Ex inſtrumẽto antepoſito. cap. ij.

Liberi Sui noſtrâ ex opinione fuerint.

ſcens obijt. filias ELISABETHAM & BERCHTAM. quarum altera iuncta fuit Friderico Zollerano Comiti, ex quâ Burggrauij Norimbergenſes, & hodierni Brandeburgici Electores; altera, primis nuptijs, tradita Emerio comiti Strasbergenſi, cui Othonem peperit, Alberti. I. Cæſ. in Burgundiâ gubernatorem, Enerij II. patrem: ſecundis, Othoni Ochſenſteinio; Othonem genuit, eiuſdem Cæſaris Alberti prœlio, quo Adolfus cecidit, vexillarium.



RVDOL-

RVDOLFVS III. COMES HABSburgi, & Kiburgi. I. Landgrauius Elſatiæ Cognomento Magnus Romanorum Imperator primus P. P. Pius Felix ſemper Auguſtus. Cap. IV.

ADHVNC virum quando venimus, eius porro militiæ, domiq; res cum curâ, fideq; expediam. Ille enim eſt qui præclaram hactenus COMITVM HABSBVRGIENSIVM famam non ſolum firmauit, ſed ad culmen vſq; gloriæ, & dignitatis promouit, tantæq; virtutis fuit, vt Romano Imperio reparando, reſtituendoq;, poſt quadringenteſimum, quam Germani poſſederant annum, fuerit ſolus, & præterea nemo, tot, tamq; eximia, priuatis adhuc rebus, præſtitit, vt regium decus factis anteueniſſe videretur, nihilq;, niſi ſummæ fortunæ experimentum deeſſe. Sed eius geſta, decoraq; reputando, illum in primis militiæ ingentem, & gloriæ cupidinem reperio inuaſiſſe. Itaq; poſteaquam, primâ adoleſcentiâ ex Italiâ, cum fratre, rediit, militem ſemper circa ſeſe habere, fortiſſimum quemq; præmiis, promiſſis allicere: Vbi obtinuiſſet, iuxta ſecum tractare, benigne appellare, donare. Bellicis interea exercitiis ante omnes eſſe, equo, haſta, ferro, anteuenire certare, vincere, cetera aliis facile omnia, armorum artes ſibi vindicare, ſummam ibi, & perpetuam voluptatem habere, poſtremo nihil penſi, aut arduum ducere, vnde nomen magnum, & apud præclaros militiæ gloria, & fama augeſceret. Ad ea vero, ſuper inſitam animi generoſitatem, Gotfridi quoq; patruelis æmulatu accendebatur, quem non multo ætate priorem, & tum Burgdurffum, & adiunctam ditionem Kiburgiorum nomine regentem, inſignis de Bernatibus victoria celebrabat. Om-

Rudolfus reſtitutor Romani Imperii.

Maximum eius ab teneris rei bellicæ ſtudium, & deſiderium.

Baronē à Tuffenſtein Armis petit, & opprimit.

nes igitur virtutis experiundæ occaſiones quærenti Hugonem à Tuffenſtein vicinum baronem caſus oſtendit, iuuenem animoſum, fortem, ceteris prope parem, fortunâ inferiorem. Leuis iniuria fuerat, & verborum tenus, ſed gloriæ auiditas, & paris impatientia magnam fecerant. Itaq; A.D.N. CIↃ.CC.XLII. baronis arcem obſedit. Situs eam, & præſidium tutabantur, vtroq; firmo, ſed in ſitu plus auxilij inerat. Conſumtis per obſidium aliquot diebus, cum oppugnatio parum procederet, æſtuare Rudolfus, & animo angi. Id militiæ, ductu ſuo, & auſpicijs primordium, cetera perinde ventura eſſe, præcipuum illic æſtimationis momentum verti. Honorem iam quoq;, & famam ad iniurias accedere, eo grauiora, quanto eas condonare facilius, quam illorum iacturam pati honeſtius eſſet. Deniq; dolo, quam fruſtra, niti, animum induxit, corruptisq; per eruptionis ſimulationem præſidiarijs, in caſtrum euaſit. Hugo in primo aditu fortiter pugnans obtruncatus eſt. arce direptâ, & incensâ militi cetera ceſſere. His veluti inuitamentis, animoq; per ætatem, & militum fauorem, incenſo, & præcipiti, proxima quæq; captare, pluſq; iuuenilem impetum, quam conſilia valere. Quamobrem qui res repeteret mox inde ad Rudolfum patruum

Rudolfo patruo quoq; bellū infert.

Lauffenbergæ dominum miſit. Ipſum, patre per bella abſente, & poſt eius obitum curatorem, ſuas, fratrumq; res parum ex fide tractâſſe, poſſeſſiones alienâſſe, mutâſſe mácipia, ſanguinis, & æquitatis neceſſitudinem haut magni feciſſe. Illa omnia quamuis patruus negaret, & ad teſtamenti tabulas, rationesq; vocaret, non tamen tantum potuit, vt nepotis copias auerteret. Is Lauffenbergenſem agrũ, ſubitâ manu, inuaſit, multos vicos diripuit, & incendit, animalia, aliamq; prædam abegit, ferme loca omnia cum equitatu hoſtiliter acceſſit, & cum omni deinde multitudi-

ne ad

ne ad ſuos rediјt. At Lauffenbergenſis profundius Rudolfi animum ſcrutatus, neq; prædatione illâ, & vaſtitate contentum, &, niſi præueniret, grauiora inſuper adportaturum, Gottfridum, Eberardumq; maiores liberûm expediri iuſſit, & in Vindoniſſenſem Comitatum, per Vocetium irrumpere. Iuuenes celeritate vſi, ſicuti præceptum erat, ita mandata peregere, Pontemq; Arulæ opidum ex improuiſo, antequam fama eorum eſſet, aut Rudolfus ſubueniret, direptum, nonnullis interfectis, inflamauere, vicos quoq; plures, vtróq; montis latere vaſtauerunt. Crebræ hinc, ſed haut æq; noxie, populationes, & velitationes fuere, donec, paucis, quæ petebantur, conceſſis, ſenior nepotem mitigaret. Non deſunt qui Tuffenſteinium baronem, de quo ſupra egimus, huius occaſione belli, cum Lauffenbergenſium partes ſequeretur, demum interfectum tradiderunt. Anno ſequenti obijt Hermannus V. marchio. Reliquit ex Hermingardi Hermanum VI. per Gertrudæ coniugium Auſtriæ ducem primum, ex quo Fridericus Auſtriæ dux poſtremus: & Rudolfum qui Marchionum Badenſium ſtirpem ad hæc vſq; tempora propagauit. Sub idem tempus grauí imperio Italiam premebat Fridericus, magnaq; aduerſus ſacrum ordinem præcipuè ſæuitiâ, & crudelitate graſſabatur. Gregorius enim pontifex, Innocentij deceſſoris ſui aduerſus eum anathemata, decretaq; ea crucis publicationem inſtaurarat, quod contra pacta, conuentaq; ſuperiorum principum, Friderici imprimis Ahenobarbi aui, Italiæ ſtatum conuelleret, laceraretq;, quod D. Petri patrimonium per vim teneret, iuriſdictionem, & libertatem Eccleſiaſticam impediret, & corrumperet, expeditioni ſacræ obſtaret, multa alia contra decus, & ius Imperatorium patraret. At ille poſtremo exercitum Vrbem adduxit, furoreq;, & vecordiâ, quoſcumq; cruce inſignes

Qui viciſſim Vindoniſſenſem Comitatum populatur.

Friderici Imp. in Italia tyrannis, & crudelitas.

offendit, alijs in crucis formam quatripartitò caput diffidit, plurimis frontem in eumdem modum candenti ferro dehoneſtauit, clericos ante omnes pluribus ſupplicijs excruciatos necauit, templis, monaſterijs eiecit, prorſus nullâ impietate, & inſaniâ temperauit. Deniq; Innocentium IV. qui Gregorio IX. poſt breuem Cæleſtini IV. pontificatum ſucceſſerat, Italiâ expulit. Rudolfo inter illa per nobilitatis, & militum frequentiam ſumtus gliſcere, & impenſis exhauriri, quæq; maioribus ad claritudinem in longum ſuffecerāt, ipſi pro animi amplitudine, & magnificentiâ breui diffluere. Igitur, ſiue ita eſſet, aut ipſe in re eſſe credebat, Hartmānum ſeniorem auunculum, iunioremq; Kiburgi Comites flagitare cæpit, maternæ dotis nomine, quaſi conuentis in matrimonium minus ſatisfeciſſent. Illi obtinebantur. Sed ſenioris de nepote ingens ſpes, & amor, opinioq; aderat, cumq; liberos non haberet, haut dubiè ſucceſſorem deſtinauerat. Magnam interim pecuniam pluriens largitus magis coercuerat, quam ſedârat. Etenim nobilitas, eo duce, quidlibet auſa impulit, vt, quæ deniq; per pacem, & amicitiam ſuapte ventura erant, bello, & diſcordiâ antecaperet. Igitur Aquenſem Comitatum, qui proximus, & confinis erat, primo occupauit, poſt Vitodurum, & Kiburgum, Mersburgumq;, cetera quoq; capturus, magno militum ad plauſu, quippe qui ſibi præter gloriam nihil reliquum faceret, omnia commilitantibus indulgeret, niſi vterq; Comes in eam, quam vellet, pecuniam promiſiſſent, ſi capta reſtitueret, prætenta deſereret, ceteris omnibus in illam ſummam renunciaret. Accepit conditionem Habsburgienſis, non tam ſibi, & fratribus, quod, eo pacto, ſatisfactum cenſeret, aut vellet, quam quod ea interim in vſum, cetera nihilo minus poſt acceſſura confideret. Quod ferme quidem contra vertit. Etenim ſenior

Habsburgienſis ex magnificentia ſumtus.

Ex eo aduerſus Kiburgienſes auunculos prætenta, bellũ queq;.

A. D. N. CIↃ. CC. XLIV.

Et deniq; cum Comitibus pacta.

Hartman-

Hartmannus commotior, magisq́; quam Rudolfus credebat, ab eo alienatus, nepotes vt vniuerſâ hereditate priuaret, Argentinam acceſſit, & quæcumq; tenebat, Eccleſiæ Argentinenſi, cum Hartmanni iunioris voluntate, tradidit, & conſignauit, mox rurſum pro beneficio recepit, proprietate perennitus Epiſcopatui reſeruatâ. Præerat tum Heinricus ex Comitibus ab Stalicke. Factæ eius rei literæ, ex quibus hæc pauca addidi. *Nouerint vniuerſi præſentes, & futuri, quod ego Hartmannus comes ſenior de Kiburg, ad honorem DEI omnipotentis, & beatæ MARIÆ Virginis pro remedio animæ meæ, & omnium parentum meorum liberâ donatione, & ſine omni pacto, & cum conſenſu, & bonâ voluntate Hartmanni fratruelis mei contuli, tradidi, & donaui Argentinenſi Eccleſiæ vniuerſas proprietates meas, videlicet, Kiburg, Vinterthur, Baden, Vſtræ, Vindegge, Vandelberge, Schennis, Liebenberg, & etiam Libenberg, Morsberg, Sedentenbern, cum omnibus alijs poſſeſſionibus, quæ ad me ſpectabant. &c. Actum Herbolsheim Anno Dominicæ Incarnationis M.CC.XLIIII. vij. Idus Mai.* Anno ſequenti, vernalibus diebus, duxit Rudolfus vxorem GERTRVDAM, Ludouici Froburgi Comitis filiam, Rudolfi præpoſiti Zoffingenſis, Hermanni comitis ab Hohenberg, & Hartmanni comitis Froburgi ſororem, ex quâ, quotquot habuit, liberos ſuſcepit. Sed Innocentius pontifex ex Italiâ Genuenſium popularium, & maxime Amedæi Sabaudiæ Comitis opibus, & comitatu in Galliam elapſus Lugdunum venit, ibiq́; ex Cardinalium quos ſecum adduxerat, & Ludouici regis ſententiâ, concilium, quod in Lateranum indixerat, peragere conſtituit. Miſſi toto orbe nuncij, qui publicarent, &, ante omnes, ad Fridericum, ne ſuæ cauſſæ deeſſet. Multi antiſtites, principumq́; legati aduenere. Imperator, ne intereſſet, Italiam nondum pacatam, cauſſam habuit. Pontifex, Conci-

At, vt hæreditate omni priuaret auunculus Comitatū ſuum Argentinenſi Eccleſiæ donauit, & iterū beneficio recepit.

Eius donationis inſtr.
Ex chron. Schudmi.

Rudolfus ducit vxorem.
A. D. N. CIƆ CC.XLV.

Innocentius quartus Concilium Lugduni celebrat.

Fridericum Imperio et Siciliæ regno priuat, quatuor præcipue de cauſſis.

Concilio adfecto, cum Fridericum ſæpius fruſtra citauiſſet, nec quiſquam ad nomina reſpondiſſet, decreto patrum, ordinumq́; ſententiam abdicationis pronunciauit xviij. Kal. Septembris, quattuor maxime ex cauſſis, primâ, quod iuſiurandum pluriens violâſſet, alterâ, quod Cardinales, & alios antiſtites haut paucos in vincula conieciſſet; tertia fuit, ob certiſſima argumenta, quibus hæreticum ſe probabat; quarta quod Siciliæ regnum, Eccleſiæ patrimoniũ, vaſtâſſet, diripuiſſetq́;.

Formula priuationis.

Antonin'. Corius, Blondus, Platina, Nauclerus.

Verba abdicationis fuere. *Nos volentes diuinam ſententiam noſtræ præponere ſententiæ denunciamus Fridericum Rogierium à DEO excommunicatum, atq; ab honore Imperij, atq; regni Siciliæ depoſitum. Nos ergo iſti diuinæ ſententiæ noſtram addentes ſententiam, excommunicamus ipſum Fridericum Rogierium, & ipſum ab omni honore Imperij pariter, & regni Siciliæ deponimus.*

Ad Germaniæ proceres ſcribit, vt alium legant.

Mox ad Germaniæ proceres ſcripſit, alium regem legere maturarent, & Concilij ſententiam exſequerentur. Conuenere Virceburgi nonnulli, & Sigfridi Maguntiaci antiſtitis ſtudio, & auctoritate, Heinricum Haſſi, & Thuringiæ Landgrauium, Miſniæ marchionem, Ludouici, & D. Eliſabethæ F. Cæſarem dixerunt.

Qui Thuringiæ Langrauium nominauere.

Vnde in Germania per partes bella noua.

Bellorum ex eo, & turbarum Germania impleta; Conrado hinc regnum, & patrem, armis tegente: inde Heinrico ad ſpes nouas, & oblatam dignitatem adnitente. Apud Francofurtum vterque reges caſtra poſuere, &, præteritis paucis diebus, per breues pugnas, deniq; Imperium in caſum tradere conſtituerunt.

Reges prœlio decernunt.
Vincitur Cũradus.
A. D. N. CIↃ CC. XLVI.

Prœlio Nonis Auguſti facto, Heinricus ſuperior fuit. Conradus in Italiam ad patrem fugit. Ab eo tamen firma, & conſtãs magna Germaniæ pars, & præcipue auitum patrimonium Sueuia. Igitur Heinricus arma circumferre, pauca caſtella expugnare, alia tentare, Reutlingam cum inani euentu oppugnâſſet, obſidium Vlmam tranſtulit, vrbem eius exitio no-

Heinricus quoq; paullo poſt perit.

tio nobilem. Namq; poſt paullum, foſſas incautius circumgredientem ex mœnibus allata ſagitta interemit. Moniti rurſum ab Pontifice Summo Principes regni Gulielmũ Hollandiæ Comitem Florentij F. pauci Noueſij congregati, præſide Cunrado, Colonienſi archiepiſcopo, & Petro Caputio ad Velum aureum Cardinali diacono præſente, regem nominauerunt.

Cui ſuffectus Gulielmus Comes Hollandiæ.
A. D. N. CIↃ.CC.XLVII.

Aquisgrani coronatur.

Pridie Kal. Nouembris ingreſſum Aquiſgranum ſequenti die idem Colonienſis præſul coronauit, præſentibus iam ferme reliquis Imperij primoribus, Arnoldo Treuerenſi, Gerhardo Maguntiacenſi archiepiſcopis, Ludouico palatino Rheni, duce Bauariæ, Brandeburgenſi, Saxone, Bohemo, multis alijs vtriuſq; ordinis.

Magna principum & Ciuitatum præcipue Rheni conſœderatio ſtera. annalib.

Cum tamen neq; in Gulielmo quoq; ſatis præſidij eſſe videretur, pleriq; ſe Rheni, & magnæ Germaniæ partis principes, & vrbes fœdere, contra quamcumq; vim, coniunxere, in quibus tres archiepiſcopi Electores, Epiſcopi, Richardus Vormatienſis, Heinricus Argentinenſis, Berchtoldus Baſilienſis, Iacobus Metenſis, Ludouicus palatinus Rheni, Comites Liningæ, Silueſtres, Tubingæ, Virnbergæ, Ferretæ, alij; Vrbes Colonia, Maguntiacum, Vormatia, Spira, Argentina, Baſilea, & vtriuſq; Elſatiæ Briſiacum, Colmaria Sleſtadium, Mulhauſium, Haginoa.

Reges in Apulia.

Agitabant in Apuliâ Fridericus, & Cunradus; ille remiſſior; & tamquam ſoli, cæliq; ad ea loca dulcedine, fractus, & emollitus, an tamquam hoſtium in ſe machinamenta deſpicabundus: Cunradus exercitum, quem in Germaniam duceret contra Gulielmum, moliebatur.

Belloſa.
Controuerſia inter Epiſcopum Conſt. et Abbatem S Galli, magnis vtrimq; ſocijs & belli ducibus in quibus Rudolfus
A. D. N. CIↃ CC.XLVIII.

Interea magna Eberardum Conſtantienſem Epiſcopum, & Berchtoldum S. Galli abbatem diſcordia interuenit; Epiſcopi præcipue inſolentiâ, qui nouis abbatem exactionibus onerabat, inſolitaq; poſtulata vrgebat. Ventum vtrimq; ex contentione in bellum eſt, & proxima quæq; vaſtata. Sed

Epiſco-

Epiſcopo ex tranſrhenanis auxilijs ius maior: Berchtoldus belli ducibus antiſtabat; adſcitis Rudolfo Raperſuillæ, cui vexillum commiſerat, Hartmanno Kiburgi, & Habsburgi comite Rudolfo. Tradiderat, & Crafto comiti Toggenburgienſi ex ſorore neptem, vt magis deuinceret, ſed illi fide, & affinitate Epiſcopi promiſſa, & è vicino rapinæ cariores fuere. Quidquid Abbatiſcellanis montibus cultum, & habitum ad flumen Vrnacum eſt, peruaſit, & diripuit, maximam pecoris copiam abegit, villas, & magalia incendit. Contrà abbatis miles, ductu Comitum Conſtantiæ ſuburbana inflamauere, vites exſcidere, magnam quoq; prædam fecere. Poſtremo acie decertaturi apud Epiſcopi Cellam opidum Conſtantienſes: Niderbeuri vico abbas, & ſocij ſubſedere, dumq; pugnæ ſignum, incenſis vtrimq; animis, exſpectant, ortus de pace ſermo eo proceſſit, donec, poſitis armis, ambo antiſtites conuenerunt.

Et rurſum pax.

Venit interea Cunradus Cæſ. in Germaniam, auctisq; in Sueuiâ, & Bauariâ viribus, in Elſatiam inferiorem contra Heinricum Argentinenſem Epiſcopum exercitum duxit, acerrimum Gulielmi Batauí propugnatorem. Defecerat enim tota inferior Elſatia, Sleſtadio excepto, multa, opida, & caſtella partim Epiſcopus exſciderat, partim ſubegerat. Igitur ad opidum S.Crucis, Colmariâ haut procul, rex obſidionem tulit, breuiq; expugnatum euertit. Mox, comperto validiores in ſe mouere Epiſcopum copias, in Sueuiam tantum non fugiens, &, inde, cognitâ Friderici patris morte in Apuliam maturauit. Exceſſerat xviij. Kal. Septembris, vel, vt Stero, Corius, alij prodidere, Eidibus Decembris, morbo, an Manfredi nothi dolo, in incertum habuere. Blondus, Sabellicus, Platina, Corius, alij dolo: Collenutius morbo, perijſſe ſcripſerunt Raſſani ignobili Apuliæ opido, ætatis anno ſexageſimo quarto, Imperij octauo,

Cunradus Cæſar in Germaniâ, & Elſatia. contra Gulielmianos.

A. D. N. CIↃ. CC XLIX. Chron. Elſ. lib. iv. cap. lxiij. Naucler⁹ gen. xlij.

Friderici II. mors, & ſuper ea ſcriptorum variatio.

A. D. N. CIↃ. CC. L.

octauo, & triceſimo, eius ſeculi quinquaſimo. Contradus contra Innocentium, qui Lugduno, mortuo Friderico, in Italiam redierat, Apuliam, Siciliam, & quidquid ferme patrimonij fuit, recepit, ingraueſcentibus eius abſentiâ multo atrocius in Germaniâ per factiones bellis. Eiſdem temporibus, & contentionibus, quia damna quædam intulerant monaſterio Vettingenſi Rudolfus, & Albertus, Cæſariana dum caſtro ſequuntur, aut ſuos contra hoſtes arma ferunt, præſertim barones Regensbergenſes, in venditione poſſeſſionem, quas augias vocabant, in iuriſdictione Dieticonenſi, pretij magnam partem remiſerunt in cōpenſationem, vt ex ſubiecto inſtrumento liquet. *Rudolfus Lantgrauius Alſatiæ, & Albertus frater ſuus, comites de Habisburc, vniuerſis Chriſti fidelibus præſentium inſpectoribus in perpetuum. Vita breuis, memoria labilis, malitia temporis, mutatio perſonarum exigunt, & depoſcunt, legitimas hominum ordinationes ſcripturis commendari vt calumpniantibus via malignandi eo facilius præcludatur. Nouerint igitur quos noſſe fuerit opportunum, quod cum venerabilibus in Chriſto Abbati, & conuentui monaſterij de Vuettingen Ciſtertienſis ordinis, Conſtantienſis diœceſis, per nos, & noſtros in publicis, & communibus bellis, ſeu ſpecialibus, & alias damna plurima, ſicut ijdem, aſſerunt & nos recognoſcimus, fuerint irrogata, Nos augias noſtras, vulgo Brunnouue dictas, in villâ, & banno, & terminis parochiæ Dietinchon ſitas, prædictis Abbati, & conuentui, & eorum ſucceſſoribus, & monaſterio, pro lxx. libris monetæ Baſilieñ. cum omni iure, quod nobis in eiſdem competebat, vel competere videbatur, bonâ fide, ſine omni fraude vendidimus, & tradidimus, proborum conſilio mediante, ſub hac conditione, vt, cum prædictæ augiæ longe vltra ſummam precij prædictam, quam ex ipsâ venditione, ad vſus noſtros recipimus, valere cenſeantur, reſiduum precij earumdem, tam in recompenſatione, ſeu ſatisfactione damnorum prædi-*

Conradus in Italia paterna recuperauit.
A. D. N. CIↃ. CC. LI.

Habsburgicſes fratres pro factis monaſterio Vettingenſi quibuſdam per bella damnis ſatisfaciunt.
A. D. N. CIↃ. CC. LII.

Ex autographo.

ctorum, quam remedium noſtris cedat, & noſtrorum parentum animabus, in hoc facto taliter ordinantes, vt eaſdem augias partim ratione venditionis, partim ratione donationis, partim ratione ſatisfactionis, ſine contradictione qualibet, prædictus Abbas, & conuentus, & eorum ſucceſſores in perpetuum valeant poſſidere. Prædictis etiam relligioſis, & eorum monaſterio, Nos, & noſtros ſucceſſores præſentibus firmiter, & fideliter obligamus, ad præſtãdam eiſdem, de prædictis augijs plenam vuarandiam, in omni loco, & tempore, vbi, & quando ſuper hoc fuerimus requiſiti. Ad maiorem quoq; præmiſſorum firmitatem, renunciamus omnis iuris ſubſidio Canonici, & Ciuilis, conſuetudinibus, conſtitutionibus editis, & edendis, & omnibus alijs, quocumq; nomine cenſeantur, occaſione quorum præmiſſa ordinatio per Nos, vel noſtros ſucceſſores, aliquo ingenio, vel malitiâ, ſeu calumniâ hominum nomine noſtro, & noſtrorum retractari poſſet, aut aliqualiter impugnari præſens inſtrumentum de noſtro rogatu, & conſenſu confectum, & conſcriptum ſæpe dictis relligioſis conferendo, tam venerabilis patris, & Domini Berchtoldi Dei gratiâ Epiſcopi Baſilienſis Eccleſiæ, & Domini Arnoldi eiuſdem Eccleſiæ præpoſiti, quam noſtris ſigillis patenter, & legitime communitum. Nomina autem præmiſſæ ordinationi præſentium ſunt hæc, Heinricus, & Hermannus de Gruuinberg, & Ioannes de Bonſtetten nobiles. Diethelmus Pincerna, Arnoldus Dapifer de Habisburg, Valterus, et Hermannus, et Arnoldus de Volon, Gerardus, et Hermannus, et Berchtoldus de Tegiruelt, Volcherus, et Cunradus, & Rudolfus filij eius, Ciues de Bruche. Fratres Heinricus Cellarius, & frater Vlricus conuerſus de Albis Monaſterij memorati. Acta ſunt hæc in ponte Vuodinouue Anno Domini M.CC.LII. in menſe Maio, decimâ die menſis eiuſdem, indictione decimâ, feliciter. Ex quo id quoq; magis teſtatum eſt HABSBVRGIENSES etiam inter arma, & tot malorum, quæ ea conſequuntur, portenta, ſemper pietatis meminiſſe iuſtitiæ, & recti-

Habsburgienſes ſemper pietatis & religionis memores.

rectitudinis, quod ſupra tetigimus. Inde quoq; quilibet agnoſcit Albertum Habsburgienſem in Germaniâ vixiſſe, hoc tempore, bellâſſeq; , neq; , vt pleriq; tradunt, ſub Friderico in Italiâ perijſſe, aut captiuam vitam finiſſe. Sed poſteaquam vitâ quoq; Cunradus expulſus eſt, idemq; per ſcelus Manfredus ſuſtulit, tum verò atroci, & exitiabili, veluti ſolutis habenis, Germania omnis cõcuſſa diſcidio eſt. Nam neq; Gulielmo vires dignitati pares aderant, aut in tantum auctoritate aboleuerat, & longis, infeſtisq; Pontificum, & Imperatorum contentionibus, regni ſtatu conuulſo, diſciplina, obſequiaq; tamquam incerta aboleuerant, dumq; in hunc, aut alterũ ſtudia inclinant, omnium imperium exuerant, adeo nihil vſquam priſtini moris, nulla legum reuerentia, nullus magiſtratuum honos, aut metus, prorſus omnia, æquumq; , nefasq;, pari diſcrimine polluerant. Principes ipſi imperij, quos reipublicæ cura, decusq; propius tangere debuerant, mutuis ſeſe armis petere, lacerare, ſubditos nouis exactionibus, & collectis; ceteros vectigalibus inſolitis, & portorijs exſpoliare, perdere. Nobilitas aut pariter ſe, aut vicinas, & liberas vrbes vexare, laceſſere, dolo, viq; perſequi. Ciuitates quoq; ſecum per factiones, & partes diſſidere, turbare. Omnes interea rapinis graſſari, aliena inuadere, ferro, incendijs ſæpius iniuriam vlciſci, Omnino quidquid effrena lubido ſuadet, illud idem, pari vecordiâ perpetrare, diuina, humana, ſacra, profana ex æquo habere. Eadem cauſſa fuit non paucis vrbibus, & communitatibus, quarum opes minus validæ, aut ad iniuriam opportuniores erant, præfectos, & militiæ Duces adſciſcendi, quibus reipublicæ curam, ſummamq; committerent, quorumq; auctoritate, vel per quietem agitarent, aut auſpicijs, & ductu pericula repellerent. Itaq; tres Communitates Vrania, Suitia, Siluania, quam in auo

De Alberti morte hinc refutatus error omnium pene ſcriptorum.

Anarchia longa, fœda, exitioſa.

Plures hinc reſp. et vrbes præfectos, & duces ſibi adſumũt Tres Communitates Rudolfum eligunt.

Tres Communitates Rudolfum eligunt.

Nn 2 poten-

potentiam, vt libertati, inſidam, formidauerant, vbi periculum aduenit, apud nepotem Rudolfum vltro quæſiere, ſtipendioq́;, & prece rebus ſuis præſideret, haut inuitum perpuletunt. Nam & inde militem ſperabat,& graue tum cum Berchtoldo ex Comitibus Ferretanis, Baſilienſi Epiſcopo certamen inciderat. Iura quædam in Comitatu Elſatiæ, ſuper antiquam Habsburgienſium, & Ferretanorum æmulationem, vſurpata Epiſcopo dicebantur, ceterum ex partibus odium incenderat, Berchtoldo pontificum contra ſuperiores reges decreta, & Gulielmi imperium defendente; Habsburgienſi Batauum ſpernente,& regum memoriæ fido. Sed Rudolfo præterea aderant Gerardus à Goeſgau, Heinricus à Palmâ, Rudolfus à Vetiſuillâ, Heinricus à Chienbergâ, Gerungus à Tegerfeldâ omnes barones,& militiæ cingulo inſignes, totaq́; ferme vtriuſq; Epiſcopatus Conſtantienſis, & Baſilienſis nobilitas. Eo milite per intempeſta noctis inopinatò Baſilieam adgreſſus proximum ſuburbium diripuit, & incendit, multaq́; prædâ ad ſuos reuerſus eſt. Abſumtum eodem igne ſanctimonialium D. Magdalenæ monaſterium. Id facimus, tamquam ſacrilegum, Berchtoldus Epiſcopus ſanctimoniales admonuit Innocentio pontifici notum facerent, querellas adiungerent, & preces, damna in primis exponerent. Fore enim vt repararentur, aut ſacris excluſi auctores facinoris omnium odium inciderent. Summus pontifex in hunc modum reſcripſit. *Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum DEI venerabili fratri ------ Epiſcopo Baſilienſi ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Dilectæ in Chriſto filiæ priorisſa, & conuentus monaſterij monialium pœnitentium beatæ Mariæ Magdalenæ Baſilienſis, ſuâ nobis conqueſtione, monſtrauit, quod nobiles viri Rudolfus comes de Habesburch. Gerardus de Geſinckon, Heinricus de Palmâ, Rudolfus de Vediſuuiler, Heinricus de*

Is cum Epiſcopo Baſilienſi bellum facit.

Claris auxiliaribus.

Suburbiũ Baſileæ diripit, et incendit. A. D. N. CIↃ.CC.LIII.

Defertur ideo ad Pontificẽ Innocentium.

Qui excommunicationis ſententiã in eũ, et ſocios publicari mandat. A. D. N. CIↃ.CC.LIV.

de Kienberch, & Gerungus de Tegerueld milites, quondam Friderico, olim Imperatori, & Cunrado nato eius contra Eccleſiam adhærentes, cum quibuſdam complicibus ſuis Baſilienſibus, & Conſtantienſibus ciuitatibus, & diœceſibus ad monaſterium ipſum, manu armatâ, noctis tempore hoſtiliter accedentes, ac ipſum; DEI timore poſtpoſito, auſu ſacrilego, deuaſtantes, incendio eiſdem priorißæ, & conuentui in perſonis, & bonis ſuis læſiones, ac damna non modica intulerunt. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, dictos ſacrilegos tamdiu, appellatione remotâ, excommunicatos nuncies, & facies ab omnibus artius euitari, donec paſſis iniuriam ſatisfecerint competenter, & cum tuarum teſtimonio literarum ad ſedem venerint Apoſtolicam abſoluendi ipſos, quod de damnis illatis, & irrogatis iniurijs ſatisfactionem plenariam dictis priorißæ, & cõuentui, vt tenentur, impendant, monitione præmißa, per excommunicationis ſententiam in perſonas, & interdictum in terras ipſorum, appellatione remotâ, compellens, non obſtante, ſi aliquibus à ſede Apoſtolicâ ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, aut extra certa loca euocari ad iudicium, ſeu terræ ipſorum per literas ſedis eiuſdem ſupponi nequeant Eccleſiaſtico interdicto. Datum Anagniæ xij. Kal. Septembris, pontificatus noſtri anno XII. Sed Innocentio breui poſtea Neapoli exſtincto, K Epiſcopo mandata exſequendi animus defuit, pacemq́; Rudolfi, & amicitiam bello, & pontificio decreto antetulit. Etſi vero Germaniæ ſuperiora Gulielmo parum obſequerentur, tamen, quaſi Germanici Imperij certus, connentum Coloniæ habuit exeunte Iunio, ac in proximi anni Martias Kalendas expeditionem Italicam accipiendę coronæ indixit, inuentâ, manuq́;, & ingenio promtus, ſi fortuna perinde adfuiſſet. Etenim dum cetera expeditiones molitur grauiter ex improuiſo nuncius perculit Friſios Hollandiam irrupiſſe, prædamq́; ingentem exegiſſe, bel-

K vij. Idus Septemb. eod. anno.

Gulielmus conuentu Colonienſi expeditionem Italicã indixit.

A. D. N. CIↃ. CC. LVI.

ſe, bellum crudele habere. Vnde ex metu, ne per abſentiã atrociora inirent, in Friſiam conuertit, Decembri menſe. Regionis ſolum, æſtiuis diebus, aquis, vadisq; prope inuium tempus anni, aperuiſſe, firmâſſeq; videbatur. At ipſum paucis comitibus, paludes tentare auſum, priuſquam exercitum tranſmitteret, vorago, fruſtra enitente equo, hauſit: aut coorta Friſiorũ ex inſidijs manus, Nam vtrumq; tradidere, incognitum, ignarumq; oppreſſit v. Kal. Ianuarij, ætatis anno ſeptimo, & viceſimo. Eodem quoq; tempore, obijt Albertus Habsburgienſis, cum in Elſatiâ ferme egiſſet, Vettingæ ſepultus eſt, primus ſuæ ſtirpis, redijtq; omnium rerum poſſeſſio, mortuo iam ante Hartmanno, ad Rudolfum. Sed Gulielmi mors grauem Germaniæ proceres inter diſcordiam de Imperatore nouo generauit. Scripſerat Alexander pontifex, Gulielmi exitio audito, aliũ ſubito ſubrogarent, neq; in incerto regni ſpes, & opes ſuſtinerent. Illi per plures conuentus in diuerſa trahebantur, dumq; alter alteri nemo concedit, ad externos poſtremò, contra Germanicæ nationis decus, & dignitatem, Imperijq; inſtituta, & leges, per contentiones ſe conuerterunt, ſiue tum quoq; promiſſis, & auro corruptæ mentes peregrinam gloriam famæ domeſticæ præpoſuere. Richardũ alij Cornubiæ comitem, Ioannis regis Angliæ F. Heinrici tunc regnantis, fratrem, comitijs Franco furtenſibus circiter Eidus Ianuarias regem nominauerunt; in quibus fuerunt Cunradus Colonienſis, & Gerhardus Maguntiacenſis archiepiſcopi, Ludouicus palatinus Rheni, & frater eius Heinricus dux Bauariæ. Contra Arnoldus Treuirenſis, & ceteri, in eius deſpectum pridie Kal. Iunij Alfonſum X. Caſtilliæ, & legionis regem, cognomento Sapientem, etiam externum, ſed Richardo potentiorem, Cæſarem dixere, Sueuici nonnullo ad hoc ſanguinis fauore, matre Beatrice,

Ab Friſijs oppreſſus occubuit.

Alberti obitus, & ſepultura.

Diſcordia inter principes pro Imperatore nouo.

Qui duo legunt Richardũ Angliũ, & Alfonsũ Hiſpanũ. A. D. N. CIↃ CC. LVII.

Stero annal.

Philippi

Philippi Cæſaris filiâ, & Friderici Ahenobarbi nepte. Miſſi ad vtrumq; deſignationis nuncij. Et Richardum, paucis diebus, Aquiſgranum perductum Colonienſis antiſtites Imperialibus ornamentis inſigniuit. Inde, Rheno aduerſo, Baſileam vſq; aduectus eſt. Verum, vbi Imperij titulum oneri ſibi magis, & ſumtui eſſe, quam honori, & emolumento animaduertit, principes alios, exhauſtis, quos oſtentârat, theſauris, diffluere, ſeſe relinqui, ſolitaq; obſequia deficere, neq;, obtinendo, aut reſtituendo regno, opes, & fortunam ſuppeditare, vnde prius venerat, breui porro in Angliam inops, & inglorius reuerſus eſt. Alfonſus horrem magnum, & gratum habuit, ne tum inire, aut frui poſſet, Philippi fratris rebellio, &, eo ſollicitante, imminentes Hiſpaniæ Mauri præpediere. Rudolfus, eodem anno, poſt fratris obitum, quaſdam venditiones Beronenſi Eccleſiæ à nobilibus ſuis à Baldeg factas adprobauit *Rudolfus Comes de Habspurg Vniuerſis in Chriſto fidelibus ſalutem, & rem geſtam. Opus iuſtitiæ agitur cum bonæ fidei contractus debito ſtatu conſeruantur. Sciant igitur vniuerſi, quod Domina vidua, Hartmannus miles M. et M. Canoñ. Beroñ. dictis de Baldeggâ prædia ſua in Vualde in deme Gerute, magiſtro Petro Canoñ. Beroneñ. titulo legitimæ venditionis tradiderunt de noſtrâ voluntate, & cõſenſu, renunciantes pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus prorſus omni iuri ſibi in eiſdem bonis competenti, vt à dicto Petro in prædictis bonis difficultas, vel impedimentum nequeat in poſterum vllo cauillationis articulo generari, præſentes literas, noſtram auctoritatem eiſdem proteſtando, ſibi duximus concedendas, noſtri ſigilli munimine, cum ſigillo dicti Hartmanni militis, & Eccleſiæ Beronenſis nomine, & vice partium communitas. Acta ſunt hæc anno Domini M CC. LVII. x. Kal. Mai. Indictione xv.* Et exeunte eodem anno. *Vniuerſis præſens ſcriptum inſpecturis Rudolfus comes de Habsburg ſalutem, & rei geſtæ notitiam. Tenore præſen-*

Anglus Aquiſgrani coronatus Baſileã vſq; peruenit, hinc breui in Angliam ſe addidit.

Gonzalo de Illeſcas pontif hiſt. lib. v. cap. xxxix. & de regibus Caſtiliæ, et Legionis cap. xy.

Rudolfus venditiones quaſdam confirmat.

Ex autographis.

præſentium profitemur, quod nos venditionem vnius ſcopoſæ in Vualde à dilecto miniſteriali noſtro Hartmanno militi de Baldeggâ, de quâ à nobis fuerat infeodatus, Magiſtro Petro Canon. Beronen. nomine, & vice prædij legitimè factam, ratam, & gratam habentes, ipſam præſentibus duximus confirmandam. Vt autem dicta venditio veritatis ſuffulta remedio in poſterum nequeat aliquâ calumniâ perturbari præſens inſtrumentum fecimus ſigilli noſtri munimine roborari. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. LVII. xij. Kal. Ianuarij. Paucis poſt diebus, litem & controuerſiam capitalem, quę Communitatem Vraniorum vniuerſam multos iam annos exercuerat, per factionē duarum familiarum Iſelingorum, & Fruoberorum Rudolfum, tamquam præfectus, tandem aboleuit, electis ex totâ Communitate XL viris, qui de contentione iudicarēt, & ſexaginta librarum argenti pœnâ denunciatâ in fractoribus pacis in ſuum fiſcum redigenda, & totidem parti læſæ tribuenda. Acta ſunt Altorffi vico Vraniorum maximo, Dominicâ ante Natiuitatem Domini, eodem anno. Interfuerunt, præter Rudolfum comitem, eius adſeclæ, & amici Valterus à Vuolhauce, Rudolfus à Palmâ, Vlricus à Ruſſegge, Ortolfus ab Vrzinge, Petrus à Chiemberg barones, Rudolfus, & Heinricus à Kuſſenach, Hartmannus à Baldech. alij. Tertio ab hoc anno, facta eius ſeculi nono, & quinquaſimo, menſe Octobri, facta venditio Dieticonis, & Slieronis, viuente adhuc matre Rudolfi Heiluige, vt ex inſtrumento cognoſcitur, cuius copiam ſupra fecimus. Gottfridus Habsburgienſis ſuo, & fratrum nomine, eam adprobauit menſe Decembri Corbiniaci. *Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentium inſpecturis Gotfridus comes de Habiſpurg in perpetuum. Cum prædilecti mei, videlicet, patruelis meus Rudolfus comes de Habisburg, Lantgrauius Alſatiæ, & Rudolfus, & Eberardus fratres mei, prædia, poſſeſſiones, iura, dictinctus, bannos,*

Controuerſiā apud Vranios capitalem dirimuit.

Dieticonem, et Slierum Vettingenſi monaſt. vendidit. A. D. N. CIↃ CC. LIX. cap. 2.

Gotfridus eamdem adprobauit, eod. an.

Ex autographo.

bannos, quæ in Dietigkon, & in Slieron, tam idem patruelis, quam ego, & ijdem fratres mei diuiſim, vel coniunctim, ſeu communiter in terrâ, ſuper terram, in æquâ, ſuper aquam, dinoſcimur habuiſſe, honorabilibus in Chriſto abbati, & conuentui de Vuettingen Ciſtertieñ. ordinis, Conſtantieñ. diæceſis, & ipſorum monaſterio pro quingentis quadraginta, mareis argenti ponderis Turicenſis nomine ſuo, & meo, nec non auctoritate publicè, liberè vendiderint, reſignauerint, tradiderint, & donarint, Comitatu, & iure ipſius comitatus, nec non iure patronatus Eccleſiæ in Dietigkon, cum aduocatiâ ſuper dotem eiuſdem Eccleſiæ, mihi, & fratribus meis Rudolfo, & Eberhardo comitibus, ad manus noſtras, & dominium reſeruatis totaliter, et exceptis, ſicut in inſtrumento publico ſuper hoc facto plenius inoenitur. Ego, ne factum proprium videar impugnare, prædictas venditionem, reſignationem, traditionem, donationem, ſponte, honâ fide, ſine omni dolo, & fraude ratas habeo, & pergratas, & omnia prædicta bona, et iura præfatis relligioſis, & eorum monaſterio ad pleniorem cautelam trado præſentibus, & reſigno, firmiter promittendo, & me firmiſſime obligando, quod infra quattuordecim dies, poſtquam ad patriam fuero reuerſus, omnia, quæ prænotati patruelis, & fratres mei, circa præmiſſum contractum, nomine meo, fecerunt, vel ſe facturos promiſerunt, obligauerunt, vel adhuc facient, et promittent, ſine difficultate qualibet, & protractione perducam ad effectum, ſecundum quod præfati abbas, & conuentus à me duxerint requirendum. Et in huius rei teſtimonium non ſolum præſentem literam, ſed etiam publicum inſtrumentum, ſuper ipſo contractu ſpecialiter confectum, et ſigillis venerabilium in Chriſto Conſtantieñ. Baſiliens. Epiſcoporum, et quorumdam aliorum inſignitum, eiſdem tranſmitto, inter alia mei ſigilli munimine patenter communitum. Datum, & actum Corbiniaci in Eccleſia S. Leonhardi Anno Domini M. CC. LIX. In feſto S. Luciæ, Ind. iij. præſentibus, quorum nomina ſunt hæc, Venerabilis pater Dominus

Guuido abbas S. Leonhardi Corbiniacens. Prior, fr. B. Capellanus. magiſter P. Clericus abbatis iam dicti. Eberhardus frater meus, Mangoldus de Buochheim miles, & frater Ruegerus monachus de Vettingen. Paullo ante confirmauit Rudolfus venditionem factam ab Hartmanno nobili à Vange Eccleſiæ Beroneñ. *Vniuerſis præſentem paginam inſpecturis Rudolfus Comes de Habsburg, & Lantgrauius Elſatiæ notitiam rei geſtæ. Nouerint igitur omnes, quos noſſe fuerit opportunum, quod nos venditionem prædij ſiti in Ibinoſe factam ab Hartmanno miniſteriali noſtro de Vuangen Eccleſiæ Beroneñ. gratam, & ratam ex parte noſtra, & nobilium comitum Gotfridi, & Rudolfi, et Eberhardi de Habsburg dilectorum patruelium noſtrorum habemus. In huius rei teſtimonium præſentem literam dictæ Eccleſiæ Beroneñ. noſtri ſigilli munimine confirmamus patenter communitam. Datum ſiue Actum apud Arouue Anno Domini M. CC. LIX. II. Nonas Nouembris Indict. III.*

Ex autograph.

Clara per ea tempora, & celebris fama Germaniâ totâ, & per exteras gentes Premiſlaum Bohemiæ regem, auito cognomento, Othacarum ferebat, belliq; laude, & geſtarum rerum gloriâ longe ſuper alios erat. Nam & breui Auſtriam vniuerſam ſubiecerat, pacâratq;, & Prutenis deuictis, Carinthiaq; precio emtâ, & Carnis, & Foroiulianis, & Veronenſibus in deditionem acceptis, regni terminos ab Baltico mari, ad mediterraneum vſq; protulerat, nomenq; Bohemicum, & armà longè, lateq; diffuderat, animo ingenti, modico, immoderato, laudis, & Imperij inſatiabili. Ad eum Rudolfus ſe contulit, ineunte anno ſexagimo eius ſeculi, feruidus, & inquietus, ipſo flore iuuente, tricesimum enim ſecundum ætatis annum agebat, ſiue honorem inde, & opes ſperaret, aut antiqui Germanorum moris æmulatu, quibus otio domi, bella per extranas gentes quærebantur, ingratâ quiete, & faciliori inter ancipitia claritudine. Rex

Othacari regis Bohemiæ claritudo & potentia.

Rudolfus ad eum tendit
A. D N.
CIↃ. CC. LX

volenter

volenter accepit, & lætus, perſpectaq; breui virtute maximis cumulauit honoribus, regioq; palatio, ampliſſimâ dignitate, præfecit. Neq; etiam diu fuit, cum belli artibus quantum quoq; poſſet expertus eſt. De Stiriâ Belam inter Pannoniæ regem, & Othacarum certamen aderat. Illam, expeditione Auſtriacâ, Pannonio, veluti partem, ex tantâ prædâ, ne cœptis reliquis obſiſteret, Othacarus reliquerat, mox, bello confecto, & rerum felici euentu, tamquam Auſtriæ ducatui iunctam prouinciam repetebat. Poſt etiam Pannoniæ, inſitâ lubidine regum, inhiabat. Spes augebat, præteritis annis, illi regno ab Tartaris accepta clades, iuuentus interfecta, profuga, aut in ſeruitutem rapta, regni opes, & inſtrumenta belli auecta. Ad hoc oppida, & arces exciſæ, aut fractæ, Strigonienſi, & Albâ regiâ exceptis. Prorſus impares vires, & ſuper omnia Bela pace, quã bello melior. In Morauiâ rex vterq; cum copijs obuiam fuere. Belæ præter Hungaros Stephanus filius, & Apra Cumanorum dux, cum auxiliarijs aderant. Equitatui, quo maxime pollebat, Othatarus Rudolfum præſidere iuſſit, & more gentis prælium inire. Pugna atrox, & exitiabilis fuit, haut minus æſtu, per anni tempus, feſſis, & languidis, quam ferro, & vulneribus debilitatis. Poſtremo Pannonij terga verterunt. Capta quoq; eodem impetu caſtra. Bela paucis comitibus, Haimburgum tenuit. Fuiſſe Hungaro refert Martinus Polonus, ad hunc annum, circiter quadraginta millia equitũ: Bohemo centum millia, in quibus millia ſeptem equorum ferro cooperti. Addit in conflictu, & agitatione quadripedum tantum excitarum puluerem, vt medio diei homo hominem cognoſcere non potuerit. In fugâ vero, præter acie interfectos, ad proximum flumen, Teiſam vocant adcolæ, ſubmerſa quatuordecim millia. Eadem victoriâ Stiria Auſtriæ reddita, & Premiſlao animus multo impotentior, &

Honorifice accipitur.

Regio palatio præficitur.

Bellũ eiuſdẽ Othacari cũ Hungariæ rege.

Prælium atrox, in quo præcipua Rudolfi virtus.

l. pugnata eius xiij. Kal. Auguſti, aut, vt alij, iij Eidus Iulij. Chron. ms.

intolerantior factus, Quâ ſuperbiâ, inſolentiáq; Habsburgenſis offenſus, aut, quia Comitatui Elſatiæ, orto Argentinenſi bello; timebat ex vicinitate, ſiue omnibus imperatu-

In Germaniam redit diuerſis ex cauſis.

rum fata degenerare alieno obſequio renuebant, in Germaniam ſuperiorem ex Bohemiâ redijt. Haut me fugit Du-

lib xvij. hiſt. Boh

brauium Epiſcopum hiſtoriæ Bohemicæ ſcriptorem pugnam illam, in quâ Rudolfi virtus maxime enituit, cum Stephano, poſt Belæ patris mortem, tradere apud Boſonium debellatam, quod quidem, quantum ad Habsburgienſem pertinet, contra eſt. Nam cum Pannorum anna-

Bonfinius lib. xvij rerum Hung.

libus proditum ſit, Belam, eius ſeculi anno quinto, & ſeptuageſimo, in Budenſi Inſulâ poſuiſſe vitam, Rudolfo autem imperium delatum ſit, tertio anno, & ſeptuageſimo, manifeſtum, ipſum, eodem anno, & aulæ Othacari, & imperio præeſſe non poſuiſſe. Rectius crediderim notare Ste-

Annalium libello.

ronem pugnam illam conſeruiſſe quidem Stephanum, ſed viuente patre Belâ. Poſt eam pugnam anno decimo obijſſe Belam. Sed vbi Rudolfus in Germaniam ſuperiorem regreſſus eſt, multa eum, & varia bella ſuſcepere, quæ interim exercerent; poſtremo turbulentis Imperij rebus pararent, & ante molis capacem redderent. Primum Argenti-

Varijs exercetur bellis.

nenſe fuit. Valterus ex baronibus à Geroldſeck vt Epiſcopatum ingreſſus eſt, inſolita, & noua exigere vectigalia, &

Primum Argentinenſe fuit. Eius cauſſa.

iura ex ciuibus cæpit. Ipſi contra re ire, & ſuperiorum Epiſcoporum priuilegia, & ciuitatis leges, & inſtituta proferre; ijs inniti, & deniq; omnia malle, quam illa deſerere. Epi-

A D N. CIↃ. CC LXI.

ſcopus, in moram gerant, ſacrorum interdictionem minari: tam vero, veluti ſubiectis facibus, multitudo furere, arma rapere, factoq; globo, vrbe prorumpere, arcem Haldenburgum, quæ ceruicibus imminere videbatur, exſcindere, foſſas explere, collem vniuerſum peruadere, vaſtare. Quæ vt per improuiſũ Epiſcopo aduenerunt, ita maximo opere

inflama-

Digitized by Google

inflamauere. Itaq; canonicis, cleroq; omni, interdicti metu, & ſacerdotij, munerisq; priuatione vrbem relinquere præcepit. dictoq; audientes fuere. Vnum Berchtoldum ab Ochſenſtein decanum, ætas, & valetudo excuſauere. alterum Heinricum à Geroldſeck cum Valtero propinquo ſimultas vetus, aut quia bellum improbabat. Canonicos ſecura nobilitatis magna pars ipſis, & Epiſcopo deiuncta, aut obnoxia. Sed vbi vrbe omnes exceſſere, tum verò ſacris omnibus interdixit, diuinorumq; officiorum, & ſacramentorum vſum prohibuit, bellum ſummâ ope parauit. *Auxiliares Epiſcopi.* Auita auxilia Treuirenſis archiepiſcopi cognati, abbatum S. Galli, & Murbaci: in primis Rudolfus Habsburgienſis, & multi alij Comites, & nobiles. Ciues viciſſim omnium domos, qui abierant, diruerunt, bona publicârunt, eorum memoriam funditus exſtirpauere. Epiſcopus deniq; locũ caſtris Holtzheim inter, & Lingelheim, ineunte Iunio, *Caſtra ad vrbem.* cæpit, hoc etiam, quia præſidio tenebatur, obſedit, & occupauit, datâ, qui defendebant, in vrbem redeundi facultate. Poſt tentoria Koenigshoffen tranſtulit. Eo ſecutus Treuirenſis. Sed ſuccedentes carros cum impedimentis ciuis, Beutſpil nomine, ex mœnibus conſpicatus, eruptione factâ, paucis, qui obnitebantur, interfectis, armatâ manu, in vrbem perduxit. Quæ vbi caſtris diſperſa ſunt, pudore, iraq;, & damno ſtimulatus Treuirenſis, adſumtis in expeditionem Liechtenbergenſibus, Humenbergenſibus, nonnullis alijs exercitus primoribus, mœnia cum ſuis copijs inuaſit, portamq; Aurelianam, obtruncatis cuſtodibus, introrupit. *Pugna in ſuburbio cruenta.* Horis deinceps, & ambigua illo in ſuburbio pugna fuit, non pauci vtrimq; interfecti, viris, feminis, pueris bellantibus. Repulſus poſtremo Treuirenſis feſto die D. Margaritæ, & induciæ trimeſtres ſecutæ. *& hinc trimeſtres induciæ.* Interea; multâ Rudolfi nepotis famâ, & gloriâ, Hartmannum Kiburgienſem

burgienſem

Digitized by Google

Hartmānus Kiburgienſis donationem Eccleſiæ Argentinenſi factā remitti petit, uti etiā Rudolfus.

burgienſem pœnitere cœpit donationis, in eius iniuriam, & contumeliam Argentinenſi Eccleſiæ factæ. *Rogare igitur Epiſcopum per iram, & animi dolorem facta remitteret, ſe non minus, & ſua in eius voluntate, & obſequio fore. Et quid ab nepote ſperare poſſit experimentum cœpiſſe.* Sed eadem multo ardentius Rudolfus per induciarum tempus flagitabat. Hoc merita ſua, patrisq;, & maiorum, quæ ad Vrbē, Epiſcoposq; extarent, quoiq; præterito bello, & alias, ipſe ſumtus feciſſet, quid porro præſtiturus eſſet pluribus enumerabat. Poſtremo, cum omnia Epiſcopus abnueret, *quia*, inquit, *tibi neque meritorum vlla ratio eſt, neque memoria, nec quid deceat, & amicos retineat, aut reddat obnoxios magno ponis in diſcrimine, quando ita eius, & experiri inimicum mauis; quam animum, & facta beneuolentis agnoſcere, & iam id quoque tua facta poſtulant, Rudolfum Habsburgienſem ex amico, & auxiliari, hoſtem, & eum infeſtum, accipe. Nam maternam hæreditatem neque tu neque alius, donec hoc teget ferrum latus, eripies. Et quando aliena auidius, quam fas eſt, hauſeris; tua tibi mox peritura ſcito.* Neq; vana omnino ſentētia fuit.

Huius animoſitas, & conteſtatio.

Argentinenſes ſua Ciuitati contra Epiſcopum præficiunt.

Argentinenſes enim, vbi præter opinionem has exortas inimicitias accepere, continuo ad Rudolfum legatos miſerūt primo res ciuitatis, qui præfecturam vrbis, & belli, contra Epiſcopum, ducatum offerrent. Quæ res, vt inopinata, ita Rudolfo gratiſſima fuit, quod ipſe facturus erat, vltro eos anteueniſſe. Igitur, acceptâ vrbis, & belli cura, in id omnem operam vertit. Comites Hartmanum iuniorem Kiburgienſem, Cunonem Friburgenſem, & Henricū Neoburgenſem conſanguineos, alioſq; quam plures in belli ſocietatē traxit. Argentinenſes, cum illis, & magno equitatu vrbē ingreſſum, ingenti omniū ordinum, & multitudinis vniuerſæ ad plauſu, reſonantibus vndique ad publicā lætitiam campanis, excepere. Progreſſus ipſe in forum, eum

ad

ad locum, vbi illi poſtea ſtatuam equeſtrem ſtatuerunt, ſacramentum omnes adegit, viciſſim Ciuitati fidem ſuam obligauit, dilectum habuit. Hinc crebræ excurſiones, & quidquid extra mœnia Epiſcopenſium fuit, incenſum, & vaſtatum. Non minores ab illis clades accipiebantur. Pars ſuburbana ciuium villas, domos, vineas, prata, ſata, inter ſe, tanquam omni ſpe pacis interemtâ, partiuere. Natalitijs diebus ineuntis anni, ciuium manus, duce Rudolfo, nobilium a Vickersheim arcem euerſuri, vnde frequentia per excurſiones damna veniebant, in vicum Brenſuickersheim conceſſere. In eo vini copia reperta rei bene gerendæ occaſionem corrupit. Sed Epiſcopus, hoſtium aduentum cognito, ſuis ſubito ſignum dari iuſſit. Conuenere mora nulla equitum, peditumq; ex pagis, & caſtellis vicinis multæ copiæ. Cum illis collem, qui Vickersheim, & Kolpsheim interiacet, inſedit, auidus pugnæ, & ex militũ ampliori numero victoriæ ſecurus. Planitiem tenebat Rudolfus. Et in ipſo ſpes omnis euentus, vrbanâ plebe, concitandis turbis, quam ſuſtinendis, acriore. Vtrumq; exercitum, ne congredi poſſent, torrens vado incerto, & ripâ præcipiti, diſtinuit. Argentinenſes, cum ſatis Rudolfo fuiſſet, omnem ſuſpicionem metus, aliquantâ morâ, ſubterfugiſſe, ordine ſeruato, in vrbẽ redierunt. Pauci, quos potatio largior in ſomnum dederat, aut titubantes diſiecerat, trucidati ebrietatis, & immodeſtiæ pœnas luere. Nonnullæ ſub hæc hoſtium cohortes Villariam vallem (Villerthar) quæ Rudolfi erat, introgreis populauerunt. Tenebant illâ tempeſtate Epiſcopi Argentinenſes multas in vtraque Eliatiâ Imperij liberas vrbes, illiſas Imperatoris nomine præfectos dabant iuſtitiæ arbitros, & libertatis defenſores. Sed ea tãdiu fuere, quandiu ab Imperatoribus metus, & dignitas ſuperauit. Vbi poſt Fridericũ, interregnũ ſucceſſit,

Equeſtris ſtatua Argentinæ illi ſtatuta.

Sæpius excurrit, & hoſtica vaſtat.

A. D. N. CIↃ. CC. LXII.

Copias ex magno periculo ſaluas reducit.

Villaria Vallis ab hoſtibus vaſtata.

vt alijs Imperij partibus, ita in vrbibus illis plus præfectorũ lubido, & violentia, quam æquitas, & modeſtia potuere. Tales inter alias erant Mulhauſium, Colmania, Kaiſersberga. Igitur bello Argentinenſi in partes ferme diſceſſere: pars Epiſcopum; alij ciuium cauſſam tuebantur. Colmariæ erat ciuis, Ioannem Raſſelmannum vocabant, qui ſummum tum magiſtratum in ea vrbe, gerebat, opibus, & popularium fauore, & propinquorum copia, etiam prioratus, facile princeps. Eum, vt ſuſpectum, factio Epiſcopi vrbe, & magiſtratu deiecit, &, ne de eo referri poſſet, legem pertulit. Ipſo iniuriæ impatiens, ſimul quia Rudolfi amicitia vtebatur, ad eum ſe recepit, & de Colmariâ dolo occupandâ conſilia communicauit. Dies, nox, hora inſidiarum conſtituta. Rudolfus, vt firmior eſſet, ab Gotfrido patrueli ſubſidium poſtulauit. Raſſelmamus verò dolio per fraudem opido illatus, cum amicis, quæ cum Abſburgienſi conuenerant, & proditionis ordinem comparauit, temporiq;, eorum operâ, vnam portam tenuit. Subſtiterat haut procul vterq; Comes, ſignumq; opperiebantur. Quod vbi, ex incenſo ab haſtâ ſtraminis manipulo, ſicuti conſtitutum erat, acceperunt, facto impetu, illâ, quę patebat, portâ, in opidum perrupere, ingentiq; clamore, HEIC HABSBVRGVM, ingeminato, ita hoſtes exterruerunt, vt nemo opponere, aut cõtra tendere animũ induxerit, multi ex vrbe ſeminudi, & inermes profugerint. Ita Colmaria in poteſtatem redacta: ciues ſacramentum Rudolfo dixerũt. Hæc vbi Mulhauſium perlata ſunt, quæ non minus, atque Colmaria, inteſtinis inter partes cõtentionibus, æſtuabat, nõ pauci, ſecretis cum Rudolfo munijs, egere, eorum quoque curam vti acciperet. Si cum milite vrbem acceſſiſſet, portas ſe aperturos, & in eius poteſtate fore. Sicuti rogauerant, Rudolfus exſecutus eſt. Sed, Maul-

Colmariam dolo capit.

Item Mulhauſiũ.

Mulhauſio capto, maior ab arce, quã Epiſcopi præfectus tenebat difficultas, & belli molles ſe oſtendit. Eam,cum ſe dederet fruſtra flagitauiſſet, auci ciuium ſtudio, nam inde extorſiones, & iniurias frequentes acceperant, eiusq́; exſcidium precabantur, Rudolfus circũſedit. Obſidio in hebdomadam duodecimam tolerata obſeſſos ad extrema adegit. Cum eruptionem, omnibus deficientibus,tẽtatos Comes repuliſſet, deditionem fecere. Arx funditus euerſa, turribus duabus receptis, quæ mœnium partẽ claudebant. Mulhauſij, & ærus compos,cum alia quoque caſtella pleraq; in poteſtatem veniſſent, totius Elſatiæ inferioris imperium Rudolfus conſecutus eſt,adeoq́; quidquid Saletione, Rubeaco excepto, Baſileam vſq; porrigitur, in eius dominationem conceſſit. Interea, qui Colmariâ euaſerant,pauci vicinæ nobilitatis in auxilium ſollicitatis, eadem, quâ Rudolfus, arte, vrbem recipere conati ſunt, eamq́; obſcurâ nocte introgreſſi, magnâ item ſublatâ voce,Hic Epiſcopus, Raſſelmanum excitauere, qui, ne maius flagitium eſſet, amiſſa vrbe, quam prius recuperatæ gloria, paucis è familiaribus, & vicinis vna raptis, medio ſe pugnantiũ globo intulit, fortiterq́; dimicãs primus obtruncatus eſt. Amici eius cæde non tam fracti, quam iam quoq; ad vltionem animati,multo atrocius in hoſtem inuaſere, pauciſq; eadẽ, qua venerant, portâ elapſis, ceteros omnes trucidauerunt. Dum hæc vtraq; Elſatia geruntur, claram victoriam Argẽtinenſes de Epiſcopo retulerunt, quæ adeo ipſum adfecit, vt, paullo poſt,mœrore, ac tædio vitam exuerit. Quidam Rudolfum pugnæ præfuiſſe, alij ſecus tradidere, pugnatamq; eam dum Mulhauſianam arcem obſidet. Ego eius quidquid eſt, in medium relinquo. Epiſcopo exſtincto, & laſſitudine belli, Canonici cum ciuibus in gratiam redierunt A.D.N. CIↃ.CC.LXIII. Henricumq; à Geroldſeck,

Arcem quoq. deditione potitur.

Et ſimul per totam pene Elſatiam inferiorem.

Colmariam hoſtes fruſtra recipere conantur.

Argentinenſium victoria, & Epiſcopi mors belliq; finis. Chronic. Arg ms. Chronicon Elſ. inf. lib. IV. cap. LXIV. & ſeq.

qui ciuitate non exceſſerat, & in ciuium cauſſam propenderat, veluti concordiæ, & pacis arbitrum Epiſcopum legere, qui, vt Rudolfum quoq; deuinciret, nec Canonicis minus, quam ciuibus amicum, & beniuolentem haberet, inſtrumentum donationis Kiburgienſis auũculi reddidit, & in ſumtum, prætcritiq; belli operam, magnam pecuniæ ſummam. Inſtrumentum Rudolfus accepit, pecuniam, eadem magnificentiam, non modo repudiauit, ſed etiam, quas tenebat, Epiſcopatus vrbes reſtituit. Eodem tempore interfectus Richardus Cornubiæ comes, quæ nonnulli principum Cæſarem ſalutârant. Tigurini, qui eius partes acriter contra Cunradinum, Cunradi Cæſaris F. ſuſceperant, is paullo ante in Germaniam ſuperiorem ex Bauariâ venerat, vbi hactenus mater Eliſabetha Othonis Bauariæ ducis F. Ludouici palatini, & Henrici ducis ſoror aluerat, continueratq;, ingentis ſpei adoleſcentem, & Sueuiæ ducatũ amicorum, & clientũ, auunculorumq; (opibus reum perarat, Tigurinos, tamquam veteris Alemanniæ partem, poſt retingenſium obitum, repetebat) eâ cæde, perculſi, & nullo imperante, multis vndiq; turbis, ad Vldaricum Regensbergæ baronem vicinum, & opulentum legatos deſtinauere, cum precibus, Vrbis, & reipubl. protectionem ſuſciperet, omnia ſe clientelæ officia exſecuturos, ſtipẽdiumque, pro ſuis opibus amplum, & honoratum præſtituros. Ille animi immodicus, ſuperbiaq;, & opulentia vecors, negauit ſibi aut eorum argento, aut clientelâ opus eſſe; aurũ, & ſubditos ſuperare. Quod ſi dominum ſe accipere malint, daturum operam, ne ſui eos imperij pœniteat: ſecus; nihilominus, tamquam retibus piſces, circumſæptos, inuolutosq; tenere, caſtrisq;, & arcibus, & oppidis prædominari. Tenebat ab vno vrbis latere Regensbergam arcẽ, & opidum, & Glantzenbergam opidum quoque & arcẽ: ab

Rudolfus inſtrumẽtũ donationis auunculi ab nouo Epiſcopo recepit.

Richardi mors. Polydorus valetudine exſtinctũ tradit, alij vi adhibita.

Cũradinus dux Sueuiæ.

Tigurini ad baronem Regensbergenſem vrbis ſuæ præfecturam deferunt.

Qui ſuperbe refutat.

ab altero Grueningam opidum, & arcem: è conſpectu ſuprà ad montem Albim arces fortiſſimas Balderam, & Vtlibergam, & circum circa alias plures. Inſolens reſponſum, vt Tigurinis, contra quam rebantur, accidit, ita maturare coegit, ne forte Regensbergenſis aliquid repentinò moliretur, eamdem conditionem Rudolfo deferendi, quem cum Regensbergenſi inimicitias exercere; & liberalitate, & virtute fortiſſimum quemq; deuinxiſſe, militemq; dilectum in manu habere compertum habebant. Rudolfus Tigurum profectus ciuium ſacramentum accepit, quæque bello, quæque paci, adnitentibus cunctis, inſtituit. Ibi, talibus occupatum, ab Hartmanno auunculo, nuncius cũ multis de Vitoduranis querellis, nouâ curâ impleuit. Illi, mortuo, anno ſuperiori, iuniore Hartmanno, relicta vnicâ filiâ Annâ, quam Eberhardus Habsburgienſis, Gotfridi frater duxerat, cum valetudine, & ætate, breue quoque vitæ ſpatium Hartmanno crederent, libertatis ad petentiores, & rerum nouarum lubidine, Caſtrũ Vitodurum, paullo ſupra opidum ſitum, antiquiſſimum, & validiſſimum Romani quondam præſidij monumentum, exſciderant, multaq; alia petulantiæ, & vecordiæ ediderant, prorſus ſeniorem irâ, & vltionis deſiderio incenderant. Igitur adſcitum Rudolfum, quando propinquiores nõ aderant, heredem ex aſce inſtituit, Kiburgum, & cætera Kiburgenſiũ Comitum tradidit, vltionemq; de Vitoduranis. Paucis hinc diebus, vitâ ſolutus eſt, A. D. N. CIↃ. CC. LXIV. VIII. Kal. Decembris. Erat Vldarici F. Hartmanni, qui Dieſſenhoffe apud Rhenum ex vico opidum fecit, Nep. vltimus Kiburgenſium Comitum. Sepultus eſt Monaſterio Sancti Montis, vbi pater quoque & auus requieſcunt. Annæ iunioris Hartmanni filiæ relicta ea, quæ ex auiæ Annæ Zeringenſis hereditate ad Kiburgienſes venerant, népe Co-

Vt ſuſcipiat, ab Rudolfo impetrant.

A. D. N. CIↃ. CC. LIV.

Vitodurenſium inſolentia cõtra Hartmannum ſeniorem.

Qui Rudolfum ex aſce heredem facit & Onox decedit, vltimus ſua ſtirpe.

ms. Chron. Tig. de monaſterijs agri Trig. Anna Kiburgienſis hereditas.

mitatus Burgdoffenſis, aliaq; in Auenticis & Burgundiâ, in quibus Friburgum. Ea vrbs, cum Berchtoldus Zeringæ dux, & Rector Burgundiæ poſtremus Imperio, vna cũ Bernâ donâſſet, in ſuamq;, & Imperij protectionem Fridericus II. recepiſſet, inter Imperij turbas, & quæ ſecuta ſunt, ſchiſmata, Hartmannum ſeniorem, junioremq; Kiburgi Comites, patronos, & defenſores ſuſceperat, in eorumq; ſe fidem, & clientelam commiſerat, cum, eodem quoque tempore, Bernenſes in Comitum Sabaudiæ protectionem conceſſiſſent. Atque ab Annâ proceſſerunt, qui, licet per Eberardum maritum ex Habsburgienſibus oriundi, Kiburgi ſe & Burgundiæ Comites prouinciales indigitârunt, multiſq; poſtea annis, pluribus aucti opibus Burgdorffi egerunt, floruerunt q;, vt ſuo loco videbimus. Ceterum Rudolfus hac ratione, tribus ampliſſimis Comitatibus Kiburgenſi, Badenſi, ſiue Aquenſi, & Lentzburgenſi, eodem tempore, & vnâ hereditate, repente auctus, ingenti virum, arcium, vicorum, opidorum numero magnus, & opulens, nulliq; Germaniæ Comitum ſecundus, nihil Vitoduranorum iniurias præuertere voluit, exercituq; inopinato opidum clauſit. At illi, poſtquam, ex periculo, metus ſuperbiam, inſolentiamq; poſt habere docuit, arbitrio ſeſe obſeſſoris tradidere. Eo Rudolfi rerũ incremento acceſſit aliud haut pœnitendum ex Friburgenſibus. Illi, etſi Annæ, vt ſuperius diximus, in clientelâ erant, Eberhardoque Comiti parere videbantur, tamen quia parum ex illo præſidij, aut non tantum, quantum tempora, & imminẽs Sabaudiæ Comes poſcere videbantur, Rudolfum per Cunradum à Vediſuillâ vrbis prætorem adierunt, vtq; ſe; & ſuos in protectionem acciperet, rogauere, conditionibus, quibus, ſaluâ Annæ progenie, quemque gerebat vtero, & donec partus adoleſceret, ſummum illi imperium deferebant.

De Friburgo Auentico.

Kiburgiorũ Comitum noua origo.

Ingens Rudolfi ex materna hereditate opum acceſſio.

Vitoduranos ſubigit.

Friburgẽſes ipſum quoque defenſorem adſciſcunt.

rebant.

rebant. Quod vt tum ſummo ipſe in honore habuit; ita poſtea non deſtitit, donec eam ſibi ab Eberardo, & Annâ vrbem vindicauit, & tamquam propugnaculum, contra Sabaudos oppoſuit. Quod & illi, & poſteris, quamdiu voluerunt, proſpere vertit. Friburgenſium annales, & inſtrumenta hanc ſuæ vrbis præfecturam anno ſuperiori Rudolfo traditam volunt. Et credibilius eſt; nempe ſtatim poſt Hartmanni junioris mortem, cum in Hartmanno ſeniori ob ætatem parum opis, ineſſet, multominus per inopiam in Eberhardo Annæ marito. Sed Regensbergenſis haut dubium ſibi ab Rudolfo bellum animaduertens, vindicandis antiquis iniurijs, (habeo enim ſcriptores qui Rudolfum ab eo bello attritum, primis juuentæ annis, prodidere) aut rurſus Tigurinorum in gratiam, contrà auxilia parauit, & belli ſocietate plures opibus, & militiâ inſignes per amicitiam, & communem metum, aut Habsburgienſis proſperarum rerum odio, colligauit. Tales fuere Comites Arbergenſes, Nidouiani, Toggenburgienſes, barones Eſchibacenſes, Palmenſes, Vartenſes, Rhimggenbergenſes, alij plures. Neq; Baſilienſis antiſtes expers conſilij eſſe dicebatur. Tantis opibus ſocietatis, & ſuapte cupidine, Regensbergenſis bellum antecepit, Tigurinorumq; ſuburbana incendit, prædasq; egit. Monitus ex templo Rudolfus cum equitibus quinquaginta, & Comitatus Aquenſis peditatu, & Kiburgienſis, vrbem ingreſſus eſt. Frequentes tum vtrimque populationes, & pugnæ, Rudolfoq; fermè ſecundæ. Ne tamen ſemel in Regensbergenſis manus veniret eiuſdem baronis morio præſtitit. Duam rem, etſi ludicram, quia tamen ex paruis quoque ingentia ſæpe momẽta rerum vertuntur, ſiue in magni, & immortalis viri memoriâ; nihil leue æſtimare decet, aut adeo nihil eſt quod curioſitas recuſet, adſcribere pretium duxi. Factitauerat

Chrr. Tig mss. Regensbergenſis cõtra Tigurinos, & Rudolfum apparatus, & prædationes.

Rudolfus paratas inſidias egregia motionis Regensbergẽſis ſimplicitate vitauit.

inter

inter ſuos baro longum ſe Habsburgienſis naſum aliquando confractum, intellectoq; Kiburgo, vbi fere huius occaſione belli agitabat, Tigurum venturum, loco deſtinato inſidias diſpoſuit. Morio tantas ob vnius, vti rebatur, naſi copias comparari admirabundus, inſitâ ſimplicitate, & experiundi cupidine, quantâ maxime potuit celeritate Kiburgum properauit, datoq; in arcem ingreſſu, cum in Rudolfi conſpectum veniſſet, attentiuſq; corporis habitum, & eius contemplatus eſſet. *At enim vero,* inquit, *tibi aut tanta naſi longitudo eſt, vt comminuendo tot copijs indigeat herus, mihi vires, & animus eſt ſoli eo vſque conterendi, donec eius nullum veſtigium ſuperſit.* Comes his verbis non modo promtas, & vicinas in ſe copias intellexit, ſed aſſumto fortiſſimo quoque in baronem, & inſidiatores de improuiſo vectus magnâ editâ eorum cæde, repulit, & in fugam coniecit. Sed cum trahi bellum intelligeret, pluresq; ſuorum per breues pugnas interire, nec quidquam profici, integris baronis arcibus, & opidis, illis porro expugnandis, quà vi, quà fraude animum intendit. Baldera ſe primam obtulit. Caſtrũ ad Albim antiquum, Ludouici Germaniæ regis Caroli M. nepotis, vt fama erat, opus, eiusq; filiarum Hildegardis, & Berchtæ habitatione, & cultu quondam celebratum. Id, cum vi obtinere diffideret, dolo circumuenit. Equites triginta arcem adequitare juſſit, pedites totidem in inſidijs inter arbuſta, quæ circa adoleſcunt, conſtituit, cetera parauit. Equites, vt præceptum erat, arcem accedere, minas jacere, gladios rotare, geſtu, voce, conuicio hoſtem elicere. Et præſidiarij fraudis incauti, & numero ſuperiores arce prorupere, fugamq; ſimulantes late perſecuti ſunt. Interea, qui in inſidijs aderant, impetu facto, vacuam arcem adorti incẽdio ſubdidere, quo rei geſtæ ſigno, Rudolfus in hoſtem repente ex fugâ conuerſus, plerosq; interfecit, aut cœpit. Vlibergæ,

Regensbergenſis de inceps arcibus occupandis intendit.

Balderam dolo intercipit.

libergæ, vnde in vrbem latè patebat proſpectus, quæq; Tigurinis ante alias grauis, & in quâ Regensbergenſis maxima erat ſpes, eodem Albis dorſo, alio aſtu poſitus eſt. Habebat in eà baro equos albas duodecim, & numero pari venaticos canes. Totidem, & colore ſimiles equos, caneſq; Rudolfus parauit, & arcem haut procul, opportuna nocte, abdidit, turmam Tigurinorum equitum prope ſubſiſtere iuſſit, qui, vbi monuiſſet, veluti hoſtem, inſequerentur. Alia in vſum, aut fallendi hoſtis præcepit. Cœptâ luce, qui arcem tenebant, more ſolito pabulatum, & in prædam albis in equis exſiliere. Quos vbi prætergreſſos Habsburgienſis cognouit, longiusq; populabundos vagari, ſubitâ eruptione, verſus arcem fugam cæpit, & eum per ſequi Tigurini. Vigiliæ ex equorum numero, canumq;, & colore ſuos rati in arcem recepere. Ita Vtliberga arcium omnium earum regionum firmiſſima in Rudolfi poteſtatem venit. Tigurini funditus euerterunt. Hic rerum ſucceſſus non ſolum Rudolfum, & Tigurinos ad exſcindendas Regensbergenſis opes ardentius animauit, ſed etiã amicos, & fœderatos ab eo alienauit, in illo ſuperbiam, & copiam attriuit, & exhauſit. Igitur auxilia fœderati fermè negitare, Habsburgienſis gratiam requirere, nihil eo duce, inuitum, nihil ſatis tutum arbitrari. Baro ſumtu per præſidia intolerabili, alia, quæ ſupererant, vendere, alia in pignus largiri, bello continuando grande æs alienum conflare. Sed Rudolfus fortunæ viâ graſſari optimum ratus Glantzenbergam infra Tigurum propter flumen lindemagũ, quod lacu Tigurino egrediẽs primo Arulæ, mox Rheno miſcetur, arcem, & opidum ſic quoque intercepit. Naues duas armato milite, per mercimonij ſpeciem, verſus Baſileam, ſecundo flumine demiſit, haut ignarus Glantzenbergenſes inuaſuras, tamquam hoſtes, & jaculis petituros, poſtre-

Itemq; Vtliberga.

Mutatio ingens fortuna Regensbergenſis & declinatio.

Lindemagus A.

Glantzenberga denique in Rudolfi poteſtatem venit.

poſtremò aliquâ fraudi caſum futurum. Ipſe cum equitatu, querneâ ſiluâ ſupra opidum ad euentum cõſedit. Naues breui Glantzenbergam defluxere. Ibi eas Glantzenbergenſes jaculis, fundis, glandibus, ita vti crediderat Rudolfus, adorti ſunt, Vectores, & remiges haut tam damnis, quam clamore, & eiulatu, geſtiſq; ſimulabant, denique veluti naufragij periculo, & ſpecie deditionis ripæ nauigia adplicuere. Tum vero omnes, tamquã ad certam prædã, feſtinare, erumpere, alius alium præuenire, portas, & opidum deſerere, ſimul Rudolfo rei bene gerendæ locum facere. Opidum incenſum, Campanæ pro monimento, & cetera, Tigurum translata, Kalendis Septembris. Tot, tantiſq; cladibus Regensbergẽſis adflictus, ditioneſq; omni prope orbatus, (Regensbergam arcem, & opidum Lutolphus frater minor poſſidebat, nec ſe bello miſcuerat) cum in amicis nihil prӕterea opis, & omnia contraria eſſent, Rudolfi poſtremo fidei ſe commiſit, &, quæ reliqua erant, illo conſentiente, vrbi traditis, delatus Tigurum, quos protegendas aſpernatus erat, magno rerum humanarum ſpectaculo, altores habuit. Dato ex vrbis publico interea ad vitam, aliquot poſt annis defunctum apud Franciſcanos ſepeliere. Proſequebatur Rudolfus ſingulari D. Auguſtinũ Epiſcopum Hypponenſem memoriâ, & cultu, & eius ordinis monachos ante alios fouebat, amabatq;. Ea cauſſa fuit maxime cur iiſdem Tiguri, cum ibidem frequens eſſet, per prӕtentum bellum, locum condendo Monaſterio, minori in opido, precio emerit donârítq;, multis additis in monachorum ſuſtentationem poſſeſſionibus. Monaſterij jacta fundamenta hoc ipſo anno quinto, & ſexageſimo, præſente Comite. Materiam omnem lignaria ſuppeditauit, pace inter ipſum, & Habsburgienſem, Tigurinoſq; facta Comes Toggenburgienſis Crafto. Dum hæc geruntur fre-

Schodeleras chr. tan l.

Vnde ſecuta Regẽsbergenſis deditio. A. D. N. CIϽ CC LXV.

Rudolfus Monaſterium S. Auguſtini Tiguri condidit. Chr. Tig. ms de Monaſterijs agri Tig.

quentes

Abbatis S. Galli ab eo petita & conteſtatio fruſtraria.

quentes literas ad Rudolfum dedit Berchtoldus à Valtkenſtein ad Harciniam S. Galli abbas, fortis, ſeuerus, ſui Monaſterij, & iuris rector, & defenſor imperterritus, quatenus Kiburgenſium hæres erat, qui multa ſui Monaſterij beneficia, & iura habuiſſent, eorum, more antiquo, fidelitatem faceret, obſequijq; ſacramentum præſtaret. Quæ cum fruſtra fuiſſent, poſtremum diem dixit, quo die, niſi in officio eſſet, tamquam ingratum, & inficiatorem omnibus priuaret. Sed neque ſic Rudolfum mouit, abbati infenſum, & iratum, quod, præterito bello Argentinenſi, eum auxilium Epiſcopo portâſſe ſciret, nō tam æquitatis deſiderio, aut aduerſus Epiſcopum amore, quam obtinendi ab eo Vitoduri, & alia Kiburgienſium Comitum, ſecretiſq; criminationibus apud ipſum effecerat, ne, quæ tunc poſtulabat, conſequeretur. His de cauſis vtrimq; inimicitiæ, & poſtea bellum. Verum, enimuero bello Regensbergenſi confecto, compoſitis Tiguri vtcumque rebus, pace paratâ, inde ad Pontem Arulæ, & Habsburgum Rudolfus conceſſit, paucisq; diebus per requiem ſumtis, otij impatiens, ſeu potius diuino nutu, venatum cum aliquot nobilibus ijt. Eâ in venatione, alijs alio ſparſis, dum & ipſe prædam quærit, aut premit, tintinnabuli ſonitus ad aures accidit, qualis deferendâ ſacroſanctâ ſynaxi eſſe ſolet. Cognoſcendæ auidus rei, flexo equo, quos onus ferebat, eo iter ſubito vertit, breuiq; torrentis in ripâ ſacerdotem exuentem ſe offendit. Ex quo percontatus, quid ita, & ijs locis eſſet. *Cogit me*, inquit, *ex proximo amici valetudo compendia ſectari, ne morbo ſuperante, ſacris deſtituto, & vitæ, mortiſq; arbitro, ſecus de ſalute ſi eueniat, in me culpa inhæreat. Huc cum adpuli pontem auulſum reperi, eò ad traſuadandum veſtem pono.* Quæ vbi Comes intellexit, repente ab equo in genua procidit, liberatoriſq; ſui præſentis pacem, & gratiam precatus, *Imo*

Cauſſa in abbatem irarum.

Rudolfi rara, & eximia erga Sacroſanctam Euchariſtiam pietas, & reuerentia, & in ſacrorum miniſtrum honos, & munificentia.

Digitized by Google

vero, ait, *hunc à me equum accipe, & quod officium, neceſſitasq; monet feſtinantius obi*. Reuerſo poſt diuinæ rei miniſtro, & equum multâ cum gratiâ, relligionisq; & humanitatis laude, reſtituente. *Abſit ego*, inquit, *illum equum inſcendam, aut meorum alius, quem Dominum, & conditorem meum geſtâſſe certum habeo. Quod ſi adeo præter opinionem, aut tua merita, hæc tibi à me venire cenſes, teque adeo munere indignum, pios in vſus adhibe. Illi nempe ego dedi, & dicaui, à quo mihi honores, & opes, vita, & anima*. Poſtero die, contulit ſe Rudolfus ad monaſterium Fare, quod inter Tigurum, & Aquas ſitū, lindemago adiacet, ad ſanctimonialem propinquam, & ætate grandem inuiſurus. Quæ, vbi eum accepit, vultu ſereniore, voce contentâ, & futuris ſecurâ. *At tibi ego* inquit, *heſternâ luce, ſuperos placatos, & beniuolos denuncio, proque pietatis, & libertatis officio, rerum tibi, poſterisq; ſummum, & ſupremum in terris honorem, & opulentiæ faſtigium adfirmo; læta fauſta, incredibilia promitto, Perge age, vti incepiſti, viam porro inſequere*. Sacerdos vero is, de quo diximus, Archiepiſcopi Maguntiacenſis à ſecretis, & officijs poſt factus, crebros de Rudolfo Habsburgienſi ſermones miſcuit, non ſolum apud Maguntiacēſem ſed alios quoque principes, eius virtutes extulit, illi per ea tempora paucos pares, neminem ſuperiorem. Indeq; Rudolfi, ſuper alia, toto Imperio fama, & gloria, donec Imperator, concordantibus ſuffragijs, vti ſuo loco oſtendemus, pronunciaretur. Hæc, quæ retulimus, in antiquis, & probis manuſcriptis reperta obticere conſilium non fuit, rei raritate, & vaticinij euentu, ſimul vt benefactorū pretia oſtēderē, & quibus artibus magna ſæpe Imperia parentur, retineāturque. Acta ſunt hæc A. D. N. CIↃ. CC. LXI. Quāuis Vernherus Schedelerus tabularius, & prætor Brenigartinus, & chronicon vnum e Tigurinis quatuordecim ante annis eueniſſe adnotârint.

Vaticinium de eo, & eius poſteris.

Chronicorum ſuorum ms. tomo 1. Chr Tig. m. s.

& etiam ms.

Res

Res exorta, de annis vt diſcrepent. Auctor libri de monaſterijs agri Tigurini, adſerit, Rudolfum non modo equũ, quem inſidebat Sacerdoti tum donauiſſe, ſed bona,& poſſeſſiones ſimul adſignâſſe, alendo in poſterum, in Sacerdotis eius parœciæ vſum, equo, hocq; tam clarum,& commemorabile pietatis, & religionis exemplum accidiſſe, inter Fare Monaſterium, & Aquas, cum per præteritum bellum Tigurum proficiſceretur. Ceterum, domito Regẽsbergẽſi, etſi ſocios belli pleroſque fors eadem auerterat, Toggenburgienſes tamen, tamquam magnâ ex tempeſtate, nondum conquierant, prædas ſubinde Vtznabergâ ab arce agitabãt. Illa infra Vtznacum opidum in colle præcipiti ſita, regioni, cui antiquitus nomen Termino quod ibi Rhetorũ, Heluetiorumq; fines eſſent, imperitabat. De his cum Tigurini ad Rudolfum retuliſſent, ſimul quia ab S. Galli abbate parari exercitum acceperat, dilectum frequentem habuit, alios Kiburgum, Vitodurum, Morsburgum præſidio contra abbatem miſit; partem ipſe Vtznabergam duxit. Eo quoque Tigurini conuenere. Vtznaberga obſeſſa primo auctumno. Sed ea arcis firmitudo erat, quæ obſeſſores facile præ ſe contemneret. Et iam ſextus obſidionis menſis procedebat, aſperâ hieme,& nullo profectu, dilabebaturq; miles, Rudolfum ſpes quoque prope deſeruerat, cum præſidiarij, veluti in ludibrium, aut ex commeatuum abundantiâ, piſces viuos ab arce in caſtra abiecere. Quos vbi Rudolfus accepit, *Iam vero*, inquit, *noſtra Vtznaberga eſt*. Itaque aditus omnes, & exitus longe, lateq; inquiri cũ iuſſiſſet, fortè caprarium, qui oſtendit, reperere. Qui in arce erant, poſtquam ſecreta palam eſſe notuit, proximâ nocte, arcens deſeruerunt. Tigurini xi. Kal. Martij incendere. Indixerat, eodem tempore, Rudolfus,& patrueles Hauſſenbergenſes ad vi. Kal. eiuſdem mẽſis inter liberalia ob

Vtznaberga arx eius ſitus.

Terminus Heluetiorum.

Obſidetur arx ab Rudolfo, & tandẽ occupatur.

Haſtiludia, & decurſiones equeſtres Baſileæ magna frequentia agitauit, fine lugubri, & cruento.
A. D. N. CIↃ.CC.LXVII.

lectamenta, ludos Equeſtres Baſileæ, frequensq; nobilitas ex Elſatiâ vtraq; Briſacis, Sequanis, & totâ ferme Germaniâ ſuperiore conuenerat. Eo quoque ipſe, mox, vbi Vtznabergâ potius eſt, tetendit, copijs partim dimiſſis domũ, aut ad illa, quæ Vitoduri erant, & vicinis locis præſidia. Plures dies inter varia ſpectacula abiere, dum ex ſuô quiſq; ingenio alio alium antecellere contendunt. Multi equos oſtentare, alij armorum prudentiam, pars dexteritatem, non pauci ornamenta, & varietatem, & rara reperta, poſtremo plerique omnes ad famam, & gloriam diuerſâ via niti. Non deerant qui ſeſe luxu, & amoribus oblectarent, feminarumq; cœtus celebrarent. Ea pars maxime offendit. Itaq;, veluti limphatico furore, verſa, ex ſumma lætitia, in extremam dementiam ciuitate, ingenti tumultu, & clamore, plerique ciuium arma rapere, proximũ quemque è nobilitate obtruncare, cædere, ſolo adfligere, pedibus premere, & conculcare, prorſus immanitatis, & vecordiæ nihil reliquum facere. Multi ex improuiſo per plateas, & foro in medio trucidati, alij inter mulierũ oſcula oppreſſi, quidam earum è ſinu rapti, & in fruſta diſcerpti, plerique corpore mutilato fæde multati. Ceterosq; denique hoſpitum fides, aut latebræ texere, nonnullis e mœnibus ſalus reperta. Abierat paullo ante Vitodurum Rudolfus, exercitumq; contra Berchtoldum abbatem, qui Vilæ magnis copijs confidebat, ex hibernis, & præſidijs eduxerat. Ibi eum nuncius eorum, quæ Baſileæ euenerant, adſecutus eſt, plures quoque eorum, qui euaſerant, eò conceſſere. Ancipiti malo, itaq;, & iniuriæ tantæ impatientiâ præceps, cum & hic bellum retineret, & illo vindicta, precesq; læſorum traherent, animo angi, & incerta conſilia, diu, multumq; verſare. Poſtremo plus recens vltionis deſiderium, quam vetus aduerſus abbatem ſimultas, potuit. Conuerſus igitur

Nobilitatis exercitamenta.

& fœda clades.

Rudolfi ex ea immẽſus dolor, & conſilia ancipitia.

tur ad proximos. *Me*, inquit, *plebis Baſilienſis furor, & impotentia maxime diuerſum agitant, plebis, inquam, Nam quis magiſtratui eam crudelitatem, & proditionem, aut populo imponat? plebs fuit, & viliſſimus quiſque, quibus boni inuidia, mali quæſtui ſunt; quique per ſeditiones, & tumultus vitam facilem; vbi modeſtia, & diſciplina valuere, ignoti, & in obſcuro degunt. De ijs ſupplicium nos amici, & familiares perfidioſe cæſi, aut ex vulneribus in dubio vitæ iure repoſcunt. Ne officio fungamur abbas hic in morâ eſt. Et fatebor, multa mihi ſui monaſterij beneficia ſuperſunt, obſequium me quoque, & fidem debere prope certum eſt. Quod hactenus recuſo, culpa in eo eſt, qui maternam hereditatem doloſis officijs intercipere conatus ſit, adeoque dum cupidini ſuo morigeraretur, quid ſeq; meq; dignum eſſet, nullo in loco habuit. Quod ſi vobis ita videtur, & iniurias amicorum præuertere, quam proprijs ſupereſſe, fortioris eſt animi, age, cum abbate tranſigamus*. Omnibus adnuentibus, ſequeſtrumque pacis, & litis arbitrum requirentibus. *Imo vero*, inquit, *hic neque ſequeſtro, neque arbitro opus. Illo in loco res eſt, vt vltra teneri non poſſit. Quotidie perire multas vtriuſque exercitus vicinitate videtis. Summa in faſtigio eſſe. Ego vtrumque, & arbitrum, & ſequeſtrum exequar*. Sumtis paucis comitibus, eo, vbi abbas, erat, primâ vigiliâ, Vilam aduectus eſt. Ad portam præſidio roganti, *Rudolfus Habsburgiēſis eſt*, inquit, *eum adeſſe, abbati renuncia*. Ea res verò abbati, & ceteris omnibus magna, & incredibilis videri, hoſtem, & eum infenſum, nullâ fide publicâ, tribus comitibus, intra mœnia rogare admitti. Vbi vero in palatium deduxere, alij audaciam, pars deſpectum, nonnulli fraudem, & inſidias interpretari, pauci quibus maior ex vſu rerum prudentia, & virtutis opinio erat, magnanimitatem, & confidentiam obſtupiſcere, Omnes denique alius aliorſum ſententijs diſcrepare, ceterum in Rudolfo, tamquam ſpectro, & portento,

Cum abbate S. Galli tranſigit magnanimiter, & ſplendide.

tento, oculos, & ora fixa habere. Ille vt abbatem iuxta ſtetit. *Lis*, inquit, *vtrumque intercedit. Eius litis ergo hic me ego ſiſto. Tu aut arbitro, aut reo vtare. Nam ſi reum eſſe voles; & damnaueris; haut mora erit, quin quod fas eſt, ex me conſequare. Et ex arbitrio procul omnis fraus, & iniuria aberit. Arma contra te habere non nego. Sed quantum honori, & æquitati ceteri omnia poſt ducã, vti ſcias, iuſta ea ſint, an iniuſta, te iudicem fero.* Summâ id facimus non abbatem ſolum, ſed circumſtantes vniuerſos admiratione ſimul, & lætitiâ impleuit. Nam Rudolfi verborumq; & factorum iuxta fidem, & præſtantiam nouerant; & ex tam ancipiti bello, præter omnium opinionẽ, ereptos eſſe ſe, pacemq; poſcere, quem victoriæ propiorem haut dubie habebant, in primâ publicæ felicitatis parte rebantur. Non longa diſceptatio fuit. Decem argenti pondo Comiti quotannis remiſſa. Ipſe abbati, monaſterioq; fidei, & obſequij iuſiurandum fecit, quæque rei monaſterij publicæ, quæque omnium bono, curaturum, malam rem, & nocitura abacturum. Sed vbi lætos omnes Rudolfus, & lubentes, his factis, animaduertit, in abbatem reſpiciens. *Nempè tu*, inquit, *his partibus antiſtes potens moderatis, tibiq; equites, nobiles, ſubditi plures; virtute, & ſuperis volentibus magnus es, & opulentus. Mihi quoque opes haut pœnitendæ, & nobilitas volens, & exercitus miles. Quod ſi eos commiſiſſemus, ſcilicet, illi ſeſe mutuis vulneribus confeciſſent, & fortiſſimus quiſque occidiſſet. Vulgum ſua humilitas, aut ſecuritas flagitij, fuga, & imbellia protexiſſent. Ita bonorum minus, plus reliquæ multitudinis ſuperfuiſſet, neque tantum ex victoriâ decoris, & firmitudinis; quantus, nobiliſſimo quoque interfecto, & ceteris pudor, aut labes. Et denique ab nobilitate nobilitatis certum exſcidium, & exterminatio, animis ad vindictam incenſis, acceſſiſſet. Næ inuidiâ ſatis, ſuperq; laboramus. Viliſſimi quique noſtris ex incommodis ſua*

Obſequij ſacramentum præſtat.

Ad ſumendã de Baſilienſibus vindictã hortatur, & impellit.

com-

commoda metiuntur. Homines præpoſteri. Perinde, quaſi noſtræ res adflictæ illorum fortunas ſtabiliant. Poſtremo animum induxere, nobilitate exſtinctâ, & interfectâ, æquiora omnia fore, illam ſuæ felicitati obeſſe, communem rem vſurpare, priuatæ inſidiari. Ex eo oderunt, & exitium machinantur. Nam quæ modo Baſileæ deſignârunt? Pudet, pigetq;, tam diu publicæ fidei violatæ pœnas non expetiſſe, maneſq; tot innocentiſsimorum, ſanguine perfidorum, non pridem expiatos, an ſatiatos. Enimuero quid non præterea contra nos audebunt, ſi tanta, tam fœda facinora impune tulerint? Immanis & effera bellua multitudo eſt, quo plus remittis, plus violentiæ, plus ferocitatis accedit. Vinclis, catenis, ferro coercenda eſt. Nempe ſubditos quoque noſtros eadem mox licentia peruadet, & dum, ex nefandis flagitijs, modeſtiæ, & miſericordiæ laudem quærimus profecto ludibrio, & miſeriæ omnibus paullo poſt erimus. Imo, age, & florentiſſimũ hunc militem aduerſus flagitioſiſſimos fidei, & hoſpitalitatis temeratores, & hoſtes conuerte. Me ſeu commilitonem, aut ducem habere voluerint, certe enitar, vt & ſuperſtitis protectorem imperterritum, & per fraudem exſtinctæ nobilitatis vindicem acerrimum ſupereſſe ſciant. Promtis auribus abbas, & qui nobilium aderant, Rudolfi dicta accepere; exercituq; vtrimq; deducto, meliorem partem Baſileam tranſtulit, ſuburbana vaſtauit, diripuit, incendit, prædâ, cæde, flamâ, cuncta miſcuit, plures interceptos ſupplicio adfecit, nihil hoſtilitatis, nihil vindictæ intermiſit. Acceſſerunt plures ex Elſatijs, Sequanis, Briſiacis, quos iniuria propius tetigerat, qui ſuapte incenſum atrocius ſtimulabant. Nec ceſſauit, donec omnibus, quos offenderât, ex eorumdem, quos offenderant, arbitrio, ſatisfacturos ſeſe Baſilienſes pollicerentur obſidesq; in eam rem darent. Temperatum dein ab ciuium bonis, bellum aduerſus Epiſcopum manſit. Eodem pene tempore, Carolus Andegauenſis, quem pontifex

Cæde flama, vaſtitate aduerſum Baſilienſes graſſatur.

Ipſi omnia pollicentur, & pacem impetrant.

A. D N.
CIↃ. CC. LVIII.

regno.

Cunradini, & Friderici ſupplicium: in quibus Sueuiæ, & Auſtriæ ducum ſtirps exſtincta Belli cum Epiſcopo Baſilienſi cauſſa.

regno Neapolitano, & Siciliæ præfecerat, acie profligatũ, cum Friderico Auſtriaco Hermanni Badenſis Marchionis, & Gertrudæ Auſtriacæ F. Cunradinum, & vtrumq; ex fugâ retractos ſupplicio Neapoli adfecit, IV. Kal. Nouẽbris, feria ſecunda. In illis Auſtriæ, & Sueuiæ ducum maſcula progenies exſtincta. Ceterum aduerſus Hasburgienſem offenſiones antiquas intenderat Baſilienſis Epiſcopus, haut dubio aduerſus ciuium cauſſam fauore, & auxilio. Sed prius bello Regensbergenſi, & Toggenburgenſi, vtriſque pecunias contra Rudolfum ſubmiſerant, abbati quoque S. Galli, ſecretis nuncijs, opem, & militem promiſerat. Ad hoc Briſiacum occupauerat, quod ſuperioris Elſatiæ, & ſui iuris, poſt Sueuiæ ducum exitum, Comes contendebat, Neoburgum pariter, eodem Rheintractu, Henrici propinqui opidũ in fidem receperat. Henricus enim Comes Friburgenſis haut multo prius ciuium ſacramentum accepturus Neoburgum venerat, ſtuprumq; nobili fœminæ intulerat, eo negârant, Epiſcopoq; ſeſe dediderant. Igitur his, & alijs de cauſſis, vtrimque acre, & diuturnum exortum bellum. Rudolfus Briſiacum paullo poſt poſitus dolo, ciues ſacramentum adegit, poſitoq; præſidio, quidquid, eâdem Rheni ripâ, erat, vaſtauit; tum vero, Rheno relicto, Richenſtein, prope Dornacum, arcem cæpit, & Vallem grandem ingreſſus, prædam ingentem fecit, villas incendit, animalia abegit. Contra Epiſcopus vicum Blodersheim in Harudibus, quem paullo ante in opidi ſpeciẽ muro, foſſaq; Rudolfus circumdederat, diripuit, foſſas expleuit, turrim oihmorsheini euertit, vicos populatus eſt. Rhenum quoque inde tranſiens Caſtrum Rhinfeldenſe, ſtein nominatum, ciuium Rhinfeldenſium opibus, & auxilio, qui, illi, vti freno, ſemper infeſti fuerant, occupauit, arcem Hertenberg, paullo etiã ante conditam, incẽdit.

Briſiacũ capit, Rheni ripam dextram vaſtat. Vallem grãdem populatur.

Epiſcopus viciſſim Elſatiam diripit, & Comitatũ Rhinfeldenſem.

Po-

Poſtremo apud Sanctionem vterque exercitus, exiguo admodum inter ſe ſpatio, caſtra poſuere. Neque de prælio dubitabatur. Et Rudolfo bene gerendæ rei ſpes creuerat trecentis equitibus, quos S. Galli abbas miſerat, Epiſcopo quoque ab alienatus, quod vini aliquot carros in vſum monaſterij licentiâ belli auerterat, & prædam paullo ante fecerat. Interceſſit marchio Hachbergenſis, alijq; principes viri, quorum auctoritas apud vtrumq; Epiſcopum,& Comitem tantũ valuit, vt, armis interim poſitis, Butkij equitum Reutonicorum domicilio, paullo ſupra Rhinfeldam, conuenerint. Vnde induciæ in proximum triennium natæ. His inducijs Epiſcopus pro Blodershemij exſcidio magnam pecuniæ ſummam Rudolfo dedit, ipſe Briſiacum reſtituit, & Saxum Rhinfeldenſe recepit. Eâdem cõuentione, Stellatorum factio, quam ciuitate Epiſcopus expulerat, quæq; ad Rudolfum tranſierat, ad ſua quiſque redierunt. Habsburgienſis in gratiam S. Galli abbatis, quem habebat militem, contra Montfortios, ad Hugonem comitem Verdenbergenſem, cui graue cum illis bellum erat, auxilio tulit, & in illâ campi S. Petri, vulgo Feldkirch, nobili expeditione, multa militiæ præclara facinora fecit. Interea obijt abbas Berchtoldus, ferijs Pentecoſtes. Eius morte, per monachorum, & ciuium diſſenſione, monaſterio grauis accepta clades, alijs Vlricum à Guttinge, abbatem nominantibus; alijs Henricum à Vartenberg. Huius apud monachos maior gratia, & auctoritas: illum ciues, nobiles, ſubditi præferebant. Igitur in partes quiſque tranſiere. Heinricus Arborem Felicem conceſſit; & cum illo dapifer à Landeck, nobiles à Roſaco, & Bichelſe, alij plures: ſed illum in primis fouebat Eberardus Epiſcopus Conſtantienſis, & Albertus abbas Augiæ. Vlricum ſequebantur monaſterialium potiores, in quibus nobiles à Ramschuag, ab

Induciæ triennales A. D. N. CIↃ CC. LXIX.

Rudolfus contra Montfortios copias duxit.

Abbatis S Galli mors, & inde diſſidium A. D. N. CIↃ. CC. LXXI.

Digitized by Google

Elgau, à Glaiburg, qui & Gieli, ditiſſimi, per ea tempora, *min ſterialium*, & longe ante omnes potentiâ, milite, famâ Rudolfus Habsburgienſis. Accedebant Montfortij Comites opibus haut contemnendis. Et hi quidem cum Ramſchuagenſibus per obſcura noctis Eberardi Epiſcopi opidũ Biſchofcellam ingreſſi direptum incenderunt. Nouum quoque Rauensburgum opidum prope lindaugiam, quod Vartenbergenſis nomine Vlricus à Roſaco tenebat, pariter exſciderunt, arcem expugnare non potuerunt. Verum, cũ

Rudolfus Sgallēſes & plerosque Monaſteriales in ſuã protectionem, & fidem accepit.

quotidianas ædes, & incendia, vaſtitatesq; fieri animaduerteret, Rudolfus, nec quidquam profici, Monaſterium inter has factiones ire poſſum, & ſubditorum opes exerti, ad S. Gallum profectus, opidi ciues, & incolas, itemq; Vilenſes, & pleroſq; montanorum, quorum res, & militiæ laus præceteris erant, nomine Guttingenſis, ſacramento adegit, vniuerſos in ſuam protectionem accepit. Ab eo magna Vartenbergenſium declinatio, & ferme de electionis æquitate apud Gregorium pontificem per aduocatos diſceptare cæperunt. Is tum Lugduni Concilium agitabat, gra-

Gregorius Põtifex ex Concilio Lugdunēſi ad Germaniæ principes ſcripſit pro Imperatoris electione.

uiſſimoq; deniq; ſcripto, Germaniæ principes monuerat, Eccleſiæ defenſorem, & Imperio caput darent: ſi negligerent, ſeſe porro quod e repub. Chriſtianâ foret, aliâ ex natione ſumturum, Imperiumq; tranſlaturam. Et iam exierat induciarum tempus, Baſilienſisq; antiſtes, quo firmior eſſet, Vlricum Comitem Ferretæ, & Theodibaldum filium

Finitis inducijs bellum reſumitur.

ſibi adiunxerat, fœdus cum vtroque in proximum decennium fecerat Epiſcopumq; Argentinenſem ad belli ſocietatem perpulerat, præter fratres Noui caſtri, Aibergæ, Ni-

A. D. N. CIↃ CC.LXXII.

douij Comites, & adfines ſiue ſororios Comitem Toggenburgi, barones Roetelæ, & Granſonij. Habebat Rudolfus

Epiſcopi auxiliares, & confœderati.

Sanctione firmum præſidium. Vnde crebræ fiebant excurſiones Rhinfeldã verſus, & alios Epiſcopi auxiliares. Tuffenſtein

ſenſtein arcem, quam paullo ante ab baronibus eiuſdem nominis Epiſcopus emerat, & munierat, vt bello commodam, aliquamdiu obſeſſam poſtremo expugnauit, & incendit, Hinc Grandem vallem rurſus populatus eſt. Epiſcopus viciſſatim, & Neoburgienſes Rudolfi Elſatiæ vicos, præcipue Harudum, diripuere, neque monâſterio Othmarsheimi manus abſtinuerunt, magnam prædam exegerunt, quam recepturus Comes, cum paucis equitibus ad vrbis vſque portas fruſtra inſecutus eſt. Eodem tempore XVII. Kal. Septembris forte, an dolo Sanctione excitatum incendium totum ferme opidum exhauſit, Illâ calamitate, tamquam occaſione, Epiſcopus vſus, eo militem duxit, quidquid ſuperfuerat, diruit, mœnium quoque quadratos, & ſcalpturis nobiles, lapides, Rheno ſecundo, Baſileam vehi iuſſit. Rudolfus vlturus cladem, nocte, cui D. Bartholomæo dies ſacer illuxit, Baſileæ S. Crucis ſuburbium, nûc à D. Ioanne nominant, nondum mœnibus, & foſſa in vrbẽ receptum inflamauit. Menſe Decembri, arcem Veer ad Harciniam munitiſſimam obſedit, & deditam pariter incendit, capto in eâ Teodorico Roetelæ domino Epiſcopi ex ſorore nepote, Sed annus qui inſecutus eſt, multiplici vtrimque ſtrage, variaq; fortunâ bellum in ſupremo habuit. Rudolfus, vbi primum tempus militiæ patiens fuit, quotidianis excurſionibus, Baſileam inceſſere, ſuburbana incendere, vineas cædere, prædas facere, nihil tutum extra, aut integrum pati, prorſus ciues, & incolas mœnibus, & foſsâ includere. Ineunte Aprili, muros paucis comitibus adequitantem, & tamquam prouocabundum, fortè Hugo Mareſchalcus equeſtris ordinis, & vrbis prætor cõſpicatus, & ratione cum omni equitatu fecit, peditem ſubſequi iuſſit. Rudolfus ratus id quod erat, ſe ob comitum paruitatem peti, in eo rei bene conficiendæ prætorem ſpem

Rudolfus Tuffenſtain euertit.

Vallemgrandẽ vaſtauit.

Epiſcopẽſes contra Elſatia uicos incendunt, et populãtur.

Sanctionis clades.

Rudolfus ſuburbiũ S. Crucis incendit.

Veer arcem diruit, Roetela baronẽ capit.

A. D. N CIↃ CC.LXXII

Multiplici ſtrage vicina vrbi adficit.

Equitatum e rum cecidit.

poſuiſſe, paullatim retrocedere, & veluti fugam meditari, donec ad eas, quas inſtituerat inſidias hoſtes attraheret. Baſilienſes fraudi faciles ardētius eo ſequi, finemq; malorum, eâ victoriâ, ſperare. Aſt vbi ad inſidiarum locum præcipitauerunt, vndique circumuenti, cæſi plurimi, alij capti, inter quos Hugo, alij quoque interfectum tradidere. Qui ſuccedebant pedites, cognitâ equitum clade, effuſâ in vrbē fugâ ſe receperunt. Menſe Auguſto, collem Bimingæ occupauit, vrbemq; per plures dies obſeſſam tenuit, nemine egredi auſo, ſine ciuibus parum fideret Epiſcopus, & ideo congreſſibus abſtineret. Vicina interim populatus, præſertim Neoburgenſium, copias deduxit. Mox, reparato maiore exercitu, totam vrbem, qua verſus Elſatiam tenditur, circumuallauit. Ipſe tentorium in colle qui D. Margaritæ imminet fixit. Aderant cum ſuis Heinricus comes Friburgenſis, ſine Neoburgenſis, auxilia ad hoc Tigurinorum, & S. Galli abbatis, multi quoque nobiles ſe adiunxerant, Rudolfo amici, & militiæ auidi, ſimul memoriâ acceptæ in eâ vrbe cladis nondum placati. In caſtra poſtremo, & factio ſtellæ vrbe prorupit. Eius principes erant Eptingeri, Vicedomini, Reithij, Ramſteineri, Vfheimeri, Rhenain, Neuuenſteinij, Fricenſes, alij. Sed vt Rheni ripam vtramq; magis contineret Rudolfus nouum nauigiorum genus excogitauit, quæ per partes ſolubilia, quo poſtularet vſus, carris interim portarentur, poſt, exiguo labore, & arte in vnum coirent, & aquis immitterentur. Illis Rhenum, maximè Neoburgenſibus, & Rhinfeldenſibus infeſtūm habebat. Nec minus crebræ, & ſæpius cruentæ pugnæ, & velitationes erant, nihilq; extra mœnia reliquū Epiſcopo aderat, cuncta vis hoſtilis abſtulerat, ager vaſtus arbore, ſatis, tectis, pagi incenſi, pecus abactum, fugati, aut cæſi coloni. In vrbe quoque trepidatio ingens, & pleraq; ſuſpecta, pror-

Vrbem obſedit.

Neoburgienſes vaſtauit.

Vrbem iterum maioribus copijs obſidione cinxit.

Eius auxiliares.

Stellaterum factio & eius capita.

Plicatiles naues Rheno infeſtādo excogitauit.

Frequentes velitationes.

proſus illi neque res, neque ſpes bona vlla, & mala abunde omnia erant, quibus extremo fatigatus inducias ab Rudolfo petijt, & obtinuit. Contentionis arbitrium Epiſcopus Heinrico Marchioni Hachbergenſi: Rudolfus ſuo, & Heinrici comitis cognati nomine Burggrauio Norimbergenſi cognato detulere. Si per negotia non vacarent, illis Heinricus Comes Furſtembergæ ex parte Rudolfi: pro Epiſcopo Heinricus ſenior à Geroldſeck ſuccederent, fidem ex æquo, & bono, aut iure ad proximas eidus Octobres pronunciarent. Pax interea, & liberi commeatus eſſent. Litteræ cõpromiſſi vtrimq; factæ, dataq; x. Kal. Octobris. Conuenerant tandem ſub idem tẽpus plerique Germaniæ primores Francofurti, comitiaq; de nouo rege agitabant, diuerſi ſententijs, & exitu ancipiti. Decimus poſt Richardi Angli interitum annus exierat, neq; alius ei ſucceſſerat. Alfonſus Hiſpanus ſupererat quidem, ſed in illo exiguæ ſpes, & nullum præſidium, longis terrarum ſpatijs, & proprijs bellis diſtinebatur. In Germaniâ principes multis opibus, & belli laude florentes erant, ceterum pleroſq; regni turbæ, & diſſidia auerterant, plures ſupremum in terris faſtigium optare, quam gerere ex dignitate poſſe in ſeſe fiduciam haberent, adeo omnia longum interregnum, & licentia corruperant. Poſtremo tres imperij capaces, incertum an accepturi vulgo ferebantur, Menradus Comes Gorrigij, & Terioli magnâ ſapientiæ famâ, & apud omnes auctoritate Heinricus Marchio Miſniæ, & Landthgrauius Thuringiæ, & Rudolfum Habsburgienſi. Sunt qui ab Friderico Comite Zollerano, cum de ea tantum diſputarentur Habsburgienſem duobus prioribus additum tertium retulere. Sed aduerſus Rudolfum maximè Vernerus Magũtiaci antiſtes partium ſtudia inclinauerat. Nam præter eius presbyteri, de quo ſupra diximus, crebros de Rudolfi factis, & virtutibus

Epiſcopus poſtremo inducias petit, & impetrat.

Factum compromiſſum certis conditionibus.

Comitia Imperatoria Francofurti, & de rege ſententia varia.

Tres principes Imperio digni indicati, in quibus Rudolfus.

Et in Rudolfum maxime principum ſtudia traducta Magũtiaci Archiepiſcopi fauore, & cura, & oratione.

tibus ſermones, ſingulari Comes beneficio deuinxerat, Romam enim paucis ante annis profecturo Vernero, cum tãquam Argentinenſem præfectum, & Elſatiæ Langrauium, ad Alpes ſeſe deduceret, rogauiſſet, non ſolum Rudolfus morem geſſit, ſed ex Italiâ redeuntem rurſus ſuſceperat, liberaliterq;, & magnifice habitum ad Magũtiacos fines Comitatus erat, ſaluum, & incolumem inter tot pericula, & graſſationes præſtiterat. Igitur vbi Treuirenſem, & Colonienſem archiepiſcopos, ne contra ſe ſentirent, adduxit, frequenſq; conuentus principum fuit, ita in concilio verba eum feciſſe ferunt. *Magna me ſpes tenet ex veſtrâ frequentiâ rei bene expediundæ. Numquam tot principes tanto Germaniæ componendæ deſiderio conuenere. Numquam quoq;, fateor, amplius vſus fuit. Nam quid referam, quæ per hos viginti tres annos acciderunt, poſtquam Fridericus exceſſit, & regnum potius ſine moderatore, quam certo capite fuit. Conradi, & Thuringi magnum experimentum vita breuis abſtulit, quæ ſi ſuppeditauiſſet, regnum nihilominus per partes adflixiſſent, nec, niſi alterutrius exitio, malorum finis eueniſſet. Gulielmum poſtea quidam ſubſtituere maiori virtute, quam fortunâ iuuenem. Vbi is quoque abſumtus eſt; Richardum alij Anglum, ceteri Alfonſum Hiſpanum maluere. Et ille Germaniam ſane ingreſſus, neſcio maiore an dedecore, quam aduenerat ſpe, ſuam ſe rurſus in inſulam abdidit. Hiſpanus ſuæ dignitatis, & veſtri beneficij immemor, aut incurioſus, verbis vos, & promiſſis magis, quare, & factis hactenus remoratus eſt. Poſtremo ſemper qui regni ſe rectorẽ ferret; nemo qui regeret fuit. Interea vbiq; cædes, rapinæ, vis, iniuriæ, & cetera licentiâ, & impunitate oriris ſueta mala. Ea, quia intolerabilia videntur, prohibere eſt animus. Omnis ſpes in nouo Imperatore eſt. Ceterum in manu veſtrâ euentus, ſi dignum tanto imperio, ſi tantis malis ſuperiorem magis, quam parem legeritis. Quod vos per Imperij maieſtatem, per Germaniæ nationis*

nis decus, & famam, etiam atque etiam rogo animaduertite. Ceteris mortales ſi fortes, & conſtantes, pij, & benefici, comes, aut liberales, ſatis laudantur. Hæc omnia niſi in Imperatore adſint, fruſtra ex ſingulis laudem petat. Fortem, conſtantem, nec periculorum pauidum, nec ſecundis inſolentem eſſe neceſſe eſt. Quoque maieſtate propius DEVM accedit, eo minorem gerere ſe, amare eum, & in oculis habere, præteriti gnarum, nec recordem futuri, præſentia ex æquo moderari, auidum gloriæ, pecuniæ liberalẽ. Quo facilius eſt de Imperatore diſſerere, quam Imperatorem agere. Sed ex illis cum præſentem rerum ſtatum, ad tempora priora mecum reputo, quidque Germaniam maximè florentem habuerit, quid rurſum præcipitarit; duo præcipuè ad eius felicitatem valuiſſe reperio, iuntam cum pietate Imperatorum fortitudinem, quarum altera alteris quandoque defuit, altera ſæpius ſuperfuit. Vbi conuenere; viget, valet reſpublica; ſi alterum ab altero abeſt, manca eſt, debilis eſt, aut nimis inſoleſcit, aut parum cordata eſt. Poſſem vobis memorare Othones, Heinricos, Cunrados, Lotharios qui, varijs quiſque artibus, Imperio præfuere. Omnium Fridericus II. exemplum erit. Nihil eo Imperatore fortius, nihil bellicoſius, aut animoſius, &, quandiu fides, pietasq; conſtitit, etiam felicius fuit. Vbi ambitio inuaſit, diuiniq;, & humani iuris contemtus, & pro religione ſacrorũ omnium ludibrium tranſuerſum egere, ibi vero omnia retro fluere, bellis vniuerſa agitati, ipſe in omnibus eſſe, moliri omnia, agere, verſare; nihil procedere. Poſtremo, electo, alio, Imperio quoque indignum, veſtris ſententijs, iudicauiſtis. Ita ab peſſimo ad optimum quemq; Imperium transfertur. Sed, hoc tempore, id vero maximè, vt eueniat, omnes eniti decet. Tranquillo mari, & ventis ſecundantibus, cuiuis ad claui magiſteriũ aditus eſt. Quod ſi adſurgit vnda, incumbit Boreas, ſtridunt rudentes, alius alio ſeſe quiſque abſtrudunt, gubernator aſſidet. Germania anni per factiones, & partes diſculſa eſt, quantis quiſque pollet viribus, eo vicinis intolerantior, grauior

ſuis,

ſuis,per lubidinem non ex æquo agitant. Et iam imperium aſpernari, cupiditatem,pro legibus ſequi, poſtremo inter raptus, & lanienas, & cædes, ætatem habere, in morem vertit. Scio hæc tanta & tam inueterata abolere rem difficilem. Sed ad hoc incumbimus. Et adhuc ſupereſt Germaniæ vigor, neq; ita effœta eſt virium, aut debilis imperiorum, quæ non his quoque, vt olim, temporibus, præſtantes militiâ, & fide prodat, ferarq;. Superant,vigentq;, quos eo magis idoneos duo, quominus ad hoc Imperij faſtigium adſpirant. Magna ſane, & comperta Meinradi Feriolenſis virtus; præſtabilem quoque Miſniæ Marchionem reor;niſi, hac tempeſtate, & his turbis, Rudolfus Habsburgienſis potior videretur. In eo hæc inſunt omnia genus clarum, & antiquum,opes haut contemnendæ, ætas annis matura, belli, paciſq; prudentia ingens, & gloria, domi modeſtia, foris magnificentia, ante omnia recti, veriq; conſtans, & perpetuus amor, & tenor. Magnus ad hoc in manu exercitus, & nobilitas prope totius Germaniæ ſuperioris obnoxia. Quod ſi ad colligandos animos nexu ſanguinis, & adfinitatibus nihil apud mortales eſt efficacius, ei quoque filiæ ſex formâ, & indole eximiæ, & cuiuſuis magnæ fortunæ pares, ampla conciliandis Imperij primoribus materia. Sunt etiam iuuenes filij tres, paternæ virtutis æmuli, & coniugijs expertes, firma ſtabilimenta regni. Denique ita animum induxi, plures eſſe per Germania opulentiâ, & cultu, faſtuq;, & iactantiâ ſuperiores, neminem ad iſthæc tempora Hasbburgienſi aptiorẽ. Hæc vbi locutus eſt, alius alia varie adſentiri. Sed orationis poſtremum præcipuos maxime adfecerat. Igitur Ludouicus Palatinus Rheni Zolleranum ſubito rogitare Habsburgienſis filiam ſibi an Imperatoris ſponderet. Neque ille conditionem auerſatus, amicitiæ fiduciâ, & adfinitatis, aut rei dignitate, dato in rem quoque præſentem pignore, ſpopondit. Quod vbi Saxoniæ duci Alberto, &, vt vult Albertus Argentinenſis, Othoni Marchioni Brandeburgienſi compertum

pertum, paria promiſſa, cum poſtulâſſent, accepere. Ita, eodem conuentu, filiæ Rudolfi tres Palatino, Saxoni, Brãdeburgio, auſpice & ſponſore Zollerano promiſſæ. Ipſe omnibus ſuffragijs, præterquam Othacari Bohemi, quaſcunque rationes, & conteſtationes Alfonſi legati in conſilio tuendi ſui regis adferrent, denunciarentq; REX ET IMPERATOR renunciatus eſt III. Kal. Octobris cæleſtis militiæ principi Michaeli ſacro, & ſollenni. Miſſus, cum principum decreto, idem Comes Zolleranus Rudolfum in caſtris, apud Baſileam, tranſactionis morâ inducias agitantem, (alij apud Pontẽ Arulæ accidiſſe volunt) ingenti omniũ lætitiâ, & applauſu ROMANORVM REGEM ſalutauit, IV. Nonas eiuſdem menſis Octobris. Rudolfus Baſileâ, ſine Pons Arulæ fuit, rectâ Francofurtum cum eo, quẽ habebat, milite, & comitatu, & inde magnâ iam principũ frequentiâ, fuiſſe equitum viginti millia notauit Albertus Argentinenſis, eius temporis maxime vicinus Aquiſgranũ ſubito vectus imperialem coronã accepit, feriâ tertiâ, poſt feſtum diem D. Lucæ Euangeliſtæ, A. D. N. ƆIƆ.CCLXXIII. Quod ideo notaui, quia variè ſuper die Electionis, coronationisq; omnes huc vſque prodidere. Ita autem rem eſſe teſtantur etiam vulgati, eo tempore, verſiculi, quos, etſi malè verſos, addere volui, quia Rudolfi clarum in ijs virtutum teſtimonium.

Filiæ Rudolfi tres tribus Imperij primoribus ſponſæ. Stepha Garivaus lib. xiij cap. xij. hi. Hiſpan.

Ipſe Romanorum Imperator electus, & ſalutatus.

Et Aquis grani coronatus eſt.

Super die electionis, & coronationis verſiculi.

Comes in Habsburg & in Kiburg, Lantgrauiusq;
Alſatiæ, merito tituli pollens vtriuſque.
Franckenfurt feſto Michaelis ſtemmate ſeptus
Magnatum, regni Romani culmen adeptus.
Hectora pugnando, Titum bona dando, Catonem
Moribus exſuperans, regit omnia ſub ratione.
Ecce coronatur, leo ſurgit, ad alta leuatur,
Regno ditatur, ceu diua Sibylla profatur.

Bis ſexcentos ſeptuaginta tres nota CHRISTI
Annos, quando REX *factus,* RVDOLFE *fuiſti.*
Te regem procerum fecit DEVS *ipſe procerum,*
Cordeq; ſincerum, nunc mitem, nuncq; ſeuerum,
Teq; coronat eâ procerum collectio luce,
Quando dies Martis eſt poſt ſollemnia LVCAE.
Papa ſedet DECIMVS GREGORIVS. *Hic quoq;* PRIMVS
RVDOLFVS REX *eſt, ſi geſta notare velimus.*

Sed de his, & alijs, quæque Rudolfi imperio geſta, abunde in Cęſaribus Auſtriacis. Ipſe DOMVS AVSTRIAE fundator, auctor, & conditor, quam Cæſareæ dignitatis inſignibus in tantum diuina Maieſtas auxit, & illuſtrauit, præ ceteris omnibus omnis æui familijs, & gentibus, vt DECIMVM TE IMPERATOREM AVGVSTVM RVDOLFE INVICTISSIMVM iuxta & FELICISSIMVM ediderit, editurum, qui in omnes generationes ſuccedant, RVDOLFOSQ;, adeo felicis nominis, & ominis, multiplicent, referant, perennent. Ita voueo, & auguro, in hoc finio, & conquieſco.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI GVILLIMANNI

HABSBVRGIACVM

SIVE

DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

Liber Septimus.

RVDOLFVS I. COMES HABSBVRGI Lauffenbergæ Dominus. Caput Primum.

HIc MIHI Liber, veluti additamentũ erit, & corollarium, poſtremis de Habsburgi Comitibus, qui ad auitum, præter Lauffenbergæ dominium, nihil tituli addiderunt, multâ tamen, & clarâ memoriâ viguerunt, longè licet, & extra comparationem Auſtriaci, eadem ab origine, anteceſſerint potentiâ, famâ, gloriâ. Atque hæc ego quidem, ne quis à me Habsburgienſium aliud rerum meritò, & iure repoſcat, ſciantq; magni illi rerum, & imperiorum Domini, & teſtatum habeant, quando hanc illis operam ſumſi, dediq;, pro viribus perfectam, integram dediſſe, dicaſſe.


RVDOLFO igitur primo Habsburgi Comiti, & Elſatiæ Landgrauio, vti priori libro diximus filij duo fuerũt, ADELBERTVS, & RVDOLFVS quem nonnulli Taciturnum, ex ſermonis raritate, nuncuparunt. Ab illo RVDOLFVS I. IMP. & deinceps AVSTRIAE DVCES, & ARCHIDVCES felici, & immortali

propagine. RVDOLFO TACITVRNO generati HABSBVRGI COMITVM nomen retinuerunt, neq; ad id adiunxerunt aliud, quam ex Hauffenbergâ opido Rheni denominationem. De eo breuis, & obſcura memoria, abſque ijs, quæ ſuperius recenſuimus. Defunctus eſt A.D.N. CIↃ.CC.XLVII. & Sanctione ſepultus. Quamuis alij Vettingę dicant tumulatum, & fortaſſe probabilius. Habuit vxorem GERTRVDAM Huitholdi nobiliſſimi Regensbergæ baronis filiam, ex quâ nati filij ſex, GOTFRIDVS, RVDOLFVS, Præpoſitus Baſilienſis, & poſtea Conſtantienſis Epiſcopus, EBERHARDVS, VERNHERVS, OTHO, HARTMANNVS, qui poſtremi tres, ſicuti & Rudolfus Epiſcopus, abſq; progenie abiere, & in ijs Venherus, & Hartmanus Vettingæ ſepulti. Neq; de ijs inuentum mihi aliud, aut notatum. De Eberhardo ſingulatim poſtea dicam, quatinus, qui ex eo, & Annâ Kiburgiâ vxore procreati, paternam ab Habsburgo denominationem deſeruerunt, & Kiburgi Comites, maternâ ex hereditate, ſeſe vocarunt.

Mors eius & ſepultura.

Vxor, liberi.





GOT-

GOTFRIDVS I. COMES HABSBVRGI Lauffenbergæ Dominus. Cap. II.


INDOLE, & virtute bellicâ multum potuiſſe GOTFRIDVM, ea, quæ aduerſus patruelē Rudolfum, aut pro eo geſſit, de quibus ſuperius, argumento eſſe poſſunt. Sed præcipue inſigni de Bernatibus victoriâ inclaruit. Præfectus enim,[a] & Vicarius Hartmani iunioris Kiburgi Comitis in Burgdorffenſi, Lentzburgienſiq; comitatu, ad quem, eâ tempeſtate, vt alibi notauimus, pertinebant Surbſe, Sempatum, Tugium opida, parsq; Suitiorū, qui Artenſem tractum colunt, quia Bernenſes[b] longè in agrum Burgdorffenſem proferre ditionem ſuam moliebātur, aliquoties quidem repreſſit: ſed cum in tutelam ſe Comitis Sabaudiæ ijdem tradidiſſent, & eius auſpicio, & opibus Arulæ, qui fluuius fines regebat, pōtem impoſuiſſent, hocq; modo in alteram ripam, quæ Hartmanni erat, euaſiſſent, multo maiori ſpe, & conatu rem augere, & gerere cœperunt, florēte maxime vrbis ſtatu Sabaudicâ protectione. Quæ cum Gotfrido intolerabilia viderentur, ad vrbem de improuiſo vectus, ſuburbana incendit, prædas egit, caſtra proximis campis fixit. At illi vim ab mœnibus repulſuri, ſubitariâ eruptione, ſeſe portis effuderūt, impetumq; in hoſtem, magno animo, ſed incauto, ediderunt. Gotfridus enim, ſuis in phalangem conglobatis, non ſuſtinuit modo, ſed palantes, & diſiectos cum equitatu ad portas inſecutus, pleroſq; interfecit, magnum numerum in præterfluentem adegit, vrbem graui clade adfecit. Neque præterea, quod ſciam, traditum quidquam de hoc bello: Gotfridi frequens in inſtrumentis ſui temporis mentio. Obijt. A. D. N. CIↃ.CC.LXXI. III. Kalend. Octobris. Conditus Vettingæ. Vxor fuit ELISABETHA OCHSENSTEINIA. *Obitus, ſepultura Vxor, liberi.*

[a] *Ex inſtrumentis ab eo datis.*

[b] *Claram de Bernatibus victoriam tulit. A. D. N. CIↃ. CC. XLII. Chr. Bernenſ. ms.*

Parentalis liber. Lauffenberga. Monumēta Vettingentia.

STEINIA. Ex quâ filij GOTFRIDVS, qui paullo poſt patrem excedens, eodem tumulo inſertus eſt, & RVDOLFVS. vterq; ſub tutelâ Rudolfi præpoſiti, & poſt Epiſcopi, patrui.



RVDOLFVS II. COMES HABSBVRGI. Lauffenbergæ Dominus. Cap. III.

HIc ſtirpem Lauffenbergenſem propagauit. Primis adoleſcentiæ annis ſub tutelâ Rudolfi patrui fuit, quem Præpoſitum Baſilienſem, Conſtantienſes, Gregorij X. Pontif. auctoritate Epiſcopum adſciuerunt, A. D. N. CIↃ. CC. LXXIV. cũ ſuperiori anno, vt diximus, Rudolfus patruelis ad Imperij faſtigium vocatus eſſet. Vnde verſus poëtæ quidem barbari, ſed bonæ mentis.

Rudolfus patruus Epiſcopus Conſtantienſis.

Sunt duo RVDOLFI *patrueles, & cognati*
Ad regimen diſpar mirabili ordine facti.
Romam RVDOLFVS REX, *te Conſtantia munit*

PRAE-

Digitized by Google

PRAESVL RVDOLFVS, amboſq; ſibi DEVS vnit.
REX Romæ, PRAESVLQ; tibi Conſtantia, tali
Nomine, nunc primum datur, euentu ſpeciali.
Iſta duo mira ſpatium facit vnius anni.
Vnde DEVM laudent omnes, ſed plus Alamanni.

Sed eandem tutelā cum ſibi poſtea Albertus Dux Auſtriæ, Rudolfi regis F. vindicare vellet; Epiſcopus contra niteretur, multas per contentiones vterq; in bellum venere. Epiſcopo aderant amici, & confœderati, vrbes Conſtantia, & Tigurum, opidum S. Galli, & eius abbas Gulielmus, Comites Rudolfus, Montisfortis, Hugo Scherenſis, Mangoldus Nellenburgienſis: Albertum contra ſequebantur Hugo Verdenbergenſis, Rhineci dominus, Rudolfus Saragaunenſis, & alij Comites, vrbesq; ſuper ſubditos Turgouiæ, Argouiæ, Elſatiæ. Quo de bello alius erit dicendi locus. Obijt Rudolfus, A. D. N. CIↃ. CC. XCIII. Emit in epiſcopatus nomen, & bonum ab Marquardo ab Khemnate equite Arborem Felicē, (Arbonam vocant) quidquid eius mœnibus clauditur: ſuburbia vero ab Vlrico à Bodmâ equeſtris quoque ordinis. Hoc pacto totam Arbonam ſuis ſucceſſoribus vindicauit, quorū primus fuit Heinricus à Clingenberg, Rudolfi regis quondam Cācellarius, & ab eo Friſingenſi Epiſcopatui præfectus. Verum enimuero vbi tutelæ annos Rudolfus Comes ſuperauit, ſuiq; iuris eſſe cœpit, bellis quæ Albertus I. Cæſ. propinquus geſſit ferme interfuit. Vbi eſſe deſijt, Heinricus VII. qui illi ſucceſſit, præfectum Imperialem Germaniæ ſuperioris conſtituit, Turgouiæ, Argouiæ, Rhenanarum, & Acronianarum vrbiū. Sic nominat inſtrumento, ſine diplomate, quo Vilam, Turgoniæ opidum, abbati S. Galli reſtituit, dato Tiguri, A. D. N. CIↃ. CCC. X. regni II. *Heinricus Dei gratiâ Romanorū Rex ſemper Auguſtus* &c. *Nouerint igitur tam præſentes, quam futuri,*

Ex tutela ortum bellum.

Rudolfi Epiſcopi obitus & in Epiſcopatum beneficia.

Arbor, Felix, Arbona.

Rudolfi Comitis geſta.

Præfectus prouincialis efficitur.

turi,

turi, quod venerabili Heinrico abbati S. Galli. &c. *præſentibus* &c. *nobilibus viris Valramo de Lucemburg germano noſtro, Guidone de Flandriâ, conſanguineo noſtro, Rudolfo de Habsburg, tunc aduocato prouinciali, Vernhero de Homberg, Hugone de Monteforti.* &c. Vbi eâ præfecturâ defunctus eſt, aut inuidiâ, & quorumdam criminationibus idem Heinricus, ſubſtituto Eberhardo barone à Burgle, priuauit, in Galliâ profectus Monte Peſſulano ſupremum diem obijt. A.D.N. CIↃ.CCC.XIV. Corpus filij Vettingam tranſportandum curarunt, vbi prope patrem conditũ. Habuit vxorem ELISABETHAM Rudolfi ſuę ſtirpis extremi Raperſuillæ Comitis ſororem Rudolfi F. Ludouici Comitis Hombergẽſis viduã, [c] quæ ei peperit IOANNEM, & RVDOLFVM. Genuerat eadem ex Hombergenſi Vernherum, cuius ſuperiori diplomate mentio, qui Cæſarem in Italiam ſecutus Inſubribus ab eo pręfectus eſt, Rudolfum, Ludouicũ, Ceciliã & Clarã. Vnde poſt Eliſabethæ mortẽ Raperſuillæ Comitatus diuiſus eſt, pars ad Vernherũ, hoc eſt Raperſuilla vetus, ſiniſtrâ lacus ripâ, & Marchio, ſiue Termini, cum valle Vegi: Raperſuillam nouam, & cetera, dextrâ laci, Habsburgienſes obtinuere. Sed mortuo poſtea Vernlino, Vernheri filio abſque liberis, totius Comitatus potiti ſunt Habsburgienſes. A.D.N. CIↃ.CCC.XXX.

Diem ſupremum obit.

Vettinga ſepelitur

Vxor, liberi.

c Interfectus Ludouicus prælio prope Bernã an. 1289.

Bernard. Corius parte II.

Comitatus Raperſuillani inter fratres vterinos diuiſio.

IO-





IOANNES I. COMES HABSBVRGI Lauffenbergæ & Raperſuillæ Dominus. Cap. IV.

POST patris mortem fratres hereditatem partiuere, IOANNES Lauffenburgum, & adiuncta: RVDOLFVS Comitatum Raperſuillenſem tenuit. *Rudolfi interitus.* Sed hoc breui pòſt, A. D. N. CIƆ. CCC. XV. XVI. Kal. Decembris prœlio Moragartenſi interfecto, & Vettingæ ſepulto, omnia Ioannes occupauit. *Ioannes Fridericũ Aug. ſecutus eſt.* Friderici hinc Cæſ. III. Auſtriaci conſanguinei partes, contra Ludouicum Bauarum, acriter tutatus eſt. *Fœdus cum Tigurinis facit.* Fœdere cum Tigurinis ſuo, vxoris, & liberûm nomine facto, A. D. N. CIƆ. CCC. XXXIV. eorum nihilominus exſules, qui, vrbis ſtatu mutato, Raperſuillam conceſſerant, & de plebis violentiâ, & iniurijs multa conqueſti erant, cauſsâ eorum probatâ, protegendas ſuſcepit, & in rebus repetendis, milite iuuit. *Eorundem exſules recepit.* Vnde acre Comitem inter, & Tigurinos ortum diſcidium. Durabat etiam con-

Tt trouerſia

Litem cum Comitibus Toggenburgi exercuit, & bellũ.

trouerſia propter arcem Grinau Marchiæ ſuperioris, infra Tucconium, e regione Vtznaci ſitam, cum Diethelmo Comite Toggenburgenſi, cuius occaſionem, quia inde Ioannis exitium, breuiter dicam. Fuerunt fratres duo Raperſuillæ Comites Rudolfus, & Vlricus: illi, vt ætate priori maior comitatus pars obuenerat, vtraq; Raperſuilla, totaque Marchia, Grinau, & Tucconio demtis: huic Vtznacum, & eadem, quæ recepta diximus, Grinau, & Tucconium. Vlrici filia vnica Toggenburgienſi nupſit, quæq; patris fuerant, ad Toggenburgienſes tranſtulit, breuiq;, nullâ conceptâ prole, vitam exuit. Inde eadem repetendis Habsburgienſibus, qui Raperſuillanis ſucceſſerant, nata cauſſa, ſæpiuſq; alteri alteros Grinau ab arce expulerant. Hoc tempore tenebat Ioannes, ex eaq; anno ſuperiori, Diethelmum eiecerat. Is deniq;, comperto vtrimq; odio, Tigurinos, vt ſibi opem contra Habsburgienſem ferrent, rogauit, facileq; obtinuit. Profecti cum nauibus Tigurini, Lindemago aduerſo, Grinau ad vſq; arcem, Toggenburgienſem cum ſuis, eodem loco, obuiam habuerunt, arcemq; coniunctis copijs circumſedere. Sed Ioannes palantes, & ſparſos adhuc oppreſſurus tumultuariam manum, vtraq; lacus ripâ, fecit, properatoq; in hoſtem impetum dedit, ceciditq;, fudit, & in naues fugauit, capto belli auctore Diethelmo. Debellatumq; videbatur, niſi qui in naues profugerant, irâ, pudoreq;, & Comitis captiuitate, collectis animis, eo vnde deiecti fuerãt, nauigia rurſus impuliſſent, adſumtiſq; plurimis, qui ſe è proximo in Toggenburgienſis gratiam oſtenderãt Suitijs, inſtructiori acie, & firmiori in Habsburgienſem victorem, & eo incurioſum, ſe, & proelium conuertiſſent, qui, rebus ſecundis, pugnaq; paullo ante feliciter pugnatâ, animo elatior, congreſſum haut aſpernatus, paucis comitantibus, primum ſe in obuios intulit fortiterq; pugnans, ingenti

Toggenburgienſis auxilio Tigurinos accerſit.

Vtroq; fratres fundit, & fugat, Toggenburgienſem capit.


Mox & ipſe ab victis interficitur Schodelerus tom. I. Chrr. Tig. ms.: hæc omnia pluribus.

ingenti hoſtiũ ſtrage, poſtremo occubuit, XI. Kal. Octob. A. D. N. CIↃ. CCC. XXXVII. Eius cædes morte Toggenburgienſis expiata. Quamuis enim captiuum, & publicam fidem implorantem, qui euaſerunt proelio, domini in vltionem, membratim conciderunt. Patrem Ioannem filij IOANNES RVDOLFVS, & GOTFRIDVS, quos ex AGNETE Ioannis Elſatiæ inferioris Lantgrauij filiâ ſuſtulerat, ſepelierunt Vettingæ, VI. Kal. eiuſdem menſis.

Toggenburgienſis, quoque caſus.

Ioannis filij vxor ſepultura.





IOANNES II. COMES HABSBVRGI Lauffenbergæ, & Raperſuillæ Dominus. Cap. VI.

ISTE Raperſuillæ; fratres Hauffenbergæ egerunt. Et de illis pauca præterea, niſi quod Rudolfum Hermannus ex baronibus à Bonſette S. Galli abbas, monaſterialibus, ſuiſq; ſubditis præfecit cum imperio, idq; ex commodo, & honore, conſenſuq;, vt literis ſuper hoc factis te-

Rudolfus præfectus Monaſterij S. Galli, & aduocatus.

ſtatur, conuentus ſui, A. D. N. CIↃ. CCC. XLIII. in præſentiâ Vlrici præpoſiti, & aliorum conuentualium, decani S. Leonardi, parochi S. Magni. Theodorici de Altſtette, & filiorum Hermanni & Theodorici: Egolphi, & Vetzelij de Grueninſtein, & filiorum: Heinrici, Eberhardi, & Rudolfi Gieli; Vlrici de Arbonâ: Alberti de Buſnang, Arnoldi de Bure, multorumq; aliorum baronum, nobilium, equitũ, Monaſterij beneficariorum. Fuit etiam principũ Auſtriacorum per Argouiam, & Turgouiam præfectus, A. D. N. CIↃ. CCC. LXXXIV. vt ex inſtrumento patet, ab eo dato Badæ, eodem anno, die lunæ ante Matthiæ. Illi quoque ſuâ in Comitatu Cletgouiæ partem vendidit Gotfridus frater, ex inſtrumento facto A. D. N. CIↃ. CCC. LXV. Obijt Gotfridus A. D. N. CIↃ. CCC. LXXV. VI. Eidus Iulij feriâ tertiâ. Rudolfus vero A. D. N. CIↃ. CCC. LXXXVIII. Vterq; Vettingæ ſepultus. At Ioannem ex propinquitate, & inde paterni exitij memoriâ, vlciſcendi perpetua cupido tenuit. Igitur cum exſulibus Tigurinis coniurationem fecit occupandæ vrbis, multis conditionibus, quarum ſumma erat, exſules ipſe in patriam, patrimoniaq; reſtitueret; illi æs eius alienum diſſoluerent. Nocte, horaq; condictâ, coniurati in vrbem conuenere. Sed Bruneci prætoris vigilantiâ, fortitudineq;, & ciuium conſtantiâ, & fide plures eorum capti, nonnulli interfecti, reliqui profligati per mœnia, & eâdem, quâ venerant, viâ euaſere, aut repertis ad ripam lacus nauibus. Captus etiam Ioannes. Fratris captiuitate intellectâ, Rudolfus, & Gotfridus Tigurinorum merces, & mercatores per Valdneros nobiles Alſatas vndique intercepere, adflixeruntq;, donec Agnes regina Auſtriaca quæ apud Campum regis agitabat, inducias in certum tempus interponeret, quibus elapſis, bellum reſumtum, & vtraq; Raperſuilla funditus ab Tigurinis ſubuerſæ. Tractus hinc in partes, pro-

Item principũ Auſtria in Argouia, & Turgouia.

Gotfridi mors. Item Rudolfi, & vtriuſque ſepultura.

Ioannes Tigurum per proditionem capere conatus capitur. A. D. N. CIↃ CCC L. Vnde bellum vtrimque.

Vtriuſque Raperſuillæ exſcidium. A. D. N. CIↃ. CCC. LI.

propinquorum amore, & miſeritudine, ſimul quia vetus Raperſuilla, & Marchia, ſua beneficia erant, Albertus Auſtriacus, cognomine Sapiens, plures quoque vrbes, & nobiles, duorum nobilium opidorum exſcidio, & rei indignitate, ad opem ferendam moti. Tigurum omnibus opibus obſeſſum. Pacem multis conditionibus fecit inter diſſidentes Ludouicus Marchio Brandeburgienſis: quibus poſtremo Ioannes liberatus, Kalend. Septembris. A. D. N. CIↃ. CCC. LII. Secuta poſtea, varijs de cauſſis, alia Auſtriacorum, & Tigurinorum, aliarumq; ciuitatum bella, de quibus in principibus Auſtriacis. Obijt Ioannes. A. D. N. CIↃ. CCC. LXXXVII. Kal. Ianuarij. cum Raperſuillam, & quidquid eius Comitatus eſt, ſupra memorato Alberto Auſtriaco vendidiſſet, qui reædificauit. Sepultus eſt Vettingæ. Schudius, alijq; nonnulli notârũt obitũ, anno CIↃ. CCC. LXXXXVII. Decembris. Sed cum certum ſit inter eos fuiſſe, qui vnà cum filio cognomine bello Sempacenſi inimicitias indixerunt, confederatis, dubium non eſt quin poſt id bellum interierit, & non ante. Reliquit ex ELISABETHA NIDOVIENSI ſucceſſorem IOANNEM, & ADELHEIDIM filiam, quæ Heinrico Comiti Montisfortis nupſit.

Albertus Auſtriacus eius curã ſuſcipit, & bello Tigurinos perſequitur.

Cuſtodia liberatur

Vitam deſerit.

Vtramque Raperſuillam vendidit. Sepultura, vxor, liberi.


 

IOANNES III. COMES HABSBVRGI Lauffenbergæ Dominus. Cap. VI.

HVivs multa antiquis ſcriptis, & monumentis mentio. Interfuit enim proelio Sempacenſi, A. D. N. cIↄ. ccc. lxxxvi. Dein Principũ Auſtrię præfectum palatij egit, A. D. N. cIↄ. ccc. xc. Argouiam etiã, & Turgouiam, & vicinas vrbes rexit eorumdem principũ commiſſu A. D. N. cIↄ ccc. xcviii. & cIↄ. cd. v. Numeratur pariter inter eos Comites, qui Concilio Conſtantienſi interfuerunt, A. D. N. cIↄ. cd. xv. & ſequentibus. Duxit vxorem exſortem AGNETEN nobilem ab Hohenlãdenberg, quæ vnicam filiam VRSVLAM tulit, quæ Aluico Comiti Sulcenſi nupta ad Sulcenſes Comitatũ Lacobrigum, ſiue Clergauiam, & Palmenſe dominium è conſpectu Rhenaugiæ tranſtulit. Sepulta eſt ipſa in Monaſterio Rhenaugienſi: pater, vt anteceſſores, Vettingæ, quo anno, neſcio. Principes Auſtriæ, exſtinctâ in Ioanne illius

lineæ

lineæ ſubole maſculâ, Lauffenbergam, & cetera coniuncta Sanctionenſis Monaſterij beneficia recepere, poſſidentq;, & regunt, ordinario in arce opidi præfecto.



EBERHARDVS I. COMES HABSBVRGI Lauffenbergæ Dominus. Cap. VII.

RESTAT vt de hoc agamus, & eius progenie. Faciā, ſed preſſim, vt priora, & pauculis, multa cum dicere poſſim. Pleriq; hucuſque ſcriptores, eâ fuerūt opinione, EBERHARDVM hūc fuiſſe, qui Rudolfi Taciturni Habsburgienſis Comitis, & Lauffenbergæ domini filius, paternos, & auitos titulos poſthabuerit, ceterum coniuge ab ANNA Hartmanni iunioris Kiburgi Comitis, & Eliſabethæ Verdenbergenſis filiâ vnicâ, & herede, KIBVRGI ſe COMITEM nuncupârit, à quo KIBVRGIENSES, qui poſtea Burgdorffi, & Duni imperitârunt, qui etiam Burgundiæ ſe Comites prouinciales inſcrip-

De Eberhardo varia ſcriptorum opinio, uti & de poſtremis Kiburgi Comitibus.

ſcripſerunt. Alij, & multo maxima pars contra ſentiunt, & Kiburgienſes illos Burgdorffi, ex aliâ, quam Hasburgiẽſi, ſtirpe arbitrantur. Indignum enim adfirmant, & ignobile Habsburgienſibus capere ab aliâ, quam ſuâ gente, & familiâ, denominationem, præſertim quæ nulli antiquitate, & præſtantiâ poſt eſſet, & quam poſtremo ſub idem tempus Rudolfus primus Imperator ante omnes illuſtrâſſet, & extuliſſet. Igitur Kiburgienſes illos, qui Burgdorffi egerunt, aut ab vetuſtis illis Kiburgienſibus, qui in Turgouiâ principatum fermè tenuerunt; aut aliunde: denique ab quouis alio genere, quam Habsburgienſibus eſſe. Hæc illa de poſtremis Kiburgi Comitibus inter ſcriptores velitatio, & pugna, leuis profectò, & incruenta, & quam tecto latere, euaſerim. Et primo quidem illud certum eſt Kiburgienſes antiquos, quos diximus, in Turgouiâ regnaſſe, ante Zeringenſium omnium interitum Burgdorffi nihil habuiſſe; poſtea Comitatum Burgdorffenſem, & denique, vltimis eius Comitibus pariter exſtinctis, Dunenſem, & Friburgum in Auẽticis obtinuiſſe, Annæ Berchtoldi V. & vltimi ducis Zeringiæ Sororis, Vernheri Kiburgi Comitis vxoris hereditate.

Kiburgienſes poſt Zeringenſium omnium obitum primo Burgdorffi potiti.

A. D. N. CIↃ.CC.XVIII. Peperit Anna Zeringenſis Hartmãnum, iuniorem nominatum, ad diſcrimen Hartmanni patrui, Vlrici, & Eliſabethæ Burgundæ filij. Seniori vxor fuit Margarita Thomæ Sabaudiæ Comitis filia, quæ non procreauit: iunior vxores duas habuit. Prima fuit Anna Heinrici Raſperuillæ Comitis cognomento Vandelbare Vettingæ monaſt. conditoris, & poſtea ibidem monachi filia, quæ, ſine Subole, Vettingæ, æde Capituli, apud maiores ſepulta: altera Eliſabetha Hugonis Comitis Verdenbergenſis filia Annam genuit, (malè omnes hactenus Eliſabethã vocârunt, & Hartmanno ſeniore natam adſeruerunt.) quã pater Eberhardo huic Habsburgi Comiti, & Lauffenbergæ domino

Anna Zeringenſis ſuboles, & ſucceſſio.

Hartmanni ſenioris coniugium. Itemque iunioris.

Clara hæc omnia ex inſtrumentis archiui Friburgẽſis.

domino deſpondit, deditq;, & breui poſtea defecit A. D. N. CIↃ. CC. LXIII. ineunte, quâ ratione, ad Hartmannum Seniorem rerum Kiburgienſium ſumma redijt, cui haut quoque longum ab eo vita ſuperauit. Obijt enim anno ſequenti, VIII. Kal. Decembris, relićto omnium herede, Rudolfo Habsburgi Comite, qui imperauit, ex Heilunige ſorore nepote, receptis ſolum Annæ, quæ ab Anna Zeringẽſi auia ad Kiburgienſes peruenerant. Sunt qui Margaritæ Sabaudæ vxori vſum frućtum Comitatus Bâdenſis reliquiſſe tradant, ſed ab Rudolfo eam Comitatu exaćtam, & inde bellum inter Comites Sabaudos, & Habsburgienſem incidiſſe. Quibus de rebus, nihil me certi repetiſſe antiqua manu ſcripta perquirentem, euoluentemq;, dico. Bella, quæ cum Sabaudis Comitibus Rudolfus Imperiũ adeptus geſſit, non pro Comitatu Badenſi geſta, ſed ob Imperij fines ab ijs per interregnum primis petitos, & inſeſſos. Igitur Anna Kiburgienſis tenuit, eo pacto, cum Eberhardo marito, Comitatus Burgdorffenſem, & Dunenſem Friburgum, & alia in Auuenticis, luculentâ, & diuiti dote. Neque tamen propterea, & hac vxoris opulentiâ, mutauit ipſe primigenium, & familiare nomen, & vxoris natale adſumſit. Habsburgienſem ſe Comitẽ dixit, & ſuæ gentis inſignia tulit, dum fuit. Neq; aliter Heinricus Cæſ. VII. nominauit, priuilegio Suitenſibus dato, quos, acceptâ pecuniâ, Eberhardus manumiſerat A. D. N. CIↃ. CC. LXIII. *Heinricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus* &c. *Ad vniuerſorum notitiam volumus peruenire quod nos hominibus habitantibus in Suitz, qui ſe de nobili viro Eberhardo quondam Comite de Habsburg redemerunt, & per pecuniam abſolutionem, & literas teſtimoniales ſuper eo obtinuerunt*, &c. *Turego* III. *Nonas Kal. Anno Domini M. ccc. x.* Non negauerim alios tamen pleroſq; etiã Eberhardũ de Kiburg vocauiſſe, vt Albertus Arg.

Hartmanni iunioris mors.

Itemque ſenioris. Et vtriuſque ſucceſſio.

De Margarita Sabauda, & bellu Sabaudicum.

Anna Kiburgienſis dos, & hereditas.

Eberhardus Habsburgienſem titulũ non deſeruit.

Quem tamen plerique Comitem Kiburgi vulgo nominarunt.


quoque notat, nominatq; Anna ſane omnibus, quæ dedit, priuilegijs, aut fecit inſtrumentis, ſuum & nomen, & ſigillum nomini, & ſigillo mariti præpoſuit, tamquam heres vnica, & domina legitima rerũ Kiburgienſium. Vnius hic ad ponam exemplare, quo Friburgenſium antiqua priuilegia, & iura confirmauit. Illud ita incipit. *In nomine Domini.* &c. *Ne labantur cum tempore, quæ geruntur in tempore conſuetum extitit prudentibus ab antiquo eorum geſta literarum teſtimonio perhennare. Nos igitur Anna quondam filia Comitis incliti Hartimanni de Kiburgo Iunioris, & nos Eberhardus Comes de Habsburgo maritus eiuſdem dominæ Annæ notũ facimus vniuerſis tam præſentibus, quam futuris, quod nos ob honorem, & ſinceram dilectionem quam habemus, & nos habere dignum eſt erga Friburgum in Oechtelandiâ* &c. *Acta ſunt hæc in dicto Friburgo* &c. *Intrante Martio Anno Domini M. cc. lxxv. regnante glorioſiſſimo domino Rudolfo Dei gratia Romanorum Rege.* Burgdorffi vero ferme egiſſe oſtendunt pleraq; ibidem facta, dataq; inſtrumenta. Vbi quoque Eberhardus defunctus, & Franciſcanorum Monaſterio à ſe condito ſepultus eſt. A. D. N. cIↃ. cc. lxxxiv. Relictis HARTMANNO, EBERHARDO, ELISABETHA quæ ſanctimonialis, & Friburgi apud Franciſcanos ſepulta, & CATHARINA, quæ Alberto Comiti à Verdenberg nupſit, omnibusque, ſupra matrem, tutore, & curatore Rudolfo Conſtantienſi Epiſcopo fratre.

Mihi aliquammulta viſa data alia anno 1266. alia 1275. & 1276. & ſeq.

Eberhardi mors & ſepultura.

Liberi.

EBE-



EBERHARDVS II. COMES KIBVRGI I. & Burgundiæ Lantgrauius. Cap. VIII.

ITA profectò fuit. Cũ enim ex patre Eberhardo, præter communem lucis vſuram aliud nihil haberent, fratres matris tum quidem in honorem, mox & memoriam, cuius ſolius hereditatem poſſidebant, KIBVRGI COMITES, & BVRGVNDIÆ LANTGRAVIOS ſeſe dixerunt. Neque mirum id adeo videatur, cum priſcis vſitatum; neq; noſtris temporibus deſeruerit, patrio vt liberi nomine miſſo, ab genitrice vocabulum capiant, & ad poſteros mittant. Vtrumque vero hos Hartmannum, & Eberhardum Eberhardi Hasburgienſis fuiſſe filios, præter parentales apud S. Vrbanum libros, & Sepulcrales Burgdorffi memorias, manifeſtum etiam videtur ex tutelâ Rudolfi Epiſcopi patrui. Dum is ſane eam tutelam exercet Monaſteriũ S. Vrbani, per omnes nepotũ ditiones portorijs, & vectigalibus exemit, A. D. N. CIↃ. CC. LXXXVIII.

Fuiſſe Eberhardi Habsburgienſis filium.

priuilegio ſuper ijs dato Rhenaugiæ. Ceterum hac in narratione Eberhardum quamuis iuniorem, Hartmanno præpoſui, quatenus ab illo ſeries poſteritatis. Et hic Duni; Eberhardus Bugdorffi agitabat, animo inquieto, mobili, belli, & nouarum rerum auido, potentiæ, & turbarum inſatiabili. Hartmannus mitior, & melior. Leopoldus I. Auſtriacus ſuo, & fratrum nomine etiam hunc Friburgo, quod Rudolfus Cæſ. ab Eberhardo patre A. D. N. CIↃ. CC. LXXVII. permiſſu, & voluntate Annæ vxoris, ſibi, & poſteris vindicârat, præfecit. A. D. N. CIↃ. CCC. XIX. Nonis Febr. Argẽtinæ. Sed ex hac morum, & ingeniorum diuerſitudine primo contentiones, & rixæ, mox natum inter fratres odium mortale. Miſſis poſtremo Dunũ Sicarijs, in arce Eberhardus fratrem per fraudem trucidandum curauit A. D. N. CIↃ. CCC. XXXII. pridie Kal. Nouembris. Varijs poſt iactatus bellis, & tempeſtatibus, dummodo Bernenſes vicinos perſequitur; rurſus illi cæde, vaſtitate, incendijs iniurias propulſant, aut coniunctis iterum copijs proximos Comites vexant, & primam quamq; bellandi occaſionem capiũt, vitam in turbido, ancipiti, multis ærumnis, & laboribus ad vltimam ſenectam perduxit, Obijt A. D. N. CIↃ. CCC. LXI. Burgdorffi ſepultus. Habuit vxorem BERCHTAM Berchtoldi Comitis à Buocheck, (inſtrumenta à Boica vocant) Heinrici F. Lantgrauij Burgundiæ, filiam, vt volunt, vnicam, quo proinde, A. D. CIↃ. CCC. LIII. defuncto, Comitatum Boicæ, & Lantgrauiatum Burgundiæ ad Eberhardum, & eius ſucceſſores pertulit. Buocheck arcem deſtruxerunt Bernates, bello quod cum Eberhardi filijs geſſerunt. Reliquit enim ex eadem Berchtâ, RVDOLFVM qui patri ſucceſſit, HARTMANNVM, & BERCHTOLDVM equites ordinis Theutonici, EBERHARDVM Canonicum Baſilienſem, & IOANNEM præpoſitum Cathedralis Eccleſiæ Argentinenſis.

Fratrum diuiſa ſedes.

Rudolfus præfectus Friburgenſibus.


Ab fratre interficitur.

Varia Eberhardi fortuna.

Obitus.

Vxor, liberi.





RVDOLFVS COMES KIBVRGI, & Lamgrauius Burgundiæ. Cap. IX.

HIc Burgdorffi; Hartmannus Duni ſedem habuit. Berchtoldus apud fratrem Argentinæ ferme vitam duxit. Habuit Rudolfus vxorē ANNAM Rudolfi Nidouij Comitis ſororem. Quo interfecto Pireneſcæ (vulgo Beure) opido, ſupra Salodorum, bello Anglico, A. D. N. cIↃ.ccc.lxxv. abſque progenie, Comitatum Nidouienſem, cum Comite à Falkenſtein, qui alteram Nidouienſis ſororem habebat, occupauit, mox, quia graui ære alieno tenebatur Leopoldo II. Auſtriaco vendidit. Ipſe non minus, atque pater, quietis, & pacis intolerans, cum Salodorum, inſidijs nocturnis, & proditione intercipere tentâſſet, indeq; bellum grauiſſimum, & Burgdorffum obſeſſum ab Salodorenſibus, Bernenſibus, & eorum confœderatis eſſet, dum auxilia, & numos, profligando bello, vndiq;

Salodorū proditione occupare tentauit.

Digitized by Google

Vitam exuit. diq; cogit, Baſileæ in morbum incidit, perijtq; A. D. N. c I ɔ. ccc. lxxx I I I. relictis liberis, ſub tutelâ matris, & Berchtoldi fratris, *Liberi, uxor.* EGGONE, HEINRICO, BERCHTOLDO, & VERENA, quam duxit Fridericus Comes Zolleranus, cognométo Muli. Poſt Rudolfi mortem, cum hoſtes grauius inſtarent, periculumq; eſſet, ne Kiburgienſes omnibus exuerentur, pacem Berchtoldus ſuo, & nepotum nomine cum Salodorenſibus, & Bernenſibus fecit, Burgdorffum, Dunumq; Bernenſibus tradidit, *Burgdorffum, & Dunum in Bernenſium ditionem redacta.* florenorum 57707. A. D. N. c I ɔ. ccc. lxxx I V. V I I. Eidus Aprilis. Bernæ pro ſe, & ſuis ius Ciuitatis obtinuit. Neque de eo, aut ceteris fratribus præterea quidquam habeo dicere. Vixerunt adhuc plerique. A. D. N. c I ɔ. c D. v.





EGGO


EGGO COMES KIBVRGI, & Burgundiæ Lantgrauius. Cap. X.

VLTIMVS fuit huius ſtemmatis, De eo nihil ferme reperio aliud, vti neq; de fratribus niſi Bernenſibus, cum matre, Signouienſe dominium,& Vſpunenſe, alia multa quoque Friburgenſibus,quæ ſuperetāt, vendidiſſe. A. D. N. CIↃ. CD. & ſequentibus. Bechburg etiā nouam arcem, ANNÆ coniugis dotem, pignori Conrado à Lauffe credidiſſe, A. D. N. CIↃ. CD. XIV. In Concilio Conſtantienſi anno ſequenti, cū fratre Heinrico interfuiſſe, adeoque eodem pene tempore videntur defeciſſe poſteri duorum fratrum Gotfridi, & Eberhardi RODVLFI HABSBVRGI COMITIS TACITVRNI filiorum, neque quemquam ex eorum propagine ad annū eiuſdem ſeculi viceſimum perueniſſe.

Ex Chro. Bern. & Frib. mss.

Vlricus à Richental, de Conſt. alij.





ATQVE

Digitized by Google

ATQVE HÆC QVIDEM DE HABSBVRGI COMITIBVS LAVFFENBERGÆ DOMINIS, ET KIBVRGIENSIBVS INDE ORIVNDIS. ADEOQVE DE ANTIQVA, ET VERA ORIGINE DOMVS AVSTRIÆ.

FINIS.

Imprimatur

Frater Auguſtinus Galaminius Inquiſitor Mediolani.

Aloyſius Boſſius Canonicus Ordinarius Theologus pro Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Saccus pro Excellentiſſimo Senatu.

Digitized by Google

Errata per Editoris abſentiam ita corrigantur.

PAgina 9. linea 20. delendæ voces, vt ſunt. pag 10. l. 7. pro vicinijs, legendum vicinis. pag. 10. l. 31. pro Gormani Germanis. pag. 12. l. 12. pro Gebuillenis Gebuuillerus. p. 18. l. 23. pro Latziqꝫ, l. Latzij. p. 22. l. 1. ꝑ cita, cito. eadem l. 31. ꝑ Latzi, Latzius. p. 24. l. 3. pro Guntremo Guntramo. p. 33. l. 20. pro amplis, amplus. p. 38. l. 12. pro Fornandi Iornandi. ead. l. 24. pro poſitos potitos. ead. l. 31. pro ſin. ſim. p. 39. l. 17. pro intetfectos interfecto. ead. l. 31. pro Vliei Vlriei. p. 41. l. 16. pro adiumta adiuncta. pag. 43. l. 4. pro ſeptimum Sept. p. 46. l. 8. pro in im. ead. l. 23. pro Arnoldum Arnoldum. p. 47. l. 2. pro vulgaræ vulgata. ead. l. pro manurire mannire. ead. l. 6. pro legio regio. p. 49. l. 15. pro retinet retinent. ead. l. 30. pro Euirbrandus Luitb. p. 50. l. 8. pro Vrberg. Vrsberg. ead. l. 23. pro Ellum ad adſid. ad Ellum adſid. ead. l. 26. pro Furaſſi Iuraſſi. p. 51. l. 1. pro Suitiano Suitiam. p. 53. l. 6. pro ſol. ſolum. ead. l. 20. pro Ella Ello. ead. l. 22. poſt, valuit adſcribe celebratum. ead. l. 26. pro Colmatia Colmaria. ead. l. 29. pro vocaur, vocat. p. 54. l. 15. pro Olimone Olinone. p. 55. l. 10. pro Hielham Lielham. ead. l. 16. pro dilectis dilecti. ead. l. 17. pro MARIRE MARIÆ. p. 57 l. 25. pro topagrap. topogt. p 60. l. 8. pro ſibi. tibi. pag. 64. l. 23. pro ſin ſim. p. 65. l. 14. pro Thodibaldo Theodibaldo. p. 66. l. 3. pro Aimo. Anno. p. 67. l. 23. pro contentu couremtu. ead. l. 29. pro eadem cædem. p. 70. l. 13. pro mentionem mentione. p. 71. l. 26. pro Numagentis Numagenſis. p. 72. l. 20. pro Ege Egæ. p. 73. l. 21. pro Hareinium Harciniam. eadem l. 29. pro Babenuilles Babenniller. p. 74. in marg. pro numero LXXVI. DC. LXXVI. p. 78. l. 20. pro Rariſios Pariſios. eadem l. 32. pro lonos honos. p. 86. l. 21. pro Gerardo Eckgerardo. ead. l. 25. pro Seriburgienſi Kiburg. p. 87. l. 5. dele obitus, & ſepultura ex margine inſeite in contextum traducta, & per emendatorem mendoſe relicta. p 88. l. 30. pro retroceſſi retroceſſit. p. 94. l. 17. pro Comitis limitis. p. 95. l. 32. pro quod quem. p. 96. l. 2. pro internicio internicione. p. 113. l. 30. pro fidem fidam. p. 116. l. 29. pro tumultuabuntur. tumultuabantur. p. 129. l. 4. pro Radeberto Radebotto. p 130. l. 3. pro Furaſſi Iuraſſi eadem l. 23. pro mihi inibi. ead. l. 32. pro adnitenſibus adnitentibus. p. 136. l. 10. pro liberos libros. ead. l. 27. pro Eberſheim. Ebersh. p 137. l 6. pro amigitur ambitur. ead. l. 29. ꝑ Hermannis Hermannus. p. 138. l. 1. pro nobilitata nobilitatem p 139. l. 13. pro locum lacum. p. 141. l. 5. pro ciuitatibus cruciatibus.

p. 144 l. 18. pro prauida prouida ead. l. 26. pro progeniæ progenie ead. l. 31. pro pſona perſona. p. 155. l. 16. pro Impetratriei imperatrici. p. 191. l. 4. pro Geringenſiũ Zering. p. 192. l. 17. pro tutus. tactus. p. 218. l. 14. pro longes longe. pag. 219. in marg. pro CIƆ LXXVII. CIƆ. LXVIS. p. 222. l. 14. poſt ſtirpis addendum, obijt. p. 223. l. 12. pro ductu ducatu. p. 231. l 24. pro tameo tamen. p. 233. l. 9. pro Adelberti II. legend. III. & ſeq. pro III. IV. p. 234. l. 24. pro ipſe ipſæ. p. 236. l. 10. pro ſocundũ ſecund. p. 229. l. 20. delend. F. L. ead. l. 29. ꝑ Sehoeminuuert Sehoeninuert. p. 241. l. 28. pro mouentes monentes. p. 242. l. 16. pro dues duces. ead. l. 21. pro Anglios Angliæ. ead. l. 32. pro ſecunda ſecundo. p. 243. l. 7. pro Princeps Principes ead. l. 11. pro V. VI. ita quoqꝫ in margine emenda. p. 250. l. 11. pro nobilitatim nobilitatis. p. 252. l. 12. pro Burgundiæ Burgundæ. p. 253. l. 7. pro impleritab. imperit. p 256. l. 21. ꝑ Guoba Huoba. p. 263. l. 11. pro Thenum Rhenum. ead. lin. 26. pro impetrandi imperandi. p. 266. l. 7. pro vltiorem vltionem. p. 267. l. 25. pro non. nonum. ead. l. 32. pro inuenis iuuenis. p. 268. l. 22. ꝑ Nox Mox. ead. l. 32. pro coactis coacti. p. 269. l. 19. pro appalit appulit. ead. l. 20. pro Salalus Salah. pag. 270. l. 24 pro Ahatio Alſatio. pag. 272. l. 6. pro Fnerij Emerij. p. 275. l. 24. pro ea, & p. 278. l. 19. pro Haſſi Haſſiæ. p. 280. l. 1. pro ius vis. p. 281. l. 8. pro caſtro caſtra, ead. l. 10. pro poſſeiſionem poſſeſſionum. p. 282. l. 22. pro Gruuinberg Gruninberg. p. 283. l. 9. pro aboleuerat adoleuerat. p. 284. l. 17. pro Baſilicam Baſileam ead. l. 20. pro faeimus facinus. p. 285. l. 27. pro connentum conuent. ead. l. 19. pro inuenta iuuenta. ead. l. 31. pro expeditiones expeditionis. p. 285. l. 3. pro anriſtites antiſtes. ead. l. 11. pro horem honorem. p. 288. l. 12. pro Rudolfum Rudolfus. ead l. 22. delendum facta. ead. l. 32. pro diſtinctus diſtrictus. p. 289. l. 13. pro inoenitur inuenitur p. 290 l. 29. pro modico immodico. l. 27. pro ſexagimo ſexageſimo. ead. l. 29. pro fine, ſiue. ead. l. 31. pro extranas externas. p. 291. l. 5. pro Parmoniæ Pannoniæ. ead. l. 19. pro Othatorus Othaearus. p. 292. l. 10. pro Pannorum Pannonum. ead. l. 15. pro poſuiſſe potuiſſe, ead. l. 21. pro autcrantæ. ead. l. 24. ꝑ cõtrareire coutraire. ead. l. 27. ꝑ in ni. ead. l. 28. pro tam tum. p. 293. l. 4. pro. valetuda valetudo. ead. l. 7. pro deiuncta deuincta ead. l. 11. pro Auita Aceita. ead. l. 25. pro. Humenb. Hunenb. ead. l. 28. pro Horis Aeris. p. 294. pro Hoc Adhoc. ead. l. ead. pro ad apud. ead. l. 13. pro eius vis. ead. l. 18. pro hauſeris hau-

Digitized by Google

ris. p 295. l.27. ꝓ Vuillerthat Vuillerthall. ead.l.28. pro introgreis introgreſſi. ead.l.29. pro Elıatıa Elſatia. ead. l. ead. pro illiſas illisq; . p.296. l.3. ꝓ Colmania Colmaria. ead. l.8. pro prioratus prinatus. ead.l.11. pro Ipſo Ipſe. ead. l.15. pro Raſſelmamus Raſſelmannus. ead.l.16. pro Absburg Habsb. ead. l. 29. pro munijs nuncijs. p. 297. l.2. pro molles, moles. ead. l.3. pro anci aeri. ead. l. 10. pro ærus areis. ead. l. 30. pro exſtimto exſtincto. p.298.l.8. pro magnificentiam magnificentia. ead. l.10. pro quæ quem. ead. l.17. pro reumperatat recuperar. ead. l.19. pro retingenſium Zeting. pag. 299.l.24. pro aſee aſſe. p. 301. l. 13. pro inuentæ iuuent. ead. l. 27. pro duam Quam. ead. p. 32. pro Factitau. Dictitauerat. p.302.l.8. pro eius oris. ead.l.9. pro aut. haut. ead. l.25. pro adeleſeunt adoleſc. p. 303. l. 3. pro poſitus potitus. ead. l.4. pro albas albos. ead l.23. pro inuitum inuictum. ead.l.32. pro inuaſuras inuaſuros. p.304.l.13. ꝓ ditionesq; ditioneq; ead. l.19. ꝓ protegendas protegendos. ead.l.30 pro lignaria lignariam. p.305. l.24. pro quos onus quo ſonus. p.306.l.13. ꝓ futuris futuri. ead. l.15. pro libertatis liberalitatis. ead.l.30. pro Schedeler. Schodel. ead. l 31. pro Bremgatt. Bremgart. p.307.l.1. pro exorta. certa. ead l.30 pro arcens arcem. ead. l.31. pro Hauffenb. Lauffenb. p. 308. l. 2. pro Brifacis Briſiacis. ead.l.4. pro potius potitus. ead. l.21. Ceterosq; delendum illudq; ead. in marg. pro CIↃ. CC LXVII. CIↃ. CC. LXVII. p.309 l.19. pro multas multos. ead. l. 20. pro Summa Summam. p.310.l.7. pro ceteri cetera. ead. linea. pro poſtducà poſtduceam. ead. l 8. facimus facinus. ead. l. 21. pro moderatis moderatis. ead.l.29. ꝓ & cet. ex cet. p.311. in marg. ꝓ CDↃ. CC. LVIII. CIↃ. CC. LXVIII. p.312. l. 9. pro vtrisq; vtrimq; ead. l.10. pro ſubmiſerant ſubmiſerar. ead. l. 14. pro Rhein Rheni. ead. l. 20. pro poſitus potitus. ead. l. 28. pro Othmorsheim Othmarsheimi. p.313. l. 10. pro Rentonicor. Theuto ead. l. 23. pro diſſenſione diſſentionem. pag. 314. l. 10. pro ædes cædes. ead.l.12. pro poſſum peſſum. ead. l. ead. pro exerti euerti. p.315.l.30. pro, & ratione eruptionem. ead. in marg. pro CSↃ. CC. LXXII. CIↃ.CC. LXXIII. p.316. l. 8. pro Bimingæ Binningæ. ead.l.10. pro ſine ſiue. ead. l.16. pro ſine ſiue ead. l.21. Reithij Reichij. ead. l. ead. pro Rhenain. Rhenani. pag.317. linea 8. pro ſidem Iidem. ead. l. 18. pro multis multi. eadem l. 22. pro haberent habere. ead. l.26. pro Rudolfum Habsburgienſi. Rudolfus Habsburgienſis, ead.l. 27. pro. cum de ea tantum diſputarentur, cum de ijs tantum diſputaretur. p.318.l.7. pro ſalotum ſaluum. ead.l.25. pro quare quam re. ead. l.28. ꝓ oriris oriti. p.319.l.2. pro Ceteris Ceteri. ead. l. 7. pro recordem ſecordem. ead.l.13. pro iumiam iunctam. ead.l.23. pro agitati agitari ead. l.31. pro anni omnis. p.320.l.8. pro duo duco. ead.l.9. pro ſanæ ſane. ibid. ꝓ Feriolenſi Teriolens. ead.l.23. pro Germania Germaniam. ibid. pro fæſtnq; faſtnq;. p. 321.l.14. pro ſine ſiue. p.324. l.3. pro Hauffenb. Lauff. ead.l.8. pro Huitoldi Luitholdi. p.325.l.10. pro Sempatum Sempacum. p. 327.l. 29. pro ſine ſiue. ead. l.30. pro Turgoniæ Turgouiæ. p. 328. l. 19. pro Marchio Marchia. p. 329. l. 12. pro protegendas protegendos. p.331.l.9. ꝓ Hauffenberg. Lauffenb. ead. l.12. ꝓ Bonſette Bonſtette. p.334. l. 22. ꝓ Bruneci Bruneri. pag. 337. pro Heilunige Heiluige. ead. l. 12. pro repetiſſe repetiſſe.

Haut paucæ aliæ occurrent mendæ quas tuapte quisquis lector es emendabis. Iſthic has adnotâſſe iam quidem ſatis fuit, imo ſuper fuit. Erratum & in inſiguibus. Sub finem enim Capitis VII. lib. VII. ponenda latere ſiniſtro Kiburgienſium Comitum arma, eaq; repetenda ex fine Cap. III. lib. VI. Quæ in eodem Cap. VII. ſunt tranferenda ad finem cap. VIII. eiuſdem lib. VII. & quæ illic expungenda.

Digitized by Google

Digitized by Google